# ACTA

# SANCTAE SEDIS

## EPHEMERIDES ROMANAE

**A SSMO D. N. PIO PP. X**

AUTHENTICAE ET OFFICIALES

APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS

DECLARATAE

**Volumen XXXVIII**

ROMAE
**DIRECTIO ET ADMINISTRATIO**
vrA S. NICCOLÒ DA TOLENTINO, 74.
**1905**-06.



**JOHNSON REPRINT CORPORATION** **JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**
**111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003** **Berkeley Square House, London, W1X6BA**

Romae 19öS. — Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide.

**First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation**
**Printed in the United States of America**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X laetatur de catholicorum Italiae docilítate in Pontificiis monitis excipiendis circa actionem socialem.**

AI DILETTI FIGLI CONTE STANISLAO MEDOLAGO ALBANI,

PROFESSORE GIUSEPPE TONIOLO,

COMMENDATORE AVVOCATO PAOLO PERICOLI.

PIUS PP. x

*Diletti Figli, salute ed Apostolica benedizione.*

Ci piace, diletti Figli, di manifestarvi con una parola di benevolenza e di affetto la consolazione che procurò all'animo Nostro T indirizzo, col quale una schiera di cattolici italiani ha voluto esprimerci la propria gratitudine per l'ultima Nostra Enciclica ai Vescovi d'Italia intorno allo svolgimento dell'azione sociale (i).

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** *3y,* **pag.** 741. **En devotionis verba quibus alludit Summus Pontifex:**

*Beatissimo Padre,*

**Sempre ossequenti all' augusta Vostra Persona, in cui pome cattolici veneriamo il Pastore Supremo dell'ovile di Gesù Cristo, come italiani riconosciamo la gloria più fulgida della patria comune, questa volta, o Beatissimo Padre, ci trae ai Vostri piedi, insieme all'inestinguibile amore, la letizia che prorompe dall'animo profondamente grato.**

**Coll'Enciclica** *II fermo proposito* **dell'**11 **giugno** 1905 **ai Vescovi d'Italia, Vostra Santità, sempre intesa nel Suo zelo Apostolico** *a ristorare ogni cosa in Cristo,* **ha pronunciato oggi la parola rinnovatrice della nostra azione sociale cattolica, volgendosi ad erigere il novello edificio, che nella varietà delle sue parti e nel coordinamento armonico del suo tutto, raccolga ed ordini quanti fra noi vogliono consacrarsi al servizio della cristiana civiltà per mezzo della Chiesa.**

**Il plauso reverente e unanime, che risuonò in tutta Italia credente^ (ripercotendosi in vario senso anche fra gli scredenti) all'apparire della Vostra Enciclica, come è promessa ai figli di una auspicata resurrezione, così è prova a Voi Beatissimo Padre, che la Vostra parola sta per compire il miracolo di quella unità nella fede e nella carità operosa, che segnacolo in ogni tempo dei**

Se gradite Ci tornano sempre le dimostrazioni di ossequio e d'amore dei singoli fedeli, a più forte ragione Ci consolano le testimonianze, che in qualche particolare circostanza ragguardevoli personaggi, facendosi, per così dire, l'eco sicura dei sentimenti delle diverse classi sociali, credono di dover dare alla Nostra persona o meglio ancora a quella Suprema Podestà, della quale senza verun Nostro merito la Divina Provvidenza Ci volle investire. Quanto in tal caso T esempio è più dignitoso, altrettanto è per se stesso edificante, e facilmente addiviene efficace e fecondo di benefici frutti.

I nobili sentimenti che l'indirizzo racchiude, non potrebbero essere più conformi, nè meglio rispondenti ai voti del Nostro cuore. Ma ciò che con particolare compiacenza abbiamo ammirato è la docilità con la quale voi accoglieste le Nostre parole. Senza riserve di sorta vi dichiarate già preparati a seguire volonterosi e lieti i Nostri suggerimenti e tradurre in pratica i Nostri disegni, diretti unicamente alla difesa della cristiana società, e ad un salutare risveglio delle

**seguaci di Gesù, deve oggi divenire più che mai il labaro dei cattolici italiani, i quali militano nel campo dischiuso dalle odierne istituzioni, per la vera indipendenza della Chiesa, nell'esercizio della sua missione religiosa, cui sono indissolubilmente congiunte e la salvezza della società civile e la grandezza d'Italia.**

**Eco di questi sentimenti, Beatissimo Padre, è la promessa che noi, interpreti del pensiero e del volere di tanti Cattolici in Italia, oggi solennemente facciamo, di adoperarci con ogni sollecitudine e fortezza, perchè la concordia che rispunta sotto così santi auspica, non esuli mai più dal seno** *dell'anione sociale cattolica,* **ma si traduca in opere salutari e durature, che rispondano ai problemi dell'odierna società ed alle aspettative della Chiesa.** *Anione sociale cattolica* **(è bene ripeterlo) alla quale con larghezza di cuore paterno sono oggi tutti invitati a partecipare, così le forze adulte e perite come le fresche energie giovanili, senza distinzione di inclinazione e di iniziative; sotto la imprescindibile condizione di rivestirsi tutti delle virtù dell'apostolo cristiano e di non dipartirsi di un apice dalla integrità del vero cattolico e dalla guida del romano Pontificato, il quale stringe in sua mano non solo i destini delle anime, ma le più alte aspettative dell'incivilimento.**

**Nei quali sentimenti e propositi noi ci sentiamo tanto più incuorati dallo**

vecchie e giovani energie nell' interesse comune della Chiesa e della patria, per la salvezza delle anime.

Maggiore conforto, o diletti Figli, non avreste potuto darci nell'ora presente: tanto più che quella Nostra Enciclica, che porse a voi l'occasione di dichiarare apertamente il vostro filiale attaccamento alla Nostra persona e la vostra piena e schietta sottomissione al Vicario di Gesù Cristo, ad altri purtroppo fornì, senza fondamento veruno di verità, il pretesto di traviare le Nostre intenzioni. E così si è cercato di condurre in inganno la pubblica opinione e la coscienza dei semplici, traendo dalle Nostre parole, per se stesse ovvie e chiarissime, un senso ben diverso da quello che esprimono.

Con voi pertanto, Figliuoli carissimi, non possiamo astenerci dal fare un lamento per la stessa ragione che mosse T apostolo S. Paolo a scrivere a quei di Corinto le seguenti parole che ora facciamo Nostre: «Questo è il nostro vanto, la testimonianza della nostra coscienza, dell'esserci noi diportati con semplicità di cuore e con sincerità di Dio, e non con saggezza carnale, ma secondo la grazia di Dio in questo

**scorgere, come le linee maestre del nuovo ordinamento, che la sapienza di Vostra Santità degnavasi tracciare alle forze attive dei cattolici, — senza recidere virtualmente le tradizioni gloriose del passato, rispondono in modo mirabile, per gli scopi concreti e per le forme spigliate e pieghevoli, alle esigenze dell'età presente ed alle richieste di indefinita espansione avvenire.**

**Sotto lo sguardo incitatore del Padre, che è quello stesso di Dio, noi pertanto daremo mano sollecita alla proclamazione iniziale dei tre grandi Sodalizi generali designati nell'Enciclica : il** *sociale, l'economico,* **e quello** *elettorale,* **che poi l'alta ponderazione e sapienza pratica dovranno gradualmente maturare. Così, senza impedire il comporsi di altri congegni adatti alla varietà degli intenti e dei luoghi, d'ora innanzi alla operosità comune dei cattolici si dischiuderanno di preferenza tre massimi Organismi, nei quali, entrando numerose tutte le classi sociali e in ispecie le moltitudini, rifluirà esuberante la vita e più vigoroso batterà il polso dell'Italia cattolica.**

**— Nella prima e fondamentale** *Unione sociale popolare* **nella quale confluiranno largamente quanti intendono concorrere (anche con tenuissimi contributi) alla** *rivendicazione,* **propagazione e perfezionamento** *dell'ordine sociale cristiano,* **specialmente nella sua essenza spirituale, i Cattolici troveranno** un

mondo e molto più con voi. Perocché non c'è altro nelle nostre lettere, fuori di quello che potete leggervi e comprendervi ». Come già una lettera del grande Apostolo, così, la Nostra Enciclica sull'Azione Cattolica in Italia fu da certuni male interpretata, quasi che Noi dicessimo una cosa e volessimo intenderne un'altra, e che, condiscendendo a dispense necessarie in casi particolari, volessimo abbandonare le tradizioni gloriose del passato e rinunciare ai sacrosanti diritti della Chiesa ed alle rivendicazioni di questa Sede Apostolica.

Noi, che sempre avemmo cura di parlare ai fedeli con quella semplicità, che Gesù Cristo tanto raccomandò ai suoi Apostoli, non possiamo permettere che Ci si faccia il torto di trarre fuori dalle Nostre lettere quello che non v' è, nè fu mai nelle Nostre intenzioni, e peggio ancora di torcere le Nostre parole a sensi contrari al loro proprio. Confidiamo però che questa benevola manifestazione dei Nostri sentimenti apra gli occhi a tutti i Nostri figli, che non cessano di esserci cari anche quando traviano. Noi li stringiamo tutti nel paterno amplesso della Divina carità. Voi adunque, Figli

*foco di luce e di calore,* **che illumini** *il pensiero* **ed educhi la** *coscienza collettiva* **intorno ai problemi intellettuali, etici, civili e religiosi dell'età nostra; e susciti perciò, dimezzo alla propaganda dell'incredulità, della corruzione e delle teorie sovversive, le energie salvatrici in tutti i ceti fino al popolo, per la soluzione cristiana della questione sociale e per l'adempimento della vocazione storica provvidenziale del paese; ciò che per l'Italia nostra si confonde colla missione universale civilizzatrice del Pontificato.**

— **Nella** *Associatione o Fedara^ione economica,* **rinsaldando ed espandendo con ordinamenti più robusti e compiuti, il fàscio già potente delle istituzioni a pro delle classi lavoratrici ed agricole, queste proseguiranno per virtù propria e col presidio della giustizia e carità cristiana, quella** *elevazione materiale e morale,* **in armonia colle altre classi, per la quale una volta di più di fronte alle insidie del socialismo, la Chiesa apparisca redentrice degli umili e garante della pace sociale.**

— **E** *X Associatione o Federazione elettorale* **alla sua volta addestrando seriamente ed avviando prudentemente nei pubblici uffici le sane e copiose riserve delle forze cattoliche, apporterà finalmente la convinzione, che anco in quegli alti fastigi, la parola del diritto cristiano a difesa degli interessi supremi**

dilettissimi, che ben dimostrate di volere corrispondere ai Nostri intendimenti, proseguite nella via additata dalla Nostra ultima Enciclica, e quantunque il compito affidato alle vostre cure sia tuttora preliminare e provvisorio, non vi perdete d'animo di fronte alle difficoltà inevitabili di una impresa che si estènde in un campo così vasto e d'indole assai complessa. Lungo e paziente necessariamente dovrà essere il lavoro di preparazione, se dalle vostre fatiche volete raccogliere un frutto durevole ; ed errore sarebbe il voler vedere fin da ora gli effetti immediati di un' opera che richiede senza dubbio una organizzazione molto estesa e compietà di tutte le forze cattoliche in Italia.

Voglia il Signore esaudire il voto ardente dell' animo Nostro e Ci dia la consolazione di vedere tutti quanti i No-

**della Chiesa, che sono quelli della religione, converge costantemente e a tutto potere .al bene sociale ed alla prosperità della patria; nè sarà stromento di vieto conservatorismo, ma germe e leva d'ogni progresso civile.**

**Ma con filiale confidenza, o Padre Santo, noi dobbiamo deporre nel Vostro seno amoroso, per altro titolo ancora, l'espressione dell'intima nostra riconoscenza. Grazie, Padre e Maestro , della fiducia che riponete nel laicato cattolico, affidando ad esso, con ragionevole libertà e sotto la sua responsabilità, l'esecuzione dei Vostri provvidi disegni di riordinamento e di azione sociale e pubblica. Fieri di quest' onore, gelosi di tale mandato di fiducia, noi useremo della libertà con oculata temperanza e con* severa prudenza, professando di sentire tutta la responsabilità che ci grava dinanzi a Dio, al suo Vicario, ed ai Cattolici del mondo che forse guarderanno con occhio scrutatore all'Italia. Immancabilmente fedeli in tutto ciò che tocca la dottrina e la morale cattolica, — Vi promettiamo, che rispetto alla stessa azione, vòlta a promuovere il cristiano incivilimento nell'ordine sociale, economico, politico, la quale ha soltanto un nesso indiretto col ministero spirituale — noi seguiremo docili le autorevoli direzioni pontificie, e i consigli venerati dei nostri Vescovi; ed anzi nell'operosità pratica, specie in pro dei ceti laboriosi, commessa precipuamente al laicato, noi faremo sempre tesoro dell'appoggio morale di tutto il clero, che uscito in gran parte dal popolo, ne è ognora il rappresentante più eletto ed ascoltato. Così l'umile opera nostra, che Voi voleste ridestare e rinverdire, pur contenendosi nei subordinati confini della vita sociale, economica e pubblica, ridonderà definitivamente a quella salute spirituale delle anime, cui si dirige la Vostra divina missione, che si consuma nei secoli eterni.**

stri figli uniti come altrettanti fratelli col dolce vincolo della, pace e della carità cristiana: senza gelosie tra loro, senza odi, senza rancori, tutti con santa emulazione attendere alacremente alla propria e all'altrui santificazione.

Con questa soave speranza impartiamo a voi, diletti Figli, l'Apostolica benedizione, pegno della Nostra paterna benevolenza.

Roma, dal Vaticano, il i° Agosto 1905.

PIUS PP. X

**Ma se Voi da tanta altezza scendete fino a noi a porgerci la bandiera di Cristo, che è quella della Chiesa, concedeteci, 0 Maestro e Duce, che il laicato salga fino a Voi per riceverla dalle Vostre mani, affine di custodirne sotto la. Vostra paterna vigilanza l'onore immacolato!**

**E infine benedite Voi stesso a questo abbracciamento del Padre coi figli, che è l'oggetto di tanti voti, di tante lacrime e preghiere d'anime sante; — e Dio segnerà in Cielo, e la storia quaggiù, l'inizio di un momento, il quale, attraverso le battaglie che accompagnano la vita militante della Chiesa, rimarrà, solenne per la Religione, per il popolo, per l'Italia e per la cristiana civiltà.**

*Luglio igo5.*

## MOTU PROPRIO

## **De** examinibus ordinandorum in **Urbe.**

PIUS PP. X

Sacrosancta Tridentina Synodus de iis agens, qui ad sacra initiandi forent, sic perscribebat: « Sancta Synodus, antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quanda Episcopus ordinationem facere disposuit, *omnes* qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus-exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ae-

tatem, institutionem, mores, *doctrinam* et fidem diligenter investiget et examinet » (i).

Ex quibus profecto patet neminem omnino excipi a doctrinae periculo subeundo, qui velit ad sacros ordines promoveri; itemque doctrinae periculum eiusmodi, non quasi pro forma atque obiter, sed diligenti investigatione faciendum. — Ac merito quidem: non enim promiscuum est, doctus sit an indoctus qui sacris initietur ; sed ea prorsus ratione qua castis Tectisque moribus commendari illum oportet, eadem et doctrina exornari necesse est.

Hinc Decessores Nostri, praesertim vero Alexander VII f. r. Const. *Apostolica sollicitudo,* de doctrinae examine ab ordinandis rite peragendo multa monuerunt ac sapientissime decreverunt, tum pro dioecesibus universis, tum praecipue pro hac alma Urbe, quae ipsis erat peculiari officio commendata, utpote Romani Episcopatus sedes.

Quae cum decursu temporum, ut assolet in humanis, nonnihil neglecta fuerint; placet Nobis, quoniam res agitur momenti maximi, quid in ea re sit praestandum enucleatius edicere ac distinctius statuere. Quae igitur sequuntur sancte in posterum praestanda volumus et mandamus.

I. Quicumque in Urbe, sive de saeculari clero sive de regulari, sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facient in Curia Cardinalis Vicarii Nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus, ac privilegium exemptionis quodcumque penitus extinguimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Iesu ex Constitutione *Pium* Gregorii XIII et Constitutione *Quantum* Pauli V Decessorum Nostrorum.

II. Quibus de rebus quave methodo examinandi sint, qui vel sacram Tonsuram vel minores Ordines sunt suscepturi praxis edocet, quae huc usque obtinuit, quamque Nos obtinere in posterum, nulla mutatione, volumus.

(i) Sess XXIII, cap. VII *de Reform.*

III. Ad maiores Ordines qui sunt evehendi, ii de *Instructione* primum interrogandi sunt, quae ad Ordinem suscipiendum pertinet. Tum etiam tractationes aliquas de Theologia dogmatica proponent: videlicet, unam pro Subdiaconatu; binas pro Diaconatu; ternas pro Presbyteratu, ac praeterea tractationem de sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

IV. Qui ad Diaconatus Ordinem promovendi sunt, in faciendo periculo, tractationem theologicam, quam pro Subdiaconatu proposuerunt, iterum proponere ne queant: item Sacerdotio qui sunt augendi, tractationem nullam proponant, de qua in praeteritis examinibus tentati iam fuerint.

V. Quas quisque theologicas tractationes proponat, singulorum ordinandorum arbitrio permittimus. — Cardinalis tamen Vicarii Nostri erit Tractationum seriem perscribere ac definire, praeter cuius limites nulla ordinandis eligendi facultas esto. — Singula porro examina quam diu sint protrahenda, eiusdem Cardinalis Vicarii Nostri prudenti arbitrio statuendum relinquimus.

VI. Quicumque, ex ordinandorum numero, Theologiae lauream in aliqua pontificia Universitate consequuti fuerint; eos a subeundo periculo de re theologica exemptos volumus.

VII. Pontificia decreta quae adhuc vigeant, et Vicariatus Nostri urbani consuetudines, quae hoc Motu-proprio Nostro non sint mutata vel abrogata, vim omnem ac robur in posterum etiam obtinere volumus ac decernimus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xvi Iulii anno millesimo noningentésimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM
ACTA

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### CAIETANA

IURISDICTIONIS

**Alumni Institutorum non exemptorum proprio Episcopo subesse propriaeque dioecesi pertinere minime desinunt.**

**Factispecies.** Sac. Augustus Laureiti e Congr. Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis, ratione infirmae valetudinis et de Superiorum licentia, se in propriam familiam restituit in oppido Valliscursae commorantem, dioecesis Caietanae, quin cessaret ad suam Congregationem pertinere, quae illuc ecclesiam domumque habet. Plura munera ab Archiepiscopis dioecesanis commissa eidem fuerant; sed a. 1903 per aliquot menses ei denegata est renovatio schedulae pro sacramentalibus confessionibus* excipiendis, et a. 1904 prohibita quoque celebratio missae per totam dioecesim, dein vero permissa in sola ecclesia Missionariorum P. S., praemissis tamen tribus diebus spiritualium exercitiorum. Verum sacerdos Laureiti, huic imposition! obtemperare renuens, ad H. S. C. confugit, enixe rogans ut ad suum pristinum statum restituatur.

**Informatio Ordinarii.** Praemittit se nullimode suspensionem tulisse in sacerdotem Laureiti, sed ei dumtaxat facultatem celebrandi in diocesi denegasse, eo quod ille non ad Caietanam dioecesim sed ad Institutum Pretiosissimi Sanguinis pertineat, ad quod proinde redire debet, cum Ordinarius nulla detineatur obligatione recipiendi in sua dioecesi Religiosos extra Ordinem degentes. Affirmat deinde praedictum sacerdotem aere alieno gravatum esse atque pluribus familiis magna detrimenta fraudibus attulisse. Denique eumdem arguit tamquam discordiarum excitatorem inter dioecesanum clerum, praesertim vero Valliscursae.

f

**Recursus sacerdotis.** Laureiti imprimis animadvertit suam commorationem in patria legitimam esse, quia Missionarii P. S. haudquaquam propriae dioecesi renuntiant, quinimo ordinantur cum dimissoriis Ordinariorum et titulo sacri patrimonii, prout et ipse fecit. Cumque ob adversam valetudinem suum reliquerit Institutum, Valliscursae commorari ibique ecclesiae ac domui Congregationis suae inservire optime valet. Insuper addit se iam per 40 annos, scientibus et annuentibus Ordinariis, in sua familia vixisse, atque ab ipsis munia haud levis momenti sibi concredita fuisse, uti coadiutoria cuiusdam paroeciae et officium oeconomi in spiritualibus nec non negotiorum tractatio. Hinc absque suae famae discrimine subiacere deberet Archiepiscopi ordinationi; vulgus enim, minime distinguens suspensionem inter et denegationem facultatis missae celebrandae, gravissimas culpas in illo statim praesumeret.

Quoad aes alienum ipse affirmat uni solae personae quamdam pecuniae summam debere, et quidem non personaliter sed tamquam suae familiae sponsorem. Caeterum hoc debitum esse nequit sufficiens causa eidem comminandi suspensionem, quando fideles pro missa audienda ad ecclesiam iam convenerant. Ultimo accusationem discordiarum excitatoris in dioecesi repellit tamquam meram assertionem nullo fundamento innixam, cui e contra nonnullas opponit epistolas praesertim ipsius Vicarii Generalis, quibus sua prudentia laudatur in negotiis sibi commissis.

**Dubium.** *Se il sacerdote Augusto Laureiti debba essere restituito nel primitivo stato nella diocesi di Gaeta nel caso* (1).

**Resolutio.** S. Congr. Episcoporum et Regularium, reformato dubio ut sequitur: *Se si sostenga la prescrizione fatta da Mons. Arcivescovo al sac. Augusto Laureiti di non cele-*

(1) **An sacerdos Augustus Lauretti restituendus sit in pristino statu in. Caietana dioecesi in casu** *(V. R.).*

*orare la S, Messa che nella chiesa dei Missionari del Preziosissimo Sangue, e di compiere precedentemente tre giorni di spirituali esercizi nel caso* (i); die 27 Ianuarii 1905 rescribendum censuit:

*Negative et amplius,*

**Colliges.** i°. Alumni Congregationum non exemptarum, secluso privilegio Apostolico, ordinari nequeunt absque litteris dimissorialibus proprii Episcopi.

2°. Hinc ipsi semper pertinent ad suam dioecesim, ad quam redire ius habent quoties ex legitima causa et de Superiorum consensu extra Ordinem morantur.

3°. Insuper subditi remanent proprii Ordinarii, qui non solum tamquam Apostolicae Sedis delegatus sed etiam potestate ordinaria in eos delinquentes animadvertere valet.

4°. Debita contrahere per se non est delictum, nisi pravus sit finis pravaeque extent circumstantiae.

5°, In themate sacerdos Lauretti est membrum Congregationis non exemptae a iurisdictione Ordinariorum, et ordinatus fuit cum dimissoriis Episcopi Caietae, cui subditus est non solum titulo originis et ordinationis sed etiam domicilii.

6°. Cum praeterea accusationes contra praefatum sacerdotem non sustineantur, eo ipso nec sustineri possunt poenae ab Archiepiscopo in eum prolatae.

**(i) An praescriptio a Revmo Archiepiscopo facta sacerdoti Augusto Lauretti non celebrandi S. Missam nisi in ecclesia Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis peragendique prius tres dies spiritualium exercitiorum sustineatur in casu** *(V. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM

**Posita Episcopi prohibitione etiam Regulares recipere non possunt eleemosynam Missae taxa dioecesana inferiorem.**

*Beatissime Pater,*

Fr. Vincentius Buri, Guardianus Conventus Pyrrhani, in dioecesi Tergestino-Iustinopolitana, regularis Provinciae Dalmato-Patavinae, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur exponit:

Saepe ad dictum Conventum veniunt villici afferentes, sive paupertatis sive parsimoniae causa, S. Missas cum eleemosyna tamen minori quam ea quae in dioecesi viget. Dictas Missas Religiosi huius Conventus semper recipiebant easque aliis sacerdotibus indigentibus ac libenter accipientibus celebrandas fideliter committebant. Ast anno elapso 1904 Rmus Ordinarius Tergestinus decretum edidit prohibens, ne sacerdotes Missas cum eleemosyna inferiori dioecesana statuta a dioecesanis reciperent. Stante hoc Rmi Ordinarii decreto, Orator ad securitatem propriae conscientiae et ne dicti offerentes ab ecclesia eorumdem Religiosorum averterentur, humiliter proponit sequens solvendum dubium:

Utrum dicti Religiosi possint, prout hucusque erant in usu, non obstante supradicto decreto Rmi Ordinarii, eleemosynas pro Missis inferiores taxa dioecesana recipere, easque aliis sacerdotibus indigentibus et bene sibi notis, extra tamen dioecesim, celebrandas committere.

*Die 8 Maii ipoy.*

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres proposito dubio ita respondendum censuit:

Dentur resolutiones in una *S. Severini* die 16 Iulii 1689, et in una *Romana* die 15 Ianuarii 1639.

Tenor vero harum resolutionum ita se habet:

*Sancti Severini.* — Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii Iulii pro qualibet Missa, (Episcopus) supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri Iulii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate.

R. *Affirmative* quoad eleemosynam manualem.

*Romana.* — Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis (i).

f VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

L. S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

## BREDANEN.

### DUBIORUM SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

**Licita est permutatio eleemosynarum Missae cum victu et servitio, nunquam vero earumdem partialis retentio.**

**Dubia.** S. Congr. de Propaganda Fide ad H. S. C. tria infrascripta dubia, ab Episcopo Bredanensi in Hollandia proposita, transmisit:

(i) Episcopi enim ex ipso Concilio Tridentino *(Sess. 22, cap.* Quanta cura, *de sacri/. Missae)* amplissima potestate muniuntur ad statuendam taxam stipendii pro Missis «etiam ut delegati Sedis Apostolicae....» et «non obstantibus *privilegiis, exemptionibus...* ac consuetudinibus quibuscumque ». Regulares, sicut et clerici saeculares, hac in re subiiciuntur iuri Episcopi, qui perspiciens eleemosynam Missae infra taxam aliquando noxiam evadere posse aliis sacerdotibus, prohibere valet etiam Regularibus ne eleemosyna praebeatur vel acceptetur taxa synodali vel consuetudine minorem. Spectato tamen iure comuni, ac proinde extra casum praedictae prohibitionis episcopalis, quilibet sacerdos applicare potest Missam pro eleemosyna infra taxam, quia quisque remittere potest de iure suo, imo gratis omnino celebrare. Quinimo gratuitam Missae celebrationem nec Episcopus prohibere potest, cum nullum damni periculum pro aliis sacerdotibus timeatur. Cfr. Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib. 5, cap. g, n. 2) - (N. R.).*

« i°. In dioecesi Vicarii (adiutores parochorum) in domo parochi tamquam eius familiares degunt communi utentes victu. Parochis pro Vicarii victu et servitio salarium modicum ex ecclesiae reditibus solvitur, quod ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut, pro victu et servitio Vicarii, parochis in cumulo cedant fructus missarum pinguiorum et Vicariis tribuatur stipendium ordinarium missae lectae, unius floreni. In hoc casu stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

« 2°. Ad providendum honestae suae sustentationi, parochi in pluribus dioecesis locis missas non in determinata ecclesia fundatas, anniversaria necnon alias missas manuales, quae per annum a fidelibus offeruntur quaeque parochi eorumve Vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant et alibi celebrari curant retenta sibi parte stipendii pro administratione et publicatione. Ita v. g. pro missis, quae ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0.60, a fidelibus saepe offertur stipendium unius floreni. Quoad missas fundatas et anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis fere communis est ac populo haud raro nota. Quoad alias missas manuales hic usus solummodo viget in parochiis ubi cum consensu Ordinarii e suggestu publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, retentum iri pro sustentatione parochi missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri.

« 3°. Una alterave adest parochia, ubi Vicarii omnes fere missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae determinatam obtinent pensionem.

« Dubitatur num triplex haec consuetudo a decreto S. C. Concilii diei 11 Maii 1904 *De observandis* etc. (i) sit reprobata ».

**(i) Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 36, p.** 672.

**Animadversiones.** Quoad primum dubium sustineri non posse videtur consuetudo retinendi augmentum stipendii ordinarii missae pro victu et servitio Vicariorum. Etenim decretum *De observandis* decernit: « Pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam numquam separari posse **a** missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam.... ». Hinc eo ipso est prohibita quaelibet conventio, cuius vi etiam stipendii pars separetur a celebratione missae atque commutetur cum victu et servitio, prout evenit in casu; mens enim H. S. C. fuit ut quodcumque « commercii genus cum eleemosynis missarum » vitaretur, et « eleemosynae ipsae » non minuerentur.

Nec aliter quoad secundum dubium respondendum videtur, nempe parochis licitum non esse sibi retinere partem stipendii pro missis quas aliis sacerdotibus celebrandas committunt. Sane decretum *De observandis* praecise statuit missae eleemosynam non posse « imminui, sed celebranti ex integro... esse tradendam ». Haec autem praescriptio iam a pluribus Summis Pontificibus inculcata fuit, adeo ut regula generalis invaluerit, nempe quando missae aliis sacerdotibus litandae committuntur, integram quoque eleemosynam tradendam esse, ac nullam eiusdem partem retineri posse. Cfr. ad rem decreta *Cum saepe* diei 21 Iunii 1625 et *Nuper* 22 Nov. 1697 ab H. S. C. edita, necnon Const. *Quanta cura* Benedicti XIV diei 30 Iunii 1741 et alia responsa.

Ratio autem prohibitionis peti potest ex ipsa natura rei; nam, ut disserit Pignatelli *(Cons. can., tom. IV, cons. 227, n. S et p):* « retinens sibi partem stipendii non habet iustum titulum retinendi, et ideo laedit eum, in quem transfert onus celebrandi missas, ac eum **a** quo accepit stipendium ». Nec obiiciatur quod retinendo partem elemosynae nemini infertur damnum; non illi pro quo est celebrandum,

quia aeque missa celebratur ; non celebranti, quia voluntarie accipit stipendium. Nam imprimis respondit S. Alphonsus *(lib. 6, n. ß22) :* « Sacerdotem celebrantem non aliter acquirere dominium eleemosynae, nisi iuxta voluntatem dantis, qui non solum vult ut Missa celebretur sed ut celebretur tali stipendio; cum enim pinguem tradit stipem, ea intentione dat, ut uberiorem fructum ex missa celebranda percipiat ». Praeterea sacerdos, qui celebrationem missae recipit, potest totam eleemosynam vel aliquam eius partem condonare, sed hoc fieri debet omnino libere et sponte.

Quibus accedit resolutio H. S. C. diei 21 Nov. 1898, in qua decernitur non licere sacra colligere eaque aliis litanda tradere, emolumento, quod ex aeris permutatione provenit, sibi retento, quamvis sacerdos colligens retineat hoc lucrum sive pro impensis quae tot sacris colligendis distribuendisque necessariae sunt, sive pro damnis, quae subire cogitur, cum stipendia sacerdotibus litantibus debita exigere nequeat. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 31, pag. 623. In themate autem parochi non solum nullam expensam pro missis colligendis faciunt nullumque damnum sustinent, sed nihil laboris impendunt. Adest quidem publicatio missarum ex suggestu a parochis peracta, at haec inutilis et, quum a iure non praecipiatur, omittenda esse videtur.

Tertium dubium primo est valde affine, ideoque argumenta supra adducta heic valere possunt. Eo vel magis quod in primo dubio Vicarii percipiunt taxam saltem synodalem, dum e contra hic nullum stipendium percipiunt: praeterea si non licet commutare aliquam partem eleemosynae in alias res, a fortiori illicitum erit integram permutare eleemosynam.

Ex altera vero parte relate ad primum dubium non videtur absolute esse damnanda praxis, vi cuius parochi retinent augmentum stipendii ordinarii pro victu et servitio Vicariorum. Revera prohibitio decreti *De observandis* est tantum relativa ad nonnullos casus, nempe ad commercium librorum

et sacrorum utensilium, atque ad diariorum et ephemeridum associationem, uti patet ex ipso decreti contextu. Praeterea non stipendium missae sed dumtaxat eiusdem augmentum commutatur pro victu Vicariorum, qui proinde eleemosynam proprie dictam revera accipiunt. Accedit demum resolutio H. S. C. in una *Trevirensi* die 11 Maii 1888 quae in proposito dubio: « Utrum licita sit conventio, qua sive expresse sive tacite inter aliquos parochos Vicariosque statuitur, ut pro commodiore victu Vicariis concedendo, parochis cedant in cumulo fructus fundationum pinguiorum, et Vicariis tribuatur stipendium ab Ordinario taxatum », probavit huiusmodi conventionem, declarans ipsam « non comprehendi sub Const. *Quanta cura* Benedicti XIV, quum non verificetur damnabile lucrum ex parte parochorum, et ex altera parte Vicarii celebrantes integram tandem eleemosynam accipiant ». Huiusmodi casus non longe distat a praesenti, ideoque eadem valere debet decisio.

Item quoad secundam quaestionem non videtur interdictum parochis ut in casu sibi retinere possint partem stipendii missarum, quas alibi celebrari curant, pro administratione, publicatione et expeditione. Etenim, praeter titulum celebrationi intrinsecum, habentur alii tituli extrinseci, e. g. libera sacerdotis celebrantis condonatio, consensus offerentium, collectio missarum, expeditio etc., pro quibus partem eleemosynae retinere licet, uti communis fert Doctorum sententia. Cfr. S. Alphonsus *(lib. 6, n.* ***321);*** D'Annibale *(Summula, ed. 2, vol. j, n. 4p[1]], p. $6y),* Lehmkuhl *(Theol, mor., vol. 2, n. 204, p. iji, ed. i o)* ***y*** Gasparri *(De Euch., vol. i, p. 44j, n. 609).* In casu praeterea, veluti ex Episcopi relatione liquet, habetur consensus saltem tacitus oblatorum. Nec praetereundum est pro casu nostro extare responsum S. Poenitentiariae diei 6 Apr. 1742, quo declaratum fuit prohibitione contenta in Bulla *Quanta cura* Benedicti XIV, retinendi nempe ex-

cessum taxae ordinariae eleemosynae non comprehendi Hollandiam. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 25, pag. 445.

Tandem circa tertium dubium licitam esse praxim inductam probari videtur ex argumentis allatis in responsione ad primum: agitur enim non de turpi lucro aut venali mercimonio, sed de expressa vel saltem tacita conventione parochos inter et Vicarios inita.

**Responsa.** S. Congr. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 25 Februarii 1905 rescribendum censuit:

*Attentis omnibus, ad I et III. Consuetudinem sustineri.*

*Ad II. Non sustineri, et ad mentem.*

**Colliges.** i°. Nefas omnino est, etiam sub poenis incurrendis, eleemosynas missarum tradere bibliopolis, mercatoribus aliisque venditoribus, necnon diariorum et ephemeridum administratoribus, quum id semper aliquam negotiationis aut turpis lucri speciem praeseferat.

2°. At licita censenda est honesta stipendiorum missae commutatio cum victu, servitio aliisque rebus, quoties in subsidium alicuius commercii non vergat.

3°. Item absolute integra missarum eleemosyna celebrantibus est tradenda, nec ullam vel minimam illius portionem retineri potest, etiamsi eleemosyna sit maioris pretii.

4°. Permittitur tamen aliquid erogare aut retinere pro titulis ipsae celebrationi extrinsecis necnon pro necessariis expensis, quae sustineri debent ex. gr. pro administratione et expeditione.

5°. In casu igitur, quamvis liceat parochis permutare eleemosynas missarum cum victu et servitio Vicariorum, absque tamen Apostolico indulto minime eis licet retinere 40 pro centum super stipendiis missarum Romam mittendis.

6°. Praeterea quum publicatio e suggestu fieri solita veluti insufficiens habita sit, in templo exponenda praecipitur tabella, quae declaret modum et locum celebrationis missarum, quae supererint. Cfr. Benedictus XIV *(Inst. y6, n. 14).*

# ROMANA

SPOLII SEU REDINTEGRATIOÑIS

**Cumulatur iudicium possessorium cum petitorio quoad ius funerandi benedicendique domos in Sabbato Sancto.**

**Species facti.** Archisodalitas nationalis Lombardorum adnexas ecclesiae SS. Ambrosii et Caroli de Urbe domos cum hospitali possidet, quae, vi Brevis Xisti IV a. 1471 et concordiae a. 1723 initae cum parocho S. Laurentii in Lucina, amplissima exemptione a paroeciali iurisdictione donatae sunt. Quum a. 1898 quaedam mulier nomine Ester Carli in praefato aedificio tamquam conductrix incolens obiisset, Archisodalitatis Rector accedens ad levandum defunctae cadaver, illud processionaliter et cum quadam pompa in nonnullis viis sub iurisdictione parochi S. Laurentii perduxit; postea, iustis funebribus in ecclesia Archisodalitatis expletis, ad coemeterium recto tramite et sine pompa associavit. De hoc certior factus parochus, cuius consensus minime requisitus fuerat, recursum contra Archisodalitatem instauravit apud Emum Urbis Vicarium, petens redintegrationem per actum scriptum excusationis et emolumentum lib. i io tamquam damnorum indemnitatem. Ablegato recursu pro voto ad Cleri Camerarium, hic ad controversiam componendam confirmavit actum excusationis ab Archisodalitate emittendum, et reduxit indemnitatem ad lib. 21, 85; at parochus huic concordiae acquiescere renuit.

Interea insequenti anno cum Sabbato Sancto Archisodalitatis Rector superpelliceo et stola indutus âd domorum benedictionem perficiendam in dicto aedificio accessisset, novae querelae motae sunt a parocho circa usurpatam iurisdictionem parochialem apud eumdem Emum Urbis Vicarium. Quare duobus libellis in unum cümulatis in iudiciali citatione diei 10 Octobris 1899 facta a parocho, causa primum acta fuit apud tribunal Vicesgerentis, quod sententiam Archisodalitati

favorabilem tulit, in qua primo abusivam tantum retinuit associationem cadaveris processionaliter et cum pompa per vias subiectas iurisdictioni parochi S. Laurentii in Lucina ideoque damnavit Archisodalitatem ad solvendam mulctam lib. 50 favore parochi querelantis; secundo autem declaravit eamdem Archiconfraternitatem suo iure parochiali usam esse, sive in associatione cadaveris ad coemeterium eiusque tumulatione, sive in benedictione domorum Sabbato Sancto. Ab hac sententia parochus appellationem interposuit apud tribunal secundi gradus seu Emi Urbis Vicarii, qui priorem sententiae Vicesgeréntis partem reformavit eo sensu ut transitus per dictas vias parocho subiectas, sive in associatione cadaveris ad ecclesiam sive in publica domorum benedictione, veram violationem ac reale spolium iurium iurisdictionalium parochi S. Laurentii constituat, cui proinde debentur lib. 50 non titulo mulctae sed uti iura stricte parochialia; deinde cassavit alteram sententiae partem iudicium petitorium respicientem, utpote contra ius et ultra petita.

At huic iudicio non acquiescens Archisodalitas per supplicem appellationis libellum ad hanc S. C. provocavit.

**Deductiones Archisodalitatis.** Patronus primum inquirit de natura actionis a parocho intentatae, et contendit etiam partem adversam saltem tacite facultatem concessisse iudici cumulandi iudicium possessorium cum petitorio. Nam ex intentata actione spolii ob funebrem associationem cum pompa vindicari non poterat emolumentum totius funeris, nisi iudex in petitorio iudicio statueret, cuinam hoc ius spectaret. Idque eo fortius erat admittendum, quia Archisodalitas iam fassa erat se bona fide egisse quoad associationem, et rem prudenti iudicis arbitrio iam remiserat. Idem dicendum est quoad aliam citationis partem de benedictione domorum. Sane intelligi non valet, ipse ait, quomodo in themate stricte applicari posset principium *spoliatus ante omnia est restituenda,* seu quod praesens controversia tantum in possessorio

agi debeat. Spolium enim iuxta Santi *(Prae/, can., lib. 2, tit. 12, n. ß)* cum sit deiectio a possessione rei vel quasi possessione iuris ex magna et notoria iniustitia, patet hanc deiectionem non nisi vi evenire posse; hinc sancitum redintegrationis remedium per praetoris edictum *Unde vi.* In deiectione a possessione rei vis realis et formalis intercedit, at in deiectione a quasi possessione iurium incorporalium vera vis non semper habetur, sed potius ficta, quae turbativa quasi possessionis nuncupatur. Iam vero quando quis a quasi possessione iuris per fictam vim fuit deiectus vel turbatus, tunc iuxta auctores citatum supra interdictum competit, sed ad instar alii interdicti *Uti possidetis,* quod nec restitutionem iubet ante omnia, et admittit dominii exceptionem. Cfr. Gon2ales *(Comm. ad ¿ib.* 2 *Decret., tit. iß, c. j).* Hinc iure merito, concludit patronus, iudex primi gradus quaestionem possessoriam et petitoriam insimul tractavit.

Deinde appellatam sententiam nullitatis tabe infici asserit, quia non dicit ius inter partes. Iam vero appellata sententia, licet per errorem spolium in prima quaestione quoad solemnem associationem admiserit, tamen ius dixit; at quoad aliud comma respiciens domorum benedictionem vere peregrinava a litis obiecto. Dum enim a parocho promota fuit actio spolii ob domorum benedictionem arbitrarie peractam, sententia percutit Rectoris accessum in forma publica ad domum benedicendam. Item quoad adiudicationem emolumentorum totius funeris factam a iudice primi gradus favore Archisodalitatis, appellata sententia poterat reformare vel irritare decisionem editam in petitorio, et quaestionem dirimere in possessorio, iudicialiter edicendo an Archisodalitas iure vel iniuria funus peregerit ; sed e contra coarguit dumtaxat primum iudicem de lata decisione, quam cassare censuit.

Tandem advocatus disserit de causae merito et asserere satagit Archiconfraternitati bonum ius in iis funerandis, qui vel titulo conductitio domos claustrales ipsius incolunt. Id

aperte constare ait ex concordia inter Archisodalitatem et parochum inita die 22 Sept. 1723, et Apostolico beneplacito munita. In ipsa enim ex parte parochi statutum fuit : « Quod ius omne administrandi sacramenta cunctis personis, sive in hospitali degentibus, sive in ambitu et domibus claustralibus dictae nationalis ecclesiae tam uti cappellanis, quam uti inservientibus hospitali, ac etiam conductitio et alio quovis titulo quomodolibet commorantibus, perpetuis futuris temporibus spectet et pertineat Rectori pro tempore eiusdem ecclesiae et hospitalis... Quod eidem Rectori in futurum perpetuo spectare debeat ius omne faciendi funera et sepulturae tradendi in eadem nationali ecclesia cadavera omnium dictorum pro tempore habitantium ut supra qui décédèrent in dictis claustralibus domibus et ambitu... ita ut praefati parochi seu Clerici Regulares Minores nullum amplius in futurum ius praetendere possint ». Ex parte Archiconfraternitatis conventum fuit ut ipsa « teneatur anno quolibet in perpetuum solvere eisdem parochis seu PP. Clericis Regularibus Minoribus Sancti Laurentii in Lucina scuta decem monetae.... ».

Quare notat advocatus nullam vim habere posse argumentum quod forte adduci posset ex cessatione praedicti hospitalis a. 1849, tum quia concordia non habuit tamquam causam finalem ipsum hospitale, tum quia etiam post a. 1849 Archisodalitas conventam praestationem parocho solvere perrexit. Neque item utiliter a parocho oggeri valet argumentum praescriptionis; Archisodalitas enim ab *a.*. 1778 usque ad a. 1866 fuit in pacifica possessione funerandi eos qui quocumque titulo domos ipsius incolebant, quin imo anno 1876 parochus, occasione cuiusdam spolii ab eodem peracti, testimonium reliquit de bono iure Archisodalitatis. Opposita praescriptio igitur ad 22 annos reducitur; verum ad praescribendum contra iura ecclesiarum ex *capp. 6, 8 et p de praescr.* 40 anni requiruntur.

Tandem quoad benedictionem domorum patronus carpit

appellatam sententiam de distinctione facta in benedictionem publicam et privatam, et advertit ex relata conventione clare apparere concessam exemptionem primario fuisse localem et secundario personalem. Neminem autem fugit domorum benedictionem primario fieri in loca, et secundario in personas, uti patet ex formula Ritualis: « Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea». Si itaque, concludit advocatus, Rector Archisodalitatis vi concessae exemptionis ius habet sacramenta administrandi in domo Archisodalitatis degentibus eosque funerandi, a fortiori potiri debet facultate benedictionem in eadem peragendi in Sabbato Sancto.

**Deductiones parochi.** Eiusdem defensor sustinet appellatam sententiam Emi Urbis "Vicarii esse confirmandam, quia est in omnibus iuri consona. Nam in prima iudicii sede clare posita fuerat quaestio circa iurisdictionis parochialis spolium, quod in dubium non revocabatur, imo accedebat aperta ipsius Archisodalitatis confessio. Iudicium ergo instituendum erat possessorium redintegrationis seu spolii. Neque alia actio proposita fuerat a parocho, qui tantum invocaverat remedium privilegiatum restitutionis, seu applicationem interdicti *Unde vi.* In cuius favorem duo sancita sunt, nempe ut spoliatus ante omnia restituatur in amissam possessionem, occlusa via cuicumque exceptioni proprietatis vel dominii ex parte spoliatoris iuxta *cap. j de restii. spoL,* et *cap. 4 de Ordine cognita* deinde ut spoliatus restituatur ad totam causam *cap. 11 de restii, spot.,* idque in odium patrati spolii *Clem. un. de causa poss. et propr.* Quare iure merito iudex appellationis correxit et in parte irritandam duxit sententiam primi gradus in petitorio editam.

Quin obiiciatur aliquando per viam exceptionis iudicium possessorium cum petitorio cumulari posse ; reponit enim parochi defensor id nequaquam fieri posse, actore excipiente contra spoliatorem et allegante hoc privilegium antequam reus audiatur. Cfr. De Angelis *(Prael can., lib. 2, tit. 12,*

*n. 26)* et ReifFenstuel *(Ius. Can., tit. eod., § p, n. 261 et seqq.).* Item observat defensor quod obiectum actionis a parocho intentatae est longe diversum a libello reconventionali Archisodalitatis pro iudicio petitorio; dum enim parochus institit pro redintegratione iurisdictionis parochialis usurpatae; e contra per actionem reconventionalem asseritur iurisdictio parochialis Archisodalitati intra hospitale et eidem domos adnexas: quam confusionem penitus abstulit iudex secundi gradus quaestionem coarctans tantum ad limites possessorii iudicii. Insuper procurator contendit iniuria per sententiam primi gradus declaratum fuisse Rectorem Archisodalitatis in praesens potiri parochiali iurisdictione in praefatis claustralibus domibus; privilegium enim hoc eatenus concessum fuit quatenus hospitale extiterat exemptum ; at hospitale a saeculo non amplius extat; ergo cessata causa finali privilegii, et ipsum privilegium cessasse dicendum est. Neque (diversa sequitur conclusio, etiamsi res expendatur in ratione contractus. Concordia enim, qua Rectori Archisodalitatis ius concedebatur parochialitatis super cunctis personis sive in hospitali sive in domibus claustralibus, subscripta fuit quatenus aedes respiciebant hospitale; at cum haec conditio non amplius existat, et ipse contractus natura sua rescissus intelligi debet.

Demum patronus loquitur de inoleta observantia, vi cuius parochus pristinam recuperavit iurisdictionem in dictis aedibus; sive quia, nemine contradicente, plura funera peregit ex. gr. a. 1850, 1862, 1866 et 1879 etc. sive quia dictae aedes ex cessatione hospitalis reductae fuerunt ad usum privatum imo et profanum ipsius mensae nummulariae hebraicaè.

**Dubium.** *An sententia Vicariatus Urbis diei 18 Augusti ipo2 confirmanda sit vel infirma?ida in casu.*

**Resolutio.** S. Congregatio Concilii, omnibus hinc inde perpensis, die 25 Februarii 1905 respondendum duxit:

*Sententiam esse infirmandam.*

**Colliges.** i°. Associationes fúnebres defunctorum in loco

exempto, absque interventu aut consensu parochi, fieri debent recto tramite et sine pompa.

2°. Benedictiones domorum exemptarum in Sabbato Sancto cum superpelliceo et stola peragi valent, etiam pertranseundo per vias parochiali iurisdictioni subiectas.

3°. Deiectus per violentiam expulsivam a possessione rerum corporalium ante omnia restituendus est, nulla exceptione dominii admissa ex parte spoliatoris.

4°. Dum e contra spoliatus per violentiam tantum turbativam a quasi possessione iurium incorporalium restituendus quidem est, sed non ante omnia ; unde admitti potest exceptio dominii in spoliante.

5°. Verum spoliatus agens in possessorio recuperandae possessionis tenetur excipere contra spoliatorem allegando privilegium spoliationis, antequam reus spoliator audiatur.

6°. Secus enim spoliato restitutio ante omnia facienda non est, quia expresse vel saltem tacite consentit iudicium petitorium cumulari cum possessorio.

7°. In casu ex una parte non agitur de vera spoliatione sed tantum de involuntario errore iam confesso, ac praeterea privilegium spoliationis a parocho allegatum non fuit; ex altera vero legitimum fuit ius Archisodalitatis exercendi iura parochialia quoad funera et quoad benedictionem domorum.

## ALBAE POMPEIEN.

### REMOTIONIS A PAROECIA

**Decernitur remotio oeconomica parochi a propria paroecia ex odio plebis.**

**Compendium facti.** Sacerdos N. N. usque ab a. 1884 parochi officium in quodam oppido Albensis dioecesis diligenter exercere videbatur, sed eiusdem aspera ac minus cauta indoles in suis iuribus tuendis graves iras atque offensiones

excitavit. Inter infensos expertus est eiusdem oppidi municipium, cui litem admovent quaedam iura ad paroeciam spectantia vindicandi causa. Hinc a. 1896 recursus Episcopo oblatus est a pluribus parochianis subscriptas atque ab omnibus fere municipii consiliariis approbatus, quo expetebatur ut eo remoto, alter sacerdos eidem paroeciae sufHceretur ; quinimo eo deventum est ut plures parochialem domum peterent, lapides in eam iacerent ipsumque parochum conviciis publice afficerent.

Exinde Episcopus, cum duodecim sacerdotes, quos percontatus est, de alieno parochianorum animo testati sint et de parochi indole ad odium sibi pariendum idonea, hanc S. C. certiorem reddit; quae a. 1896 eidem praecipit ut pro tunc idem parochus relicta residentia alio discederet, posito in paroecia substituto, qui res componere valeret. Sed quum et hic modus incassum processisset, eadem S. C. a. 1897 iterum Episcopo rescripsit, ut eidem Praeposito renuntiationem paroeciae suadere curaret, et translationem ad paroeciam eiusdem vel parum inferioris momenti proponeret. Parochus autem dictam renuntiationem peragendam renuit, aliamque paroeciam ab Episcopo ei oblatam inferioris quidem redditus, pensione tamen adaugendam, accipere detrectavit. Unde eadem S. C. statuit ut, praevia renuntiatione paroeciae, annua ei pensio lib. 400 reservaretur supra reditibus paroeciae, donec ipse de congruo beneficio provideretur. Id etiam posthabuit dictus parochus, qui insuper a. 1901 in paroeciam rediit, ubi plures parochiani domum paroecialem lapidibus impeterunt conviciaque in ipsum parochum iterum protulerunt, adeo ut postero mane protinus discedere coactus fuerit. Quapropter Episcopus, ut eiusdem parochi remotionem decerneretur, apud H. S. C. institit, quae a. 1902 eidem Episcopo rescripsit ut offerret Praeposito congruam pensionem, vel beneficium aut aliam provisionem quae non habeat curam animarum. Hinc cum Ordinarius quandam eidem cappellaniam

obtulisset, hanc minus sibi convenire idem parochus ratus est, addens se quidem ad renuntiationem parochiae peragendam paratum esse, dummodo pensio lib. 1200 ei assignaretur. Quod quidem; cum in damnum eiusdem paroeciae nimis vergeret, pensio lib. 500, quarum 300 ex reditibus beneficii parochialis et 200 ex reditibus pii Operis dioecesani pro parochis, ipsi ab Episcopo proposita fuit. Verum cum idem differret, et dictae paroeciae providere necesse esset, Episcopus processu super odium plebis, prout H. S. C. antea iusserat, expleto, rem detulit ad S. Sedem.

**Animadversiones parochi.** Patronus duo probare nititur, videlicet in casu odium erga eumdem parochum haud existere, et quamvis detur ut subsistat, minime ipsius parochi culpa fuisse excitatum paucosque tantum e plebe fovisse. Petitionem, qua parochi remotionem efflagitabatur, ad examen revocat, et ostendit eam prouti certam odii significationem parochianorum haberi non posse ; origo enim huius petitionis iuxta advocatum repetenda est ex nimia propensione qua fideles ferebantur erga Vice-curatum. Hinc abrepta fuit occasio colligendi subscriptiones, quae ex fraude extortae fuerunt. Patronus non diffitetur quidem parochum conviciis fuisse affectum et lapides in parochialem domum coniectos esse; verum ratio habenda est non de iis qui seditiosae turbae interfuerint, sed de numero eorum qui revera vel hostiles clamores emiserint vel lapides proiecerint, cum notum sit plures saepe turbis commisceri curiositate potiusquam adverso animo motos. Quare in irritum caderet ipsa parochorum inamovibilitas, si paucorum aversio aegre ferentium parochum, prouti totius populi vel saltem maioris partis esset spectanda.

Deinde advocatus probare satagit odium plebis, si existat, non fuisse culpa parochi excitatum, quum ipse nullam dederit causam aversionis, subscriptionum et turbarum. Dum e contra aestimatione et laude dignus est, quia in sacro mi-

nisterio zelum ac diligentiam adhibuit, sive pias consuetudines instituendo sive administrando sacramenta, sive proprio aere Vice-parochum alendo atque pauperes sublevando: quod si lites adversus aliquos intenderit, hoc fecit pro tuendis iuribus ecclesiae et paroeciae. Item munus Vice-parochi in aliis paroeciis gessit, nunquam querelis locum dedit, et in ipsa sua paroecia usque ad a. 1896 concordiam servavit. Ipse potius fuit victima odii plebis, eo vel magis quod fuit quolibet praesidio destitutus, etiam Vice-parochorum qui res componere non sategerunt. Accusationes autem contra bonos mores non sunt attendendae, sive quia plures testes negant parochum nimia usum fuisse libertate cum mulieribus, sive quia hac in re processus instructus non fuit.

Quare concludit, etsi plebis odium in eodem parocho adesse iudicaretur, hoc tamen cum eidem haud vitio verti possit, ipsius remotio non in poenam sed ex quodam prudentiae temperamento ea lege foret decernenda, ut non antea esset removendus e sua paroecia, quam alia eiusdem gradus eiusdemque reditus ei offeratur; prout factum esse recolit in *Eystettensi* 22 Sept. 1742, in *Limburgensi* 19 Dec. 1857, in *Herbipolensi* 21 Dec. 1860, in *Cantonis Ticini* 1901 etc.

**Animadversiones ex officio.** Promotor fiscalis in processu habito diei 4 Dec. 1902 deducit: « clare constare odium plebis contra dictum Praepositum, quod publice prodiit tum supplici libello a pluribus subscripto, quo parochi remotio poscebatur, tum iteratis tumultibus ; eiusmodi odium a gravibus causis originem ducere, quae repetuntur sive ab eius indole intollerabili, litium et vindictae cupida, sive a controversiis adversus municipium, confraternitates et nonnullos parochianos etc.; ipsum haud bona fama gaudere quoad mores, et publice dictitari nimia familiaritate usum fuisse cum mulieribus ; quinimo nihil hucusque laboris et industriae adhibuisse ad benevolentiam sibi conciliandam sed magis magisque animos a se amovisse, quamvis administratores spiri-

tuales operam dederint ad odia extinguenda; demum spem omnem exulare mutuae animorum conciliationis, nullum fructum ex eius ministerio esse sperandum, multa e contra damna esse pertimescenda, ac proinde bonum fidelium absolute exposcere ut quantocius et meliori modo huic paroeciae consulatur ». In apposito autem Summario referuntur documenta quae favent hisce Promotoris fiscalis conclusionibus circa odium parochianorum in suum Praepositum eiusque causas. Ex quibus ex una parte apparet incolas illius oppidi obstinato et pervicaci animo esse praeditos, adeo ut et alios ipsius parochi decessores divexare non destiterint; ex altera vero parochum non eam apte adhibuisse prudentiam ut suos parochianos sibi conciliaret. Caeterum omnes uno ore fatentur actualem Praepositum ad dictam paroeciam non amplius reverti posse, itemque expetunt ut ipsa de novo pastore provideatur.

Ad ius quod attinet receptum est, remotionem a paroecia decerni etiam posse, si grave odium adsit, etsi ex mala plebe exurgat, adeo ut parochus etiam irreprehensibilis ac innocens in sua ecclesia utile ministerium amplius exercere non valeat. Ad rem Reiffenstuel *(Lib. ß Decr., tit. ip, n. jp) :* « Procedit doctrina etiamsi causa absque culpa beneficiarii eveniat, v. gr. exurgat gravis aversio et odium populi adversus parochum, ita ut huius verba nil amplius fructificent, populus divina contemnat vel scandalum nascatur... Ratio est quia bonum publicum debet praeferri privato... et ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt iuris praecepta. Intellige si alia via succurri non possit ; enimvero quamdiu alia via iuvandi restat, v. gr. posset succurri malo per assignationem Coadiutoris ». Unde haec S. Congregatio, ne animarum salus aliquid detrimenti caperet, pastorum remotionibus pluries prospexit ; ita ex. gr. in *Limburgen. ip Decembr.* ISJJ, cum Episcopi decretum de privatione paroeciae causis gravis odii et aversionis inniteretur ob aere parochi

ingenium eiusque imprudentem agendi rationem excitatae, ad dubium: *«An sustineatar decretum amotionis latum a Curia episcopali Limburgensi in casu* », responsum fuit: *«Affirmative»'*, item in *Taurinen.* 7 Iulii 1855, in *Spalaten.* 14 Dec. 1885, in *Presmilien.* 18 Iunii 1887, et in aliis.

**Dubia.** I. *An parochus N. removendus sit a paroecia loci X.* — Et quatenus *affirmative:*

II. *An et quomodo eidem parocho N. sit providendum in casu.*

**Resolutiones.** S. Congr. Concilii, re mature perpensa, die 25 Februarii 1905 rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, assignata pensione libellarum JOO, quarum tercentae super reditibus paroeciae, ducentae ex reditibus enunciati pii Operis pro parochis, donec aliter provideatur.*

**Colliges.** i°. Remotio oeconomica a paroecia decerni valet etiam ex gravi odio, licet malae plebis, erga proprium parochum, qui proinde impar evadit ad suum ministerium cum fructu exercendum.

2°. Tunc enim idem parochus vel generatim transfertur ad aliam paroeciam aequipollentis vel fere aequipollentis reditus, vel quandoque beneficio absque cura animarum aut etiam congrua pensione providetur. Ita colligitur ex cap. *Quaesitum est* 5, de rerum permutatione, et ex cap. *Nisi cum* io, de renunciatione (i).

3°. In casu constat de gravi aversione parochianorum erga proprium Praepositum, qui insuper subsequenti sua agendi ratione ad alias regendas paroecias, saltem in praesens, minus idoneum se ostendit.

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 377, nota 2 et 3.

# ALBIEN.

TRANSLATIONIS A PAROECIA

**Sustinetur translatio duorum parochorum amovibilium in Gallia ab Episcopo peracta.**

**Factispecies.** Occasione electionum politicarum in Gallia a. 1902 habitarum, nonnulli parochi dioecesis Albiensis suppressionem stipendii ex parte gubernii civilis passi sunt, quia, •non obstantibus moderationis consiliis ab Archiepiscopo datis, minus prudenter sese gesserunt. Instante potestate civili pro eorum translatione, idem Archiepiscopus parochis promisit nullum ipsorum in aliam paroeciam se translaturum esse, nisi prius eorum obtento consensu; imo summam lib. 1000 dedit pecuniariae subscriptioni pro exspoliatis. Interim aliqui ex iis translationem acceptarunt et exequuti sunt; gubernium autem Archiepiscopo significavit quod stipendium ne parochis quidem iam translatis restitueretur, nisi et omnes alii in paroecias et quidem inferioris ordinis mitterentur. Archiepiscopus frustra reclamavit contra vim sibi illatam, sed id tantum obtinere valuit, ut donaretur pensio parochis iam translatis, spopondens ceteros transferendi ante finem a. 1903, inconsultis tamen parochis adhuc transferendis, inter quos Henricus Carel parochus ecclesiae *Castdnau* et Paulinus Cadars parochus ecclesiae *Mouzieys.* Hisce duobus Archiepiscopus diversas obtulit paroecias eiusdem fere ordinis, sed ipsis renuentibus, instante iam anni fine decretum tulit quo sacerdotem Carel transferebat ad paroeciam *Labastide,* dum in paroeciam *Castelnau* transferebat sac. Cadars. Sed uterque parere recusavit et recursum interposuit ad S. Sedem.

**Allegationes Archiepiscopi.** Ipse quamvis profiteatur se cedere debuisse impositionibus gubernii civilis, nihilominus ad vindicandum suum remotionis decretum in primis notat dictos parochos eius mandatis et consiliis obedire neglexisse. JEtenim parochus Carel e suggestu ante concionem fidelibus

commendavit quamdam ephemeridem, in qua aperte et violenter multa aderant contra gubernium et ipsum candidatum politicum, cunctasque ad eamdem sumendam invitavit, atque in ipsa Evangelii explicatione quaedam verba offensiva protulit. Deinde quum pueri ecclesiae addicti hanc ephemeridem ex sacrario accepissent et post missae celebrationem distribuissent, videtur hoc effectum fuisse de consensu parochi, cui soli competit in ecclesia praeesse. Deinde Archiepiscopus suam agendi rationem confirmat ex particulari conditione facta clero Galliae a Concordato, in quo parochi *desservants* dicti amovibiles declarati sunt, ac proinde in alias paroecias ex rationabili motivo transferri semper ab Episcopo possunt, etiam ad instantiam gubernii civilis.

Praeterea Archiepiscopus addit et aliam causam adfuisse pro legitima duorum parochorum translatione, quod nempe ipsi ob suam imprudentem agendi rationem quamplurimas inimicitias in propria paroecia sibi conciliasse, adeo ut quaedam petitio facta fuit ad remotionem sacerdotis Cadars obtinendam. Denique prae oculis habenda quoque est minitatio, licet iniusta, civilis auctoritatis secus denegandi stipendium etiam parochis iam translatis. Hinc sola reluctantia sacerdotis Carel efficiebat ut omnes parochi translati stipendio carerent, quum et ipsa subventio pecuniaria ope publicae subscriptionis collecta ad breve tempus comsumpta fuisset.

**Allegationes parochorum.** Patronus in primis laudat integritatem fidei et morum, ac zelum eorumdem parochorum. Deinde ad probandum defectum canonicarum rationum pra legitimitate remotionis, procurator sustinet neutrum parochorum sese male gessisse. Nam obiecta verba in Evangelii explicatione prolata neminem in concreto afficiebant. Pueri dictam ephemeridem offerentes, vestes chorales iam dimiserant et a parochi fratre illam missionem acceperant. Quoad Cadars nihil in actis invenitur, quod legitimare potuisset privationem stipendii ex parte gubernii, ideoque nec paroeciae re-

motionem ex parte Archiepiscopi. Addit ulterius quod in consilio archiepiscopali ad solvendam hanc difficultatem congregato, omnes declaraverunt sacerdotem Carel nullam poenam incurrisse. Promissionem factam ab Archiepiscopo de nemine removendo invito memorat defensor, argumentum ex eo desumens, quod nullus parochorum a gubernio spoliatorum realiter ab Ordinario culpabilis agnoscebatur. Duos proinde parochos mandatis Ordinarii sui obedire ultro dispositos esse, minime vero flagrantem violentiam civilis potestatis in re ecclesiastica subire velle. Praeterea quam maxima populi pars duobus parochis favet. Unde subscriptio habetur pro parocho Carel ad gubernium directa, omnesque familiae interrogatae de proprio affectu erga eumdem parochum testatae sunt. Carel a 29 annis regit ecclesiam *Castelnau,* et suis fidelibus promisit numquam illos derelinquendi, et revera per tres vices ad decanatum propositus, ipse ter honorem istum recusavit; ipse suas opes favore ecclesiae, coemeterii ac domus parochialis impendit. Eadem repetenda sunt pro sacerdote Cadars, qui per undecim annos pro ecclesiae et paroecianorum bono nihil pepercerit. Picturas, altaria, imagines, Viam Crucis, ornamenta refecit vel renovavit, missiones et exercitia spiritualia frequenter provocavit, pias associationes fovit, etc.

Quapropter defensor postulat archiepiscopalis decreti revocationem, vel saltem pensionem annuam pro Carel et Cadars aequivalentem stipendio et redditibus, quibus respective fruebantur in ecclesiis *Castelnau* et *Mouzieys.*

**Dubium.** *An et quomodo decretum Archiepiscopi Albiensis diei 27 Novembris ipoß circa translationem parochorum Carel et Cadars sustineatnr in casu.*

**Resolutio.** Et S. C. Concilii, re sedulo pensata, die 25 Februarii 1905 rescribere censuit:

*Attentis omnibus affirmative, proviso utroque parocho de alio beneficio aut de congrua pensione aequivalenti.*

**Colliges.** i°. Parochi Galliae, quamvis vere ac proprie parochi sint habendi, sunt amovibiles ad nutum Episcopi; hinc ad eorum decernendam remotionem sufficit quaelibet iusta causa.

2°. In themate sufficiens causa in eo reposita habetur quod secus ius tertii, nempe parochorum iam translatorum ad stipendium a gubernio civili obtinendum, pessumdaretur.

3°. Itaque ad arcenda maioris exitu mala, minus malum practice exigere oportebat.

4°. Violentia tamen gubernii gallici omnibus apparet, quin necesse sit eam publicae execrationi proponere,

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## BLESEN. SEU BRIOCEN.

**Decretum Confirmationis Cultus ad immemorabili tempore praestiti Ven. Servo Dei Carolo De Blesis, duci Britanniae beato nuncupato.**

Carolus De Blesis, Britanniae dux, in lucem editus anno Mcccxx, virtutis iter quod a primaeva aetate ingressus fuerat, usque ad metam proficiendo constanter tenuit. Honoribus opibusque posthabitis, christianam austeritatem familiae suae commoditati anteposuit. Orationi assiduus plures Missas in ecclesia sui castelli celebratas audire, divinumque Officium cum capellanis suae domus, Fratribus Minoribus, persolvere et canere solebat. Ingenio potens, litteris bonisque artibus sedulo incumbebat; corde bono et optimo praestans pauperes àegrotosque eximia caritate sublevabat. Adolescens semper humilis, alienae potius quam suae voluntati paruit. Quum vero in vita et post obitum Servi Dei communi fama et sermone eius excellentia et virtutes celebrarentur, B. Urbanus V plures enixasque postulationes- in Consistorio propositas be-

nigne excipiens, Apostolicis litteris XVI Kal. Septembris an. MCCCLXIX datis mandavit per Episcopum Briocensem et Abbates maioris monasterii Turonensis et S. Albini Andegavensis, de sanctitate vitae, virtutibus et miraculis eiusdem Dei Famuli inquiri. Quod quidem mandatum ab illius Sancti Pontificis successore Gregorio XI per novas litteras XVIII Kal. Februarii MCCCLXXI expeditas confirmatum, reapse adimpletum fuisse constat ex tabulis processualibus eodem anno MCCCLXXI confectis atque in Vaticano Archivio asservatis. Verum haec Causa per longissimum temporis spatium et fere quinque saeculorum decursum siluit: quin tamen opinio sanctitatis Servi Dei una cum cultu deficeret. Tandem anno MDCCCXCII eadem Causa ex Apostolico Indulto reassumpta est in statu et terminis in quibus ipsa reperiebatur. Concessae quoque sunt Litterae Remissoriales et Compulsoriales ad Episcopos Blesensem et Briocensem transmissae, ut in utraque Curia Apostolicae Inquisitiones super cultu praefato Ven. Famulo Dei ab omni antiquitate adhibito instituerentur. Quae quidem Inquisitiones absolutae fuerunt; atque in illas Processus etiam Apostolicus Andegavensis anni MCCCLXXI compulsatus est. In hisce tabulis processualibus plura adducebantur argumenta immemorialis, ecclesiastici et publici cultus Ven. Carolo De Blesis ante et post Urbanianam aeram ad haec usque tempora praestiti. Quibus inspectis, iudices subdelegati in supradictis Processibus Apostolicis Blesensi et Briocensi, super cultu immemoriali praedicto Ven. Servo Dei exhibito affirmativam protulerunt sententiam. Quum vero omnia haec acta iuridica ad Urbem delata, Sacrorum Rituum Congregationis examini atque iudicio subiecta sint; instante Rmo Dno Remigio Porcher, Canonico Cathedralis ecclesiae Blesensis et huius Causae Postulatore, ardentia quoque vota Rmorum Praesulum et cleri ac populi utriusque dioeceseos Blesensis et Briocensis -depromente, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli Episcopus Praenestinus et eiusdem

Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententiae iudicum subdelegatorum a Rmis Episcopis Blesensi et Briocensi super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Ven. Servo Dei, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII sint confirmandae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et E¿ñi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Affirmative seu sententias esse confirmandas, si Sanctissimo placuerit.* Die 29 Novembris 1904.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 14 Decembris eodem anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CAIACEN.

**Episcopus canonicus, non obstante immemorabili consuetudine contraria, nonnisi cum cappa Dominicis festisque diebus Missae Conventuali ex throno assistere debet.**

Rmum Capitulum Cathedralis ecclesiae Caiacensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit, videlicet:

Rmus Episcopus eiusdem dioeceseos est simul Canonicus, et prout talis est, singulis diebus suae hebdomadae, mozetta ac rochetto indutus, recitat in stallo sibi proprio Officium cum aliis Canonicis; postea vero ex eodem stallo audit sim-

pliciter Missam Conventualem, quin, relate ad eam, aliquam functionem exerceat; propterea fruitur massa capitulari inter praesentes distribuenda. Hoc ex immemorabili consuetudine obtinet. Ex eadem immemorabili consuetudine Missa canitur ab omnibus simul Canonicis, quorum tamen alii infirmitate, alii aliis causis saepe saepius chorum deserere coguntur. Iamvero Rmus nuper Episcopus, vi decreti S. R. C. 22 Ianuarii 1877 n. 3411 *Vallispraten.,* asserit se non posse, mozetta ac rochetto indutum, Missam audire ut supra, sed nonnisi cum cappa Dominicis festisque diebus Missae Conventuali ex throno assistere teneri: quod aliquod onus Canonicis imponit, videlicet ut iis diebus eidem assistant et eum excipere debeant. — Quaeritur utrum Rmus Episcopus in casu haec exigere possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Serventur Caeremoniale Episcoporum et Decreta, uti etiam enuntiatum Decretum *Vallispraten.,* quando Episcopus solemniter vel cum cappa adsistit, vel pontificalia peragit (1).

Atque ita rescripsit. Die 17 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) **Iuxta Pontificale Episcoporum** *(lib. II, cap. 9, n. 4, et cap. 34, n. 2 et 4)* **Episcopus in festivitatibus solemnioribus, quae ibidem recensentur, tenetur solemniter celebrare, vel saltem, si legitime impeditus fuerit, assistere Missae cum Pluviali et Mitra. In festis autem minus solemnibus ibidem recensitis « poterit, si magis placuerit, huiusmodi Missae cum sua Cappa pontificali interesse, et tunc etiam debent ei assistere praefati duo diaconi et presbyter assistens ». Praeterea « in aliis festivis seu ferialibus diebus Episcopus, cum aderit, semper deferet Cappam ». Citatum decretum in** *Vallispraten.,* **inhaerens decretis alias editis, statuit: « Non licere Episcopis in Dominicis festisque diebus Missae solemni assistere, solummodo mozetta et rochetto vestitis »** *(N. R).*

## ORDINIS FRATRUM MINORUM

**Indultum Missae votivae de Immaculata extenditur ad omne» sacerdotes Kalendario Romano-Seraphico utentes vel in. privatis Oratoriis celebrantes.**

Cupiens Revmus Pater Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, ut cultus erga Immaculatam Deiparae Virginis Conceptionem magis magisque augeatur, atque omnis controversia tollatur circa Missam votivam de eadem Immaculata Conceptione ex Apostolicae Sedis Indulto concessam Franciscalibus Familiis, a SSmo Dno Nostro Pio PP. X humillimis precibus flagitavit:

I. Ut sacerdotes etiam saeculares, tertio Ordini Sancti Francisci adscripti, qui Kalendario Romano-Seraphico utuntur, quoties vel in privato Oratorio vel in ecclesiis trium Ordinum Sancti Francisci Sacrum faciant, singulis per annum Sabbatis Missam votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione legere valeant, prouti alumnis vel capellanis trium Ordinum Regularium permittitur ; quemadmodum, nempe sacerdotibus tertii Ordinis Praedicatorum conceditur Feria iv et Sabbato per annum, etiam Festo duplici minori **ac** maiori impeditis, Missam Sanctissimi Rosarii *Salve Radix* iisdem in casibus celebrare.

II. Ut sacerdotes e primo ac tertio Ordine Regulari Sancti Francisci Sacrum facturi in Oratoriis privatis extra coenobium positis, sicuti Kalendarium Romano-Seraphicum possunt ac debent adhibere, ita valeant Missam votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione celebrare, prouti in ecclesiis ipsius Ordinis conceditur; ne secus, ac praesertim Religiosi extra coenobium **rem** divinam oblaturi, eodem uti privilegio impediantur, ipsis admodum salutari.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, benigne an-

nuere dignata est pro gratia iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius**

ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIAE

**Tertiarii Ordinis Carmelitarum in processionibus incedere possunt sub eadem cruce Ordinis primarii.**

R. D. Spiridion Cimino, Prior Conventus Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum:

An Tertiarii Ordinis Carmelitarum in processionibus incedere possint sub eadem cruce Ordinis primarii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

*Affirmative* in casu, data praeferentia Fratribus primi Ordinis.

Atque ita rescripsit. Die 30 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. t D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius**

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**Privilegium Viae Crucis transfertur in ecclesia fere in eodem loco et sub eodem titulo reaedificata.**

Fr. Bonaventura Marrani, Ordinis FF. Minorum Procurator Generalis, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulat:

Ex Decreto huius S. C. in una *Leodien,* d. d. 9 Augusti 1843 indulgentiae non cessant, si, destructa veteri ecclesia, nova aedificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo. Quaeritur :

Utrum praefata resolutio applicetur etiam Stationibus **S.** Viae Crucis legitime erectis, ita ut in casu ecclesiae ex toto reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo praeexistens privilegium S. Viae Crucis non cesset, si S. Via Crucis, quae in veteri ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in ecclesiam reaedificatam, prout dictum est, transferatur?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die 7 Iunii 1905.

L. 4. S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretario*

Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

## SUMMARIUM

**Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum quae Romani Pontifices Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum concesserunt.**

### ARTICULUS I

*Indulgentiae, Privilegia et Indulta ipsis Fratribus Ordinis intuitu status religiosi concessa.*

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE

I. Omnibus Christifidelibus die primo eorum ingressus in religionem, si confessi S. Communionem sumpserint (Paulus V *Romanus Pontifex,* 23 Maii 1606).

2. Cuilibet Novitio, qui confessus et S. Communione refectus, post completum probationis annum, professionem emiserit (Idem, ibidem).

3. Cuilibet Religioso, intra claustra monasterii sui viventi, in festo principali sui Ordinis, dummodo confessus et S. Communione refectus ad mentem Summi Pontificis oraverit (Id. ibid.).

4. Cuilibet Religioso in mortis articulo, si uti supra dispositus, vel saltem contritus SSmum Iesu nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocavefit (Id. ibid.).

5. Illi, qui legitime ordinatus, praevia confessione, primam Missam celebraverit, et aliis religiosis, qui confessi et S. Synaxi refecti eidem Missae interfuerint (Id. ibid.).

6. Iis, qui per decem dies, vel, aliquo interveniente legitimo impedimento a Superioribus dignoscendo, saltem per tres dies, ab aliorum conversatione separati, SS. spiritualibus exercitiis, videlicet piis lectionibus, meditationibus mysteriorum fidei, orationibus vocalibus, saltem per duas horas quotidie operam dederint, dummodo confessi S. Communionem sumpserint (Id. ibid.; Pius X, Rescr. S. Congr. Indulg., 14 Decembris 1904).

7. Iis, qui confessi ac S. Synaxi refecti orationi Quadraginta Horarum, tempore visitationum generalium a Superioribus collocatae, spatio saltem duarum horarum diverso tempore interfuerint, et ibi ad mentem Summi Pontificis, necnon pro disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces fuderint (Paulus V, loc. cit.).

8. Iisdem, qui die Commemorationis omnium Defunctorum primi et secundi Ordinis, uti supra dispositi, ecclesiam vel oratorium sive publicum sive privatum Ordinis visitaverint, et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius X, Breve io Februarii 1905).

9. Iisdem, die anniversaria Professionis S. P. Francisci, si uti supra dispositi, eadem pietatis opera praestiterint (Id. ibid.).

10. Cuilibet Religioso recitanti Coronam Franciscanam, scilicet septem gaudiorum B. M. V. (Paulus V, 8 Iunii 1608; Innocentius XI, Breve 15 Maii 1688).

11. Religiosis, qui die 29 Novembris, qua S. P. Franciscus S. Regulae confirmationem ab Honorio III reportavit, confessi ac S. Communione refecti professionem renovaverint et ad mentem Summi Pontificis, necnon pro spirituali Ordinis profectu pias ad Deum preces fuderint (Clemens XII *Cum sicut,* 2 Maii 1736).

12. Iisdem, in festo Epiphaniae, die anniversaria consecrationis totius Ordinis SSmo Cordi Iesu, si confessi ac S. Synaxi refecti solemnem professionem renovaverint (Pius IX, 7 Octobris 1873).

13. Iisdem semel in anno, die quo cuique libuerit, dummodo confessi et S. Communione refecti ad intentionem Summi Pontificis oraverint tempore, quo infrascripta exercitia peregerint: eundi per claustrum septem vicibus et visitandi in fine SSmum Sacramentum (loco visitandi septem ecclesias Urbis); eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem B. M. V. (loco visitandi Sanctuarium Lauretanum) ; eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem SSmi Crucifixi (loco visitandi Sanctuarium Montis Varalli); et demum eundi similiter ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem S. P. N. Francisci (loco visitandi Sanctuarium Assisii et Alverniae) — (Pius VII, 25 Septembris 1779).

14. Iisdem Religiosis, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, Absolutionem generalem, sub formula *Ne reminiscaris,* a Superioribus Ordinis vel ab aliis Religiosis ab ipsis deputatis, et, relate ad Moniales, ab earum confessario vel ab alio sacerdote, licet ad audiendas earum confessiones non approbato, ab Ordinario tamen delegato, impertiendam, acceperint et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis :

Nativitatis \
Circumcisionis **I**
Epiphaniae > D. N. Iesu Christi;
Paschatis Resurrectionis i
Adscensionis '
Pentecostes ;
SSmae Trinitatis ;
Corporis Christi;
Purificationis ¡
Annunciationis I
Visitationis **f**
Assumptionis } B. M. **V.;**
Nativitatis I
Immaculatae Conceptionis **I**
Praesentationis ;
SS. Apostolorum Petri et Pauli;
S. P. Francisci ;
S. Clarae Virg. Assisiensis;
S. Catharinae Virg. et Mart. ;
Omnium Sanctorum;
Singulis diebus Hebdomadae maioris ;

Semel in anno, die, quo in singulis monasteriis peragitur canonica visitatio.

(Pius X, Breve io Februarii 1905).

15. Iisdem, in festis S. Fidelis a Sigmaringa et S. Francisci Xaverii, dummodo confessi ad S. Synaxim accesserint et quotidie per annum precationem *Misericordiarum Pater* recitaverint (Leo XIII, Rescr., S. Congr. Indulg., 19 Novembris 1895).

16. Quilibet ex Religiosis toties indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, Hierosolymitanorum locorum, Aedis S. Iacobi Ap. Compostellanae, lucrari valent, quoties in quocumque loco *Pater, Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate

rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis recitaverint (Leo X, i Septembris 1518).

B. — INDULGENTIAE STATIONUM URBIS

Omnes et singuli Religiosi inter claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, consequuntur easdem indulgentias quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam, diebus Stationum a Missali Romano designatis, consequerentur, dummodo caetera opera iniuncta praestiterint (Paulus V *Romanus Pontifex,* 23 Maii 1606).

Easdem indulgentias Religiosi in coenobiis degentes lucrari valent, si confessi ac S. Communione refecti, diebus stationalibus fixis, Psalmum *Exaudiat te Dominus* cum versiculis et orationibus statutis pro Romano Pontifice et S. Matre Ecclesia recitaverint; et si illum recitare ignoraverint, eius loco ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius IX, Breve 7 Augusti 1868).

C. — INDULGENTIAE PARTIALES

1. *Sexaginta annorum totidemque quadragenarum* cuilibet Religioso, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationi mentali vacaverit, dummodo confessus ultima dominica huiusmodi mensis ad S. Synaxim accesserit (Paulus V *Romanus Pontifex,* 23 Maii 1606).

2. *Septem annorum* prima feria sexta cuiuslibet mensis singulis Religiosis, qui professionem renovaverint (Pius IX, 7 Octobris 1873).

3. *Quinque annorum totidemque quadragenarum* in qualibet die, omnibus Religiosis intra claustra viventibus, qui quinquies *Pater* et *Ave* ante altare propriae ecclesiae, vel, si de suorum Superiorum licentia in itinere existant, aut tanquam praedicatores aut lectores extra claustra degant, ante

quodlibet altare recitaverint (Paulus V *Romanus Pontifex,* 23 Maii 1606).

4. *Trium annorum totidemque quadragenarum* Religiosis, qui corde saltem contriti eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusaverit, necnon spiritualiter communicaverint et exercitium virtutum fecerint (Id. ibid.).

5. *Trecentorum dierum* ab iis Religiosis semel in die lucrandam, si precationem *Misericordiarum Pater* cum *Pater, Ave* et *Gloria* devote recitaverint (Leo XIII, Rescr. S. Cong. Indulg., 19 Novembris 1895).

### D. — PRIVILEGIA ET INDULTA

1. Religiosi, qui, violentia dispersi, in domibus peculiaribus, ubi quatuor saltem commorantur sacerdotes, de licentia Superiorum degunt, in privato oratorio earumdem domorum omnes et singulas indulgentias lucrari valent, quibus gaudebant ecclesiae aut domus, e quibus exturbati fuerunt, caeteris servatis de iure servandis (Pius IX, Decr. S. Poenit, 28 Iunii 1866 et 18 Aprilis 1867).

2. Religiosi infirmi et convalescentes in valetudinario, visitando sacellum infirmorum, aliaque opera praescripta peragendo, lucrari possunt omnes indulgentias, quae visitando Ordinis ecclesias consequerentur (Benedictus XIII, 24 Aprilis 1725).

3. Religiosi, qui ita graviter recumbant, ut e lecto surgere et ad ecclesiam se conferre non valeant, easdem indulgentias lucrari possunt, peragendo opera iniuncta pro ipsorum statu possibilia, vel ea supplendo per alia, in quae a Superiore vel a confessario commutabuntur (Id., 30 Ianuarii 1726).

4. Religiosi accipere possunt Absolutionem generalem etiam privatim in pervigilio festorum, quibus ipsae sunt adnexae; nec non ii, qui legitimo detinentur impedimento, a Superiore dignoscendo, quominus in die assignata illam re-

•cipere possint, uno ex septem diebus festum assignatum immediate sequentibus, accipere valent (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904).

5. Altare maius omnium ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur a quocumque sacerdote sive regulari sive saeculari in suffragium animae alicuius defuncti (Clemens XIV, Rescr. S. Cong. Indulg., 30 Iulii 1770).

6. Eodem privilegio gaudet altare sacelli valetudinariorum in conventibus Ordinis pro Missis, quae inibi celebrantur a Religiosis senibus et infirmis, qui se ad ecclesiam conferre nequeunt (Benedictus XIV, 15 Septembris 17.50 et Breve i Aprilis 1754).

7. Item privilegiatae sunt, ad quodlibet altare ecclesiarum Ordinis celebrentur, tres Missae, quae a sacerdotibus Ordinis pro anima cuiusque defuncti Summi Pontificis et Cardinalis Protectoris, ac Imperatoris vel Regis applicentur (Benedictus XIV, 19 Septembris 1742).

8. Pariter privilegio gaudet Missa una, quae a Religiosis Ordinis in suffragium animae suorum respective parentum defunctorum celebrabitur (Id., io Aprilis 1745).

9. Missae omnes, quae in suffragium animae Fratrum vel Monialium Ordinis a quocumque sacerdote, sive regulari sive saeculari, celebrabuntur, sunt semper et ubique privilegiatae {Pius X, Breve io Februarii 1905).

10. Omnibus Ministris Provincialibus Ordinis concessa est facultas erigendi in ecclesiis sui Ordinis, necnon et in adnexis oratoriis Stationes Viae Crucis, quarum indulgentiae lucrifieri valent ab universis Christifidelibus: insuper iidem Ministri facultate pollent ad eumdem effectum delegandi Superiores locales pro tempore existentes (Pius IX, 5 Martii 1874).

11. Rmo P. Ministro Generali pro tempore concessa est facultas benedicendi atque fidelibus imponendi Scapulare S. Ioseph Sp. B. M. V., cum potestate ad huiusmodi Scapularis

benedictionem et impositionem sacerdotes sive regulares sive saeculares delegandi (Leo XIII, Rescr. S. R. C, 18 Aprilis 1893).

12. Superioribus Ordinis facta est potestas erigendi, de consensu Ordinariorum, confraternitatem Chordigerorum Sancti Francisci, cum adnexis indulgentiis et privilegiis, in ecclesiis illorum locorum, in quibus ecclesiae aut conventus Fratrum Minorum Conventualium non existunt, servatis servandis, et praesertim Constitutionibus Sixti V *Ex supremae dispositionis* diei 19 Novembris 1585, et Pauli V *Nuper Archiconfraternitati* diei 11 Martii 1607 (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904).

13. Iidem Superiores, legitimo detenti impedimento, Ordinis Religiosum ad excipiendas Sacramentales confessiones approbatum subdelegare valent ad benedicendas Chordas S. Francisci necnon ad impertiendum Chordigeris Papalem Benedictionem in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. (Id. ibid.).

14. Rmo P. Ministro Generali indultum collatum est, ut sacerdotibus Ordinis facultatem elargiri possit recitandi *Exorcismum in Satanam et angelos apostaticos* iussu Leonis XIII editum, cum acquisitione indulgentiarum praefatae recitationi adnexarum (Leo XIII, 15 Novembris 1890).

15. Moniales Ordinis in clausura degentes, quae infirmitate impediuntur, quominus ad chorum vel tribunal confessionis accedant, Absolutionem generalem recipere valent a proprio Confessore, in die infra Octavam festorum cui ipsa est assignata, quando ipse Confessarius clausuram ingreditur ad audiendam aegrotantium Sororum confessionem, caeteris servatis de iure servandis (Leo XIII, Rescr. S. Cong. Ind., 21 Maii 1892).

## ARTICULUS II

### *Indulgentiae, Privilegia et Indulta pro ministeriis Ordinis Capuccinarum concessa.*

#### A. — INDULTUM FAVORE RELIGIOSORUM ORDINIS QUI IN XENODOCHIIS INFIRMIS ASSISTUNT

Religiosi, qui, debitis cum licentiis in Xenodochiis ad infirmorum adsistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis conventibus moram traherent (Benedictus XIV, 31 Iulii 1754 et 28 Novembris 1756).

#### B. — PRO MISSIONIBUS EXTERIS

1. Religiosi, qui, debitis cum licentiis, in ditiones ac terras infidelium aut haereticorum ad sacrum ministerium exercendum missi fuerint, quando itineri se accingunt et quando ad locum Missionis sibi adsignatae ingressi fuerint, *plenariam* indulgentiam consequi valent, praemissis confessione et S. Communione (Paulus V *Romanus Pontifex*, 23 Maii 1606).

2. Unicuique eorum, qui in Collegiis sive seminariis, Evangelii praecones mox futuri, educati fuerint, indulgentia *plenaria* concessa est, non modo cum iuramentum, quo se obstringunt cooperandi Deo in salutem animarum, primo emiserint, verum etiam cum illud statuta die renovaverint, dummodo in utroque casu confessi S. Communionem susceperint (Pius VI, 7 Maii 1775).

3. In residentiis Missionum Ordinis ecclesiae et oratoria publica, dummodo sint fixa, et ad ea fideles, ad Sacrum audiendum et ad recipienda Sacramenta, accédant, gaudent indulgentiis, quae ecclesiis Ordinis concessae sunt (Clemens XII, Decr. S. Cong. Ind., 11 Iunii 1732).

4. In locis Missionum provinciarum ultra montes, ubi Fratres Ordinis proprias ecclesias non habent, ecclesiae sae-

cularium, in quibus Religiosi Ordinis Missionariorum functiones peragunt, indulgentiis ecclesiarum Ordinis gaudent (Benedictus XIV *Coelestes Ecclesiae,* 14 Februarii 1742).

5. Omnibus Religiosis missionariis et aliis Christifidelibus virilis sexus tantum, qui in domibus et hospitiis Missionum per quinque saltem dies continuos exercitia spiritualia quandocumque, peregerint, *plenaria* indulgentia semel in anno concessa est, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (Id. *Cum sicut,* 27 Iulii 1751).

6. In ecclesiis Missionum Ordinis altaria maiora sunt privilegiata aeque ac altaria maiora in ecclesiis conventuum (Clemens XIII, 20 Novembris 1763).

7. Religiosi missionarii in infidelium vel haereticorum regionibus degentes, facultatem habent impertiendi, de licentia Ordinariorum, quatenus adsint, Christifidelibus in articulo mortis constitutis Apostolicam Benedictionem cum adnexa *plenaria* indulgentia, servata forma a Benedicto XIV praescripta (Benedictus XIV, 24 Augusti 1751).

8. Religiosi in Missionibus degentes, qui infra duas saltem hebdomadas sacramentalem confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias eo temporis intervallo occurrentes, lucrari valent, absque confessione pro singulis indulgentiis praescripta, caeteris servatis de iure servandis (Pius X, Rescr. S. C. Ind., 14 Decembris 1904).

9. Indulgentia *plenaria* concessa est Religiosis missionariis scholarum popularium fundatoribus earumque directoribus, lucranda a fundatoribus die prima earumdem apertionis, et a directoribus die quo directionem assumunt, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ecclesiam seu oratorium suae domus visitaverint, et inibi pro Sanctae Fidei propagatione et iuxta Summi Pontificis intentionem pias ad Deum preces fuderint (Leo XIII, 13 Februarii 1887).

## C. — PRO MISSIONIBUS QUAS RELIGIOSI ORDINIS HABENT AD POPULUM

### a) — *Indulgentiae et Privilegia.*

1. Omnes Christifideles, qui quinque saltem e concionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum corde saltem contriti audierint, indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* consequi valent (Pius X, Breve io Februarii 1905).

2. Iidem si praefato tempore quinque concionibus uti supra adstiterint, atque insuper confessi ac S. Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, *plenariam* indulgentiam lucrari possunt (Id. ibid.).

3. Religiosi Ordinis, qui S. Missiones ad populum dederint, facultatem habent benedicendi, de consensu tamen Ordinariorum, Crucem erigendam in loco Missionis, eique adnectendi infrascriptas indulgentias :

*a) plenariam* — i°. die erectionis, — 2°. quotannis die anniversaria eiusdem erectionis, — 3°. in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis : lucrandam a fidelibus, qui confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint;

*B) trecentorum dierum* Christifidelibus, qui coram Cruce uti supra erecta quinquies *Pater Ave et Gloria* corde saltem contriti devote recitaverint (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904, et Breve io Februarii 1905).

4. Omnes Christifideles, qui per tres saltem dies continuos exercitiis spiritualibus a Religiosis Ordinis datis interfuerint, *plenariam* indulgentiam consequuntur, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius X, Breve cit.).

5. Religiosi Ordinis, qui S. Missiones aut spiritualia exercitia dederint, in postrema concione Papalem Benedictionem impertiri valent, cum *adnexa, plenaria* indulgentia, ab iis tantummodo Christifidelibus lucranda,qui confessi ac S. Communione refecti eamdem Benedictionem acceperint et ad men-

tem Summi Pontificis oraverint, dummodo tamen concionibus, dictis temporibus habitis, saltem per dimidium earum numeri adstiterint (Pius X, Rescr. cit.).

b) — *Indulta.*

1. Tempore Missionum et spiritualium exercitiorum Religiosi Ordinis, qui facultate pollent benedicendi S. Scapularia eaque imponendi, hanc Benedictionem e suggestu peragere valent, formula in numero plurali, praetermissa impositione Scapularium, quae sibi quisque fidelium imponet, necnon nominum inscriptione atque eorumdem ad respectivam Confraternitatem transmissione (Pius X, Resçr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904).

2. Si fines paroeciae, in qua S. Missiones locum habent, sint nimis ampli, Religiosi Ordinis, qui illas Missiones dederint, non unam tantum, sed plures Cruces erigere ac benedicere cum enunciatis indulgentiis valent, ita tamen ut unaquaeque Crux a viciniori saltem unius kilometri spatio distet (Id. ibid.).

3. Infirmi, qui concionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum, assistere nequeunt, plenariam indulgentiam iis concessam, qui quinque saltem conciones audierint, lucrari valent aliud pium opus a confessario impositum peragendo (Pius X, Breve io Februarii 1905).

4. Eamdem indulgentiam acquirere possunt pueri ad S. Communionem nondum admissi, si confessi ad mentem Summi Pontificis oraverint, dummodo et ipsi quinque saltem concionibus adstiterint (Id. ibid.).

5. Christifideles, qui commorantur procul a loco ubi Missiones habentur, confessionem et S. Communionem, quae ad lucrifaciendam praefatam indulgentiam praescriptae sunt, etiam infra spatium quindecim dierum post expletas Missiones peragere valent, dummodo caetera opera iniuncta praestiterint (Id. ibid.).

## ARTICULUS III

### *Indulgentiae quas universi Christifideles in ecclesiis Ordinis lucrari valent.*

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE

Universis Christifidelibus, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, quamlibet Ordinis ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus festis infrascriptis:

1. Titularis cuiuslibet ex dictis ecclesiis vel oratoriis;
2. SSmi Nominis Iesu (Dom. 2 post Epiph.) ;
3. B. Bernardi a Corleone Conf. (14 Ian.);
4. SS. Berardi et Soc. Mart. (16 Ian.);
5. B. Andreae de Tomit. Conf. (i Febr.);
6. S. Iosephi a Leonissa Conf. (4 Febr.) ;
7. SS. Petri Bapt. et Soc. Mart. lapon. (5 Febr.);
8. S. Margaritae Cortonen. Poenit. 3 Ord. (23 Febr.);
9. S. Ioannis Iosephi a Cruce Conf. (5 Mart.) ;
10. S. Catharinae Bononien. Virg. (9 Mart.);
11. S. Ioseph Sp. B. M. V. (19 Mart.);
12. B. Angelae Fulginaten. Vid. 3 Ord. (30 Mart,).
13. Patrocinii S. Ioseph Sp. B. M.V. (Dom. III post Pascha);
14. S. Fidelis á Sigmaringa Mart. (24 Apr.);
15. S. Pauli a Cruce Conf. (28 Apr.);
16. S. Petri Regalad Conf. (13 Maii);
17. S. Paschalis Baylon Conf. (17 Maii);
18. S. Felicis a Cantalicio Conf. (18 Maii);
19. S. Bernardini Señen. Conf. (20 Maii);
20. B. Crispini a Viterbio Conf. (23 Maii);
21. S. Antonii Patav. Conf. (13 Iun.);
22. S. Laurentii a Brundusio Conf. (7 Iul.);
23. S. Veronicae de Iulianis Virg. (9 Iul.) ;
24. SS. Nicolai et Soc. Mart. Gorcom. (11 Iul.);
25. S. Bonaventurae Ep. Conf. et Eccl. Doct. (14 Iul.);

26. S. Francisci Solani Conf. (24 Iul.);

27. S. Clarae Assis. Virg. (12 Aug.);

28. S. Rochi Conf. 3 Ord. (16 Aug.);

29. S. Ludovici Ep. Conf. (19 Aug.);

30. S. Ludovici Reg. Conf. 3 Ord. (25 vel 26 Aug.);

31. S. Rosae Viterbien. Virg. 3 Ord. (4 Sept.);

32. B. Bernardi ab Ophyla Conf. (11 sept.).

33. Commemorationis Impressionis SS. Stigmatum S. P. N. Francisci (17 Sept.);

34. S. Iosephi a Cupertino (18 Sept.);

35. S. Pacifici a S. Severino (25 Sept.);

36. Seraphici S. P. N. Francisci (4 Oct.);

37. Commemorationis omnium Defunctorum O. N. (5 Oct. vel alia die infra Octavam festi S. P. N. Francisci) ;

38. S. Mariae Franciscae a Quinque Vulneribus Virg. 3 Ord. (7 Oct.);

39. S. Seraphini a Monte ^*Gr* an ario Conf. (12 Oct.);

40. SS. Danielis et Soc. Mart. (13 Oct.);

41. S. Petri de Alcantara Conf. (19 Oct.) ;

42. S. Ioannis a Capistrano Conf. (23 Oct.);

43. S. Didaci Conf. (12 Nov.);

44. S. Elisabeth Reg. Hung. Vid. 3 Ord. (19 Nov.);

45. S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. (26 Nov.);

46. S. Iacobi Piceni Conf. (28 Nov.);

47. Omnium Sanctorum universi Ordinis Seraphici (29 Nov.) ;

48. Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 Dec);

49. S. Iosaphat Ep. et Mart. (14 Dec);

50. Una die ad libitum ex tribus, quibus expositio SSmi Sacramenti locum habet in ecclesiis Ordinis, ad instar XL Horarum, quamvis nocturno tempore interrupta;

51. Prima feria III cuiusvis mensis, dummodo peragatur visitatio SSmi Sacramenti pariter in ecclesiis Ordinis expositi.

(Clemens IX, 2 Oct. 1669; Innocentius XI, 26 Aug. 1680;

Clemens XI, II Oct. 1713, 27 Aug. et 15 Sept. 1714; Benedictus XIII, 17 Iul. et 22 Dec. 1728; Clemens XII, 30 August. 1731, 12 Dec. 1735; Benedictus XIV, 23 Aug. 1746, 24 Nov. 1755; Clemens XIII, 17 Ian. 1769; Clemens XIV, 6 Iul. 1773; Pius VI, io Mart., 27 Iun. et 9 Aug. 1781; Pius VII, 18 Ian. 1820; Gregorius XVI, 27 Mart. 1840; Pius IX, 30 Sept. 1852, 16 Ian. 1868 ; Pius X, io Febr. 1905).

52. Omnes Christifideles confessi ac S. Communione refecti, quoties quamcumque Ordinis ecclesiam vel publicum sacellum a primis vesperis usque ad occasum solis diei secundi Augusti devote visitaverint et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam indulgentiam consequi valent (Gregorius XV, Breve 12 Octobris 1622).

### B. — INDULGENTIAE PARTIALES

Christifideles universi, qui corde saltem contriti ac devote quamcumque ex Ordinis ecclesiis visitaverint, indulgentiam *decem annorum totidemque quadragenarum* lucrari possunt sequentibus festis necnon singulis diebusOctavarum eorumdem festorum :

1. Immaculatae Conceptionis \
2. Nativitatis /
3. Annuntiationis \ B. M. V.;
4. Purificationis ^
5. Assumptionis 1
6. S. P. N. Francisci;
7. S. Clarae Assisiensis ;

8. Die anniversaria dedicationis uniuscuiusque ex praedictis ecclesiis;

9. Tandem quoties tempore expositionis triduanae SS. Sacramenti ad instar XL Horarum, uti supra, ecclesiam Ordinis visitaverint.

(Pius X, Breve io Februarii 1905).

C. — INDULTUM

Omnes Christifideles visitantes aliam ex ecclesiis Provinciarum Italiae, in quibus a Religiosis Ordinis divina officia seu sacramenta administrantur, inibi lucrari valent omnes et singulas -indulgentias, quae consequerentur, si ecclesias Ordinis visitarent, caeteris servatis de iure servandis (Clem. XIV, Rescr. S. Cong. Indulg., 6 Martii 1770).

*Omnes et singulae indulgentiae in praesenti Summario recensitae,* excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, *applicari possunt etiam animabus in igne Purgatorii degentibus* (Pius X, Rescr. S. Cong. Indulg., 7 Iun. 1905).

DECRETUM

Quum Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum huic S. Congni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae peaesens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum praefato Ordini concessorum approbandum exhibuerit, et eadem S. Congregatio illud duobus ex suis Consultoribus examinandum dederit, qui, denuo perpensis documentis concessionum Apostolicarum, testati sunt omnes Indulgentias, Privilegia et Indulta inibi relata esse authentica ; hoc attento testimonio, S. Congregatio illud approbavit typisque mandari permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 23 Iunii 1905.

L. «f S.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretario*

Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# APPENDIX

## De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium (i).

QUAESTIO V

*Quaenam conditiones ex iure requirantur ut legitima sit huiusmodi procuratorum constitutio.*

79. *De persona constituenda seu de procuratore.* — Et quoad personam constituendam, seu procuratorem, valet principium iam traditum quoad personam constituentem seu mandantem, scilicet omnes posse qui non prohibentur. Quod caeteroquin congruit etiam iuri romano, iuxta quod edictum de procuratoribus erat negativum, adeo ut omnes essent admittendi nisi prohibiti.

80. Verum haec regula indiget explicatione, quum non uno ex capite quaestio moveri possit, num aliquis sit censendus e numero prohibitorum.

81. Inquirendum^ hinc est, an speciales conditiones v. g. ratione aetatis, sexus, habilitatis ad matrimonium in huiusmodi procuratore requirantur; itemque an unus vel plures arbitrio mandantis deputari valeant; itemque an procuratoris persona ab ipso mandante debeat esse determinata; itemque an absens rite deputari valeat.

82. *De aetate in procuratore ad matrimonium requisita.* — Procurator ad matrimonium est procurator ad negocia, non vero ad lites, seu est procurator extraiudicialis et non iudicialis. Hinc perperam exquireretur, num in eo deputando sint servanda, quae iura praescribunt in deputando iudiciali procuratore.

83. Quoad procuratorem vero ad negocia advertunt doctores, nihil magis requiri quam idoneitatem, ni aliquid ex-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *lj,* pag. 410, 6o3 et 736.

presse in iure caveatur. *Si sermo sit* (ait iam laudL Santi in tit. *De procur.*, n. 6) *de procuratore deputando ad negocia, tradunt auctores nullam aliam qualitatem requiri ultra idoneitatem. Quare ille potest extraiudicialis procurator designari, qui habilis est et idoneus ad negocia vel ad peculiare negocium de quo agitur expediendum,* etc.

84. Hisce suppositis, exclusa consulto, quippe fere non otiosa, quacumque investigatione quoad quaestiones, num deputari valeant amentes, furiosi etc. ; quaeritur in primis num ratione aetatis aliqui inidonei debeant recenseri. Et prima quidem fronte videretur respondendum affirmative. Nam, quum procurator ad matrimonium sit procurator ad negocia, et decernat Bonifacius VIII (C, v *De proc.* in vi) requiri in eis aetatem annor. xvn, videretur concludendum neminem nisi post xvn annum ad hoc munus esse assumendum. Verum hanc regulam in casu fallere docent passim doctores, ex quibus praestat referre Sánchez *(De matrim.* **1.** III, disp. XLi, R. 7 et seq.). Post enim memorata nonnulla argumenta in contrarium subdit: « Sed multo certius est nullam desiderari aetatem, nec qualitatem aliam in procuratore ad matrimonium constituto, praeter eam, quae ius naturale exposcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum rationis usum sicut de testibus diximus n. 5. Prob, i quia in procuratore ad negotia non constat certam aetatem desiderari, immo verius est pupillum, modo usu rationis gaudeat, posse eo munere fungi». Quod ut probet Sánchez allegat nonnullos iuris civilis textus, quibus eruitur in procuratoribus ad negocia nullam certam aetatem requiri, dummodo ille sit capax consensus. Ad difficultatem vero depromptam ex cit. textu Bonifacii VIII respondet: *a)* notandum principalem decisionem ibi esse de aetate procuratoris ad iudicia, nec sumi debere argumentum a contrario sensu ad probandam aetatem procuratoris ad negocia, cum contrarium iure decisum sit... *b)* vel etiam advertendum in procuratore ad iudicia expresse

dici nequire constitui ante xxv annos ; quem loquendi modum non servat textus in procuratore ad negocia, sed dicit post decimum septimum annum licite deputari, quasi clare significans illum ante dictam aetatem non posse valide constitui, hunc autem posse valide, sed non decenter et honeste.

85. Ad uberius probandam thesim suam addit ulterius ibi Sánchez alia argumenta, seu: *a)* quia esto ád alia negocia desideretur in procuratore certa aetas, secus dicendum in procuratore ad matrimonium, quia nulla prorsus eius industria desideratur, sed tantum consensum explicat absentis; *b)* quia ad matrimonium est satis quicumque mutuus 'consensus, quibuscumque nutibus expressus, ergo sufficiet, si per pupillum habentem usum rationis exprimatur; *c)* quia si potest contrahi per pupillum interpretem debet quoque posse contrahi per pupillum procuratorem; *d)* quia puer ann. xiv (seu pubes) potest contrahere pro se, ergo debet quoque aestimari capax ad contrahendum pro aliis; *e)* quia matrimonium utpote causa favorabilis semper sustinendum est, nisi quid in iure contra eius valorem decernatur, quod in casu non contingit.

86. *De sexu in procurato requisito.* — Vidimus de qualitatibus in genere et de aetate in specie, videamus modo de sexu. Quaerenti autem num procurator debeat necessario eiusdem sexus esse ac mandans, respondendum est negative per se, seu praescindendo a specialibus adiunctis aliud fortasse suadentibus. Liquet id ex mox dictis quoad qualitates in genere ac quoad aetatem in specie. Quum enim nihil in iure reperiamus quoad sexum vel praescriptum vel vetitum, concludendum est per se licere mandanti procuratorem pro lubito constituere vel eiusdem vel diversi sexus.

87. Unde rectissime S. Alphonsus *Theol. Mor.*, **1.** vi, n. 885 scribit: *Nec requiritur diversitas sexus, unde bene officium gerere possimi duo mares vel duae foeminae.* Sánchez autem *{De matr.*, **1.** n, disp. xi, n. 15): *Sexta conclusio, diversitas*

*sexuum in procuratoribus ad contrahendum matrimonium est impertinens : quare duo viri vel duae foeminae possunt esse contrahentium procuratores. Quia ea sexuum diversitas solum requiritur in ipsis, qui matrimonio iunguntur. Sic Petrus de Ledesma, De matr., q. 42, art. i, dub.* 7.

88. Ex eodem principio concludendum ac tenendum nullo modo requiri in procuratore quod sit ipse matrimonio ineundo absolute vel relative idoneus. Unde bene procurator potest esse v. g. impotens. Itemque potest esse v. g. mandanti consanguineus vel affinis etc.

89. *De numero procuratorum.* — Nihil, saltem quod sciamus, in iure quoad hoc constitutum est. Imo nec in auctorem aliquem incidere potuimus, qui quaestionem exagitaret, num mandatum ad matrimonium ineundum debeat necessarie tribui uni vel possit ex arbitrio committi pluribus.

90. Quaestionem ergo hanc solvendo ex communibus iuris principiis, dicimus per se nihil obesse quominus reapse pluribus v. g. duobus vel tribus detur. Quum enim in aliis negociis licitum sit (saltem generatim) unum constituere procuratorem vel plures, idem debet censeri permissum etiam quoad matrimonium.

91. Nec obiiciat quis matrimonium necessario esse contrahendum inter unum et unam, et hinc nonnisi unum procuratorem ab utroque sponso posse deputari. Deficit enim casus paritas, quum procuratoris tantum sit nudum exhibere ministerium consensum pandendo nomine auctoris sui.

92. Posito autem per se etiam plures procuratores posse constitui, iam sequitur esse pluribus procuratoribus, reapse constitutis ad matrimonium contrahendum, applicandas easdem normas quae applicantur pluribus procuratoribus constitutis quoad coetera negocia. Unde v, g. si constituti duo sunt in solidum fiet locus praeventioni etc.

93. Incidimus autem hic in singularem quaestionem, quae cum solutione praecedentis quaestionis multum connectitur.

Quaeritur ergo num possint v. g. a Titio deputari duo procuratores, v. g. Petrus et Paulus, at cum mandato diverso, ita scilicet ut Petro sit celebrandum cum Caia et Paulo cum Livia, lege a mandante constituta, ut ille ex duobus, qui alterum praeveniendo contraxerit, valide contrahat. Placet autem quaestionem solvere dicendo tale mandatum sustineri. Licet enim oporteat (ut melius alibi dicemus) procuratorem ad matrimonium dari ad contrahendum *cum certa persona,* nihil impedit quominus duo constituantur prout effingitur in quaestione. Non enim deputantur illi duo procuratores ad celebrandum *cum Caia vel Livia,* at uterque constituuntur ad celebrandum *cum certa persona seu Petrus cum Caia et Paulus cum Livia,* ita ut fiat locus praeventioni. Non autem magis officit validitati consensus ex parte mandantis incertitudo exitus, quam officiât adpositio conditionis ut v. g. si navis ex Graecia venerit.

94. *De persona procuratoris seu an sit a mandante designanda in specie vel possit designari in genere.* — Tunc a mandante dicitur persona procuratoris designari in specie, quando v. g. deputatur persona determinata aut ratione nominis, ut e. g. Titius, Caius etc. , aut ratione officii, ut v. g. syndicus neapolitanus, veliternus etc. Tunc e contra dicitur designari in genere, quando deputatur ut procurator ille v. g. quem tertia persona, ut puta pater alterius sponsi, designaverit.

95. Iamvero si deputatio procuratoris hoc posteriori modo fiat, seu in genere, ambigendum prima fronte videretur, num ea sustineatur. Iura enim videntur maximam certitudinem et firmitatem in huiusmodi procuratoribus exigere; adeo verum ut requiratur mandatum speciale, nec possit procurator alium sibi substituere.

96. Accedit incertitudo, quae ex designatione in genere facta potest derivari. Nam finge v. g. a Caio commissum fuisse Titio, ut procuratorem designet, optime potest contingere quod designatio cadat in personam Sempronii,

quae Caio est incognita; sed quomodo tunc poterit v. g. a Caio intimari Sempronio revocationem mandati?

97. Hisce non obstantibus dicendum designationem procuratoris ad matrimonium contrahendum in genere factam valere. Patet id autem tum ex intrinsecis, tum ex extrinsecis argumentis, quae saltem summatim indicabimus.

98. Argumento intrinseco probatur sustineri talem procuratoris constitutionem, notando quod, quidquid aliquibus placuerit, *de stylo Curiae Romanae passim admittuntur* (ait Riganti in Reg. **XLV** Cane. Ap. , n. 130) *mandata ad resignandum beneficia relicto in albo nomine procuratoris, qui postea in eo describitur.* Imo (prosequitur ipse Riganti) *generaliter* (seu quoad negocia in genere, v. g. alienationem, acquisitionem etc.) *quod de stylo omnium Curiarum tam ecclesiasticarum quam saecularium huiusmodi mandatiprocurae admittantur, cum dicatur certus et specialiter constitutus procurator, etiamsi in mandato fuerit relictum vacuum, seu album, in quo possit illius nomen describi, testantur Boer. Rovit.* etc., quos ipse Riganti citat.

99. Verum, quidquid esset per se dicendum de hisce mandatis generice conceptis, relate ad matrimonium specialis extat ratio cur mandatum debeat sustineri. Nam incommodum, quod aliqui pertimescunt ex hisce mandatis, seu difficultas revocationis mandati, non habet locum, quia in eo, ut etiam notat Riganti, *speciale est*, (quod nos ipsi inferius melius explicabimus) *ut contra iuris regulas subsistat revocatio mandati, etiamsi procuratori non sit intimata* etc.

100. Argumento vero extrinseco firmatur conclusio per auctoritatem S. C. Concilii et Rotae, ut notat vel ipse Riganti scribendo n. 132 : « Et huiusmodi stylo (seu admittendi procuratores sic generice constitutos) inhaerendo Sacra Congregatio Concilii die 7 maii 1701 validum declaravit matrimonium contractum per Ioannem Baptistam Piccino cum Anna Rollo mediante mandato procurae specialiter exarato

ad matrimonium contrahendum cum ipsa Anna, sed relicto nomine procuratoris in albo, quod postea a patre ipsius Annae fuerat repletum; et in fortioribus terminis alterius matrimonii contracti cum mandato procurae extenso in folio albo, cui vir solum subscripserit sub illis verbis : *constituo ut supra,* quod valide vigore dicti mandati postea repleti fuerit contractum, respondit *Rot. in Neapolitana* Matrimonii 18 iunii 1703 coram Ansaldo ».

101. Sacra Congr. Concilii nostris quoque temporibus seu die 7 aprilis 1883 *(in Neapolitana Matrim.)* validum habuit in secunda instantia (ut iam superius nos notavimus) matrimonium celebratum a Leone cum Eleonora in vim mandati a Leone dati per folium in albo a se et a duobus testibus subscriptum, quodque postea fuerat executioni demandatum inscripto ibidem nomine cuiusdam Iosephi, qui Leoni erat ignotus.

102. Ut vero quaestio de procuratoris persona sit undequaque absoluta, manet inquirendum, num absens ad id muneris deputari valeat. Investigandum scilicet manet num v. g. Titius Neapoli degens Petrum Taurini commorantem procuratorem sibi constituere valeat ad matr. ineundum cum Livia. Respondetur autem affirmative. Reapse, ubi nihil speciale decretum est (ut in casu contingit), dimetienda est procuratoris ad matrim, deputatio secundum normas coeteris procuratoribus communes. Iamvero monet Paulus (Fr. i D. *Mandati vel contra) : Obligatio mandati consensu contrahentium consistit. Ideo per nuncium quoque vel epistolam mandatum suscipi potest.*

103. Coeterum veritas conclusionis firmatur superius allatis resolutionibus S. C. C, nam procuratores per folium in albo deputati consuevere magis esse absentes. Et reapse ita verum fuit v. g. in resolutione sub die 2 aprilis 1883 *in Neapolitana.*

Carolus Lombardi
*Prof. in Pont. Seminario Romano.*

*(Sequitur)*

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE APOSTOLICAE

**Quibus in Urbe abolentur paroeciae S. Thomae " in Parione „ et S. Luciae " del Gonfalone „, ac instituuntur paroeciae S. Mariae ad Aedem Novam et S. Ioachimi in pratis.**

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

Almae Urbis Nostrae conditiones novae, cum necessitatem alias res novandi invexere, tum illud iamdudum postulant, ut praesens paroeciarum distributio, quippe quae multis partibus desierit esse opportuna, commutetur. Harum enim, amplificata magnis cum aedificiorum accessionibus civitate, ingens disparitas consecuta est: quum quidem interiores quae sunt paroeciae, exiguis circumscriptae finibus, exiguum complectantur incolarum numerum, quae vero in regionibus sunt extremis et latissime pateant et incolis redundent adeo, ut non, quemadmodum oportet, curationi satisfiat animarum. Quapropter Leo XIII fel. rec. decessor Noster, paroecias ipsas aequabilius atque ad sacrorum administrationem accommodamus partiri cogitans, anno MDCCCCII idoneis delectis viris provinciam mandavit excogitandae communiter rationis, qua id effici propositum posset. Mandatum hi nuper exsecuti, repertam a se rationem ad nos detulerunt: quam tamen non uno eam tempore totam, sed partim ac sensim adducere ad effectum decrevimus. — Itaque initium rei facientes his Litteris, Nos, de plenitudine Apostolicae potestatis, paroecias exstinguimus et abolemus duas, id est Sancti Thomae in vico *Parione* et Sanctae Luciae quae vernacula lingua dicitur *del Gonfalone:* itemque duas earum loco instituimus fundamusque paroecias, id est, Sanctae Mariae ad Aedem Novam et Sancti Ioachimi in pratis. Ad quas bona, reditus et iura extinctarum paroeciarum omnia et singula transferimus : ita

quidem, ut quae fuerunt paroeciae Sanctae Luciae attributa, ea posthac ad paroeciam Sancti Ioachimi, quae autem paroeciae Sancti Thomae, illa ad paroeciam Sanctae Mariae pertineant. Utriusque vero novae paroeciae spatium eis continebitur terminis, qui postea ex auctoritate Nostra definientur.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod paroeciarum patroni sive ecclesiastici sive laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse : sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus

pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in Iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis, erectionis et translationis, derogationis, indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Nongentesimo Quinto, Kalendis Iunii, Pontificatus Nostri' anno secundo.

A. Card. Di PIETRO, *Pro-Datarius.*

ALOISIUS Card. MACCHI

*VISA*

DE CURIA I. DE AQ-UILA *e Vicecomitibus*

**Loco ^ Plumbi**

**Reg. in Secret. Brevium**

V. CUGNONIUS.

## LITTERAE

### Pii PP. X circa sacerdotes alienae dioecesis in Urbe commorantes.

**AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI**

**NOSTRO VICARIO GENERALE**

*Signor Cardinale,*

Il vivissimo desiderio che in questa Nostra Roma il Clero sempre più risplenda per la santità della vita e per la bene

ordinata disciplina, Ci ha indotto più di una volta a dirigere la Nostra parola a Lei, Signor Cardinale, affidando al suo zelo e alla sua prudenza quei mezzi che Ci sembravano adatti allo scopo. Ora il medesimo desiderio richiama *Y* attenzione Nostra su quella parte di Clero che dalle varie diocesi d'Italia e anche dall'estero affluisce a questa Metropoli. Il Nostro Predecessore Leone XIII di s. m. impartì, riguardo a ciò, sapientissime disposizioni, sopratutto col Decreto che per suo ordine fu emanato dal Cardinal Vicario il 9 Luglio 1890 e con l'altro della S. Congregazione del Concilio del 22 Décembre 1894 (1). Siccome poi **1'**esperienza ha suggerite opportune modificazioni a quelle leggi per renderle più efficaci; Noi, confermando in parte, e in quanto è necessario modificando le accennate disposizioni (2), stabiliamo quanto segue :

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 27, **p. 3,3.**

(2) **Emus Urbis Vicarius, hasce Litteras Summi Pontificis ad locorum Ordinarios mittens, sequentia addit:**

*Illfho e Revmo Monsignore,*

**Trasmetto copia della lettera che il S. Padre si è degnato indirizzarmi, per esprimere la sua volontà in ordine al clero che dalle varie diocesi del mondo cattolico affluisce qui in Roma.**

**In tale occasione adempio anche gli ordini di Sua Santità, facendo noto alla S. V. Illma e Revma una disposizione che la stessa Santità Sua si è degnata di dare, a complemento di quanto è stabilito nella lettera del 5 Maggio** 1904 **a me diretta, riguardante i chierici e i sacerdoti studenti in Roma, e che fu trasmessa per ordine del Santo Padre a tutti i Vescovi.**

**Tale disposizione si riferisce agli ecclesiastici studenti nella Università governativa, per i quali è desiderio del Santo Padre che si apra in Roma un Istituto apposito, dove, oltre gli aiuti necessari alla loro coltura, si offra loro il mezzo per mantenersi nello spirito della vocazione ecclesiastica.**

**Siccome però questo Istituto non potrà aprirsi subito, e d'altra parte l'esperienza ha dimostrato che le necessità dell'orario e delle altre esigenze di questi studenti universitari non si possono sempre conciliare con la disciplina dei Seminari, il Santo Padre vuole che quegli ecclesiastici, i quali per le ragioni suddette non potessero essere ricevuti in uno dei Seminari già esistenti, non vengano in Roma.**

i°. Quei sacerdoti di altra diocesi che desiderano fissare in Roma la loro stabile dimora, debbono prima inviare al Cardinal Vicario la domanda* corredata dagli opportuni documenti e sopratutto dall' esplicito consenso dell' Ordinario, il quale dovrà anche esprimere il suo giudizio sui motivi che si adducono per ottenere la grazia. Riserviamo però esclusivamente a Noi la facoltà di concedere il permesso richiesto.

2°. Quei sacerdoti di altra diocesi che vengono a Roma per dimorarvi qualche tempo, debbono subito presentarsi agli Uffici del Vicariato per esibire il *Discessu* del loro Vescovo, nel quale dovrà essere espressamente dichiarato il motivo della venuta in Roma, e il tempo concesso per rimanervi, che per le diocesi d'Italia non potrà superare i tre mesi e per quelle dell' estero i sei. Qualora poi fosse necessaria una proroga, dovrà questa essere richiesta direttamente dall'Ordinario.

3°. Questi sacerdoti dovranno ottenere dal Vicariato anche T approvazione del domicilio da essi scelto in Roma.

4°. A quelli che non obbedissero a taji disposizioni dovrà essere assolutamente vietata in quest'Alma Città la celebrazione della S. Messa, informando di ciò i rispettivi Ordinari.

**Raccomando pertanto caldamente alla S. V. Illma e Revma di non concedere il permesso di venire qui per il prossimo anno scolastico ad ecclesiastici studenti di Università, se prima non risulti direttamente alla S. V. Illma e Revma l'accettazione di essi in qualche Seminario.**

**Se non vi sarà posto per tutti, converrà per il momento astenersi dal mandare in Roma gli ecclesiastici allo scopo suddetto, servendosi piuttosto delle Università della propria regione.**

**Comunicati così gli ordini di Sua Santità, Le bacio il S. Anello e, con profondo ossequio, mi professo**

**Della S. V. Illma e Revma**

**Roma,** 16 **Agosto** 1905.

**Devmo Servo**

PIETRO RESPIGHI, *Card. Vicario*

5°. Ad evitare il pericolo che sacerdoti dimoranti provvisoriamente in Roma assumano uffici che importano una stabile o lunga dimora, vogliamo che, come è stabilito per i sacerdoti appartenenti al Clero Romano, così i forastieri non possano essere ammessi a concorsi di sorta, nè ottenere uffici, benefici o qualsiasi altra occupazione, senza l'esplicito consenso del Vicariato.

6°. Qualora mancasse questo consenso, si debbono ritenere come irrite e nulle così le ammissioni a qualunque concorso, come le nomine a benefici, uffici od a qualsiasi altro impiego.

7°. Tali disposizioni debbono valere in ogni caso, e per qualunque autorità, anche degna di specialissima menzione, senza eccettuarne alcuna.

8°. Quanto poi ai sacerdoti di altre diocesi, attualmente dimoranti in Roma, Ella, Signor Cardinale, permetterà la permanenza a quelli che hanno qui un beneficio o un ufficio ecclesiastico propriamente detto, o vi dimorano, senza computare gli anni di studio, almeno da dieci anni, col consenso dei loro Ordinari e senza aver dato motivo ad osservazioni sulla loro condotta. Gli altri dovranno ritornare alle loro diocesi, o procurarsi altrove una occupazione col consenso dei loro Vescovi.

Nella certezza che queste Nostre ingiunzioni verranno esattamente eseguite, impartiamo di tutto cuore a Lei, Signor Cardinale, e a tutto il Clero e popolo di Roma l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 6 Agosto 1905.

PIUS PP. X

ACTA ROM CONGREGATIONUM

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ORDINIS S. BENEDICTI

**Dilata professione solemni non est iterum exquirendum votum Capituli Conventualis.**

*Beatissime Pater,*

D. Maurus M. Serafini O. S. B. Abbas Generalis Congregationis Cassinen. a primitiva observantia, pedibus Sanctitatis Tuae provolutus, sequentia exponit:

Ex decretis Apostolicis *Neminem latet* et *Perpensis,* et ex declarationibus super iisdem, a S. Congr. de Statu Regularium emissis, tam pro religiosis quam pro monialibus post vota simplicia ad professionem solemnem admittendis, requiritur votum Capituli Conventualis, quod quidem votum non deliberativum sed mere consultivum est, ad instructionem animi Superioris. Qui Superiores, iustis de causis, professionem solemnem differre possunt ultra statutum triennium, non tamen ultra aetatis annum vigesimum quintum. Hinc saepe contingit ut Superior, post auditum Capitulum Conventuale, dilationem decernat. Quapropter quaeritur:

I. An dilata professione solemni post Capituli votum, Superior teneatur iterum exquirere votum Capituli, cum tempus advenerit admittendi candidatum ad professionem solemnem? — Et quatenus *affirmative;*

IL Quaenam temporis dilatio talis censeri debeat, ut Capitulum Conventuale iterandum sit?

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regu-

larium praeposita, re sedulo perpensa, respondendum censuit prout respondet :

Ad I. *Negative* (i).

Ad IL Provisum in primo.

Romae, die 18 Augusti 1905.

D. Card. **FERRATA**, *Praefectus.*

L. S. Philippus Giustini, *Secretarius**

## UTINEN.

### IURIUM ET EXEMPTIONIS

**Ecclesia Regularibus concessa, adimpleto pacto reversivo,. regularis esse desinit.**

**Factispecies.** Conventus et sanctuarium S. Antonii loci *Gemona* in dioecesi Utinensi prius ad Minores Conventuales pertinebant, deinde vi suppressionis saec. xvni peractae in proprietatem municipii eiusdem oppidi devenit. Tunc Episcopus dictam ecclesiam erexit in succursalem paroeciae ibidem extantis. Anno autem 1845 idem municipium sanctuarii et monasterii usum cessit Fratribus Minoribus cum adnexa conditione ut, Religiosis quacumque de causa etiam vi maiori desinentibus, utrumque ad Commune loci rediret; prouti revera accidit a. 1867 ob italicam Ordinum suppressionem. Eodem anno municipium custodem ecclesiae S. Antonii nominavit unum ex iisdem Minoribus sub dependentia tum Archipresbyteri quoad sacras functiones tum Fabriceriae laicalis: quoad administrationem redituum; et tandem a. 1902 custodiam sanctuarii, cum quadam monasterii parte ab incendio- eiusdem anni non destructa, tribus Fratribus Minoribus ad tempus indeterminatum concessit.

**(i)** HOC **enim eruitur tum ex indole ipsius voti, quod est tantum consultivum, tum ex eiusdem fine, quum admissio vel dimissio deliberativa professi simplicis soli Superiori competat. Notandum praeterea est nec primum votum consultivum Capituli Conventualis in quibusdam Ordinibus vigere** *(N. R.).*

Interea Archipresbyter oppidi *Gemono,* in praefato sanctuario festivitates S. Antonii et SSmi Rosarii aliasque sacras functiones semper peregit; ata. 1902 Pater Guardianus, existimans hoc in regularis disciplinae praeiudicium vergere, disposuit ut solemnitas S. Antonii a solis Religiosis celebraretur. Hinc parochus ad hanc S. C. recursum obtulit.

**Animadversiones.** Archipresbyter contendit ecclesiam S. Antonii esse paroeciae succursalem: hocque ostendere-nititur, sive ex quadam scripta memoria a. 1893, quae refert dependentiam sanctuarii a parocho, sive ex actis S. Visitationis a. 1889 confirmantibus ex pacto convento ius parochi ibidem celebrandi festa S. Antonii et SSmi Rosarii, sive demum ex tribus testibus qui sub iuramento deponunt Archipresbyterum praeter dicta festa etiam processiones et sacra Tridua peregisse.

Ex adverso Fratres Minores asserunt Archipresbyterum solemnitates in casu celebrasse non iure proprio sed ex speciali invitatione quolibet anno a Religiosis facta, uti nonnulli ex ipsis testantur. Hoc autem ius consuetudinarium inducere nequit, quum locum habuerit et interruptio per festa celebrata ab altero parocho viciniore, a quodam Episcopo et ab ipso Patriarcha Venetiarum. Praeterea nullum documentum extat, quod confirmare possit conventionem a parocho allatam. Caeterum, concludunt, etiam post a. 1867 familia Franciscana, licet diminuta, in Conventu S. Antonii perseveravit, ac proinde ecclesia nunquam e suo statu regulari excidit.

**Dubium.** *Se e come il Revmo Arciprete di Gemonapossa celebrare le funzioni ecclesiastiche nella chiesa di S. Antonio nelle solennità di S. Antonio da Padova e del SS. Rosario, 0 in occasione di funzioni straordinarie, quali sono visite giubilari, tridui per ptibbliche calamità, etc.* (1).

**(i)** *An et quomodo Revmus Archipresbyter loci* **Gemona** *ecclesiasticas functiones celebrare possit in ecclesia S. Antonii in solemnitatibus S. Antonii a*

**Decisio.** S. Congr. Episcoporum et Regularium, re sedulo discussa, die 27 Ianuarii 1905 responsum dedit:

*Quoad sacras functiones in dictis festis S. Antonii et Sacratissimi Rosarii, excluso quocumque alio onere, servetur solitum, et ad mentem. Mens est:* « che le altre funzioni vengano da Mons. Arcivescovo e dal P. Provinciale *ex bono et aequo* determinate in apposito elenco, affine di evitare future questioni » (1).

**Colliges.** i°. Ecclesia est regularis ac proinde exempta ab Ordinarii iurisdictione si ad Regulares pleno iure pertineat, non autem si sola eiusdem custodia ipsis concredita sit.

2°. In casu, quum clausula reversionis per italicam bonorum ecclesiasticorum eversionem impleta esset, ecclesia S. Antonii cum adnexo Conventu in dominium vel saltem in iuspatronatus municipii rediit.

3°. Hinc dicta ecclesia e suo statu regulari excidit, quem nec recuperare valuit quum nonnullis Religiosis ad solum usum commissa fuit.

4°. Constat denique de iure consuetudinario Archipresbyteri loci *Gemona* in praefato sanctuario festa S. Antonii et SS. Rosarii aliasque sacras functiones quotannis peragendi.

*Padua et SSmi Rosarii, aut occasione extraordinariarum functionum, uti sunt visitationes iubilares, Tridua pro publicis calamitatibus, etc. (V.R.).*

**(i)** *Mens est quod, ad futuras vitandas quaestiones, a Revino Archiepiscopo et P. Provinciali ex bono et aequo caeterae functiones in speciali elencho determinentur (V. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## GIENNEN.

### SERVITII CHORALIS

**Non sustinetur immemorialis praxis, etiam antiquis statutis firmata, certis diebus abessendi a choro et quotidianas distributiones lucrandi.**

**Species facti.** In ecclesia cathedrali Giennensi immemorabilis extat praxis, perantiquis statutis firmata, vi cuius Capitulares processioni interessentes, quae singulis Dominicis, persoluta in choro Hora tertia et ante celebrationem missae solemnis, ducitur intra ecclesiae ambitum, facultatem habent vacandi a choro una die intra sequentem hebdomadam, quin ius ad quotidianas distributiones et ad conciliares vacationes trium mensium amittant. Indultum huic simile vigebat etiam pro tonsione barbae, sed deinde revocatum fuit, uti testatur Garcia *(De benef., part. s, cap. 2, n. 245 et 246).* Modo Episcopus quaerit, utrum indultum illud ratione processionis tamquam legitimum retineri possit.

**Animadversiones.** Capitulum ad suum privilegium tuendum invocat tum statuta a pluribus Episcopis approbata, tum immemorialem consuetudinem, quae parit meliorem titulum de mundo, et praesumptionem beneplaciti Apostolici inducit iuxta caput *Super quibusdam,* § Praeterea, *De verb. signif,* ibi Glossa in verb. *Non extat,* et per Felinum in cap. *Accedentes, De praescript.,* et firmavit Rota, pluribus omissis, *dec. Jßp, n. 2 et 6* coram Caprara.

Quin ex adverso obiiciatiir per *cap. 12, Sess. 24 Conc. Trid. de Reform,* ablata fuisse omnia privilegia contraria; nam Garcia *(loc. cit., n. 189 et seq.)* ad dubium, an Trid. dum statuit non licere beneficiatis « *vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses a propriis ecclesiis abesse* »,

censeatur etiam abstulisse consuetudinem immemorialem, respondet *negative,* « quia consuetudo immemorialis numquam censetur sublata, nisi expressa mentio de ea in lege vel constitutione habeatur, nec comprehenditur in revocatione consuetudinis etiam cum ditione universali », et pluribus allegatis auctoribus citat etiam decis, rotalem in causa *Palentina-Iurisdictionis,* 25 Maii 1565 coram Orano.

Praeterea statuta Capitularia, etiamsi non essent iuri communi consona, ex peculiaribus circumstantiis ab hac S. C. aliquando conservata fuerunt, uti in *Anagnina-Servitii chori* 20 Nov. 1819. Neque relata praxis in choralis servitii detrimentum vergit, quia vacationes ita sumuntur ut semper congruus choralium numerus assistens divinis officiis remaneat, et aliunde non desunt Capitula quae privilegio mediariae vel tertiariae fruuntur. Item quotidianae distributiones in die vacationis conceduntur tamquam compensatio pro interventu in processione dominicali. Demum huiusmodi processio multum confert ad splendorem cultus et ad pietatem excitandam ; at, si revocatur vel aboletur indultum intuitu processionis concessum, forte vel processio amplius locum non habebit ob renuentiam interventus ex parte Capituli, vel saltem non fiet consueta pompa solemni, et hinc diminutio pietatis et etiam scandalum inter fideles eveniet.

Verum ex adverso recoli potest quod in *cap. un., de chr. non resid. in 6* a percipiendis fructibus quotidianisque distributionibus arcentur ii, qui in suis ecclesiis non resident et divinis officiis non intersunt; fructus enim praebendae sunt in praemium residentiae, distributiones vero in praemium interessentiae, iuxta Engel *(Ius. can., lib. ß, tit. 4, n. 24).* Requiritur proinde tum residentia in loco beneficii tum interessentia divinis, ut docent Passerini *(Comm. ad cap. un., de cler. non resid. in 6, n. 28 et 29),* Schimier *(Iurispr. can., lib. 3, tract, i,part. 2, cap. ß, n.ß8^),* et S. C C . in *Ff'isingen.-Residentiae,* 3 Iul. 1762. Tribus in casibus a Bonifacio VIII in cit. *cap. un., de cler. non*

*resid. in 6* permittit clericis absentibus ut tamquam praesentes habeantur, et absentes lucrentur quotidianas distributiones; si nimirum infirmitas, vel iusta et rationabilis corporis necessitas aut evidens ecclesiae utilitas eos a residentia excuset : quam Constitutionem renovavit Trid. *(Sess. 24, cap. 12 de Reform.)* et observari praecepit « non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ». Dantur etiam alii' casus, qui ad tres illos principales reducuntur, quos passim enumerant Doctores in Comm. ad *lib. ß Decret., tit. 4, de cler. non resid.;* inter quos et illud recensetur si canonici in aliquo casu absint, et nihilominus de quotidianis distributionibus participent ex indulto Apostolico, vel ex statuto ecclesiae per Sedem Apostolicam confirmato, ut docent Reiffenstuel *(Ius can., lib. ß, tit. 4, n. 214),* Fagnanus *(Cap.* Licet, *de praebenda n. Iß2 et seq.).* Requiritur enim, ut tale statutum sit per Sedem Apostolicam confirmatum, secus nullius roboris est, *ex cap.* Quod super his, *de maior, et obed.;* notatque Fagnanus ib. *n. 26* atque *ex cap.* Sicut olim, *de accus., n. 80 et seq.;* non enim inferior tollere potest legem superioris eique derogare, Passerini *(loc. cit., n. ijj),* ac proinde huiusmodi constitutiones in ea tantum parte, quae iuri communi non adversantur, exequutioni dandas esse declaravit S. C. C. in *Pisauren.-Camerariatus,* 21 Nov. 1761, § *Et ultra.*

Iam vero Capitulum Giennense probare nequit statuta suae ecclesiae auctoritate Apostolica fuisse roborata. Neque perfugium invenire potest in consuetudine immemoriali; nam, etsi haec explicite non sit reprobata a Conc. Trid. in *cap. 12, Sess. 24 de Reform.,* tamen est ab eodem expresse reprobata in *cap. ß, Sess. 21 de Reform.,* in quo sermo est de constitutione distributionum et earum assignatione tantum divinis officiis interessentibus « non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus ». Insuper per *cit. cap. 12* etiam consuetudinem immemorialem esse abolitam tenet Barbosa *(De can. et dign., cap. 2ß, n. 2),* et

adducit duas H. S. C. declarationes, nempe diei 6 Sept. 1576 et diei i Iulii 1597.

Deinde, praeterquamquod haec consuetudo est irrita ob Const. Pii IV *In Principis Apostolorum,* quae declaravit nullius roboris consuetudines Tridentino adversantes, reiicienda est etiam ex eo quod vergit in detrimentum divini cultus: nam finis legis constituendi distributiones, uti diserte traditur in *cit. cap. 3, Sess. 21 de Reform.,* is praecise fuit ut divino cultui accuratius prospiceretur. Neque aliquid ponderis habere potest in themate privilegium, quo nonnulla Capitula frui solent, mediariae vel tertiariae ; nam uti tradit Lucidi *(De visit. SS. Lim., lib. i, cap. ß, n. io)* hoc indulto illa tantum Capitula donantur quae non pollent conciliari vacatione trium mensium, quod non verificatur in Capitulo Giennensi.

**Responsum.** Emi Patres S. Congñis Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 18 Martii 1905 rescripserunt :

*Consuetudinem non sustineri; sed attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia ad septennium, facto verbo cum SSmo.*

**Colliges.** i°. Ad fructus beneficii quotidianasque distributiones lucrandas requiritur tum residentia in loco tum interessentia in choro; illi enim in praemium residentiae, istae in praemium interessentiae dantur.

2°. Ab hac generali regula tres tantum casus typici excipiuntur, quando nempe vel infirmitas, vel iusta et rationabilis corporis necessitas, vel evidens ecclesiae propriae utilitas excusant.

3°. Insuper in materia distributionum censetur nulla vel irrita quaevis consuetudo contraria etiam immemorabilis, necnon quodvis statutum Capitulare a S. Sede non confirmatum.

4°. Iure inspecto vigens Capituli Giennensis consuetudo sustineri nequit, at conceditur gratia, praesertim quia cultus splendor ac fidelium pietas occasione processionis dominicalis magis adaugetur.

# TARRACONEN.

## REMUNERATIONIS PRO COLLECTIONE MISSARUM

**Statuitur taxa trium pro centum favore collectons et distribuions missarum ex officio.**

**Factispecies.** Ex diuturno tempore in archidioecesi Tarraconensi quidem sacerdos, Ordinarii auctoritate, manuales missas colligit ac sacerdotibus distribuit, sibi retinendo quinque pro centum in retributionem laboris, in emptionem librorum rationum atque in damni compensationem, si forte monetas adulteratas aliquando recipiat. Huiusmodi collector singulis annis pro 4850 circiter missis collectis Archiepiscopo rationem reddit, qui praeterea dioecesano missarum acervo ob stipendii penuriam pro missis celebrandis non parvas pecuniarum summas, quibus ipse libere uti potest, applicat. Modo actualis missarum collector, ob decretum H. S. C. *De observandis et evitandis* 11 Maii 1904 (1) anxietate affectus, saltem ad tempus postulat facultatem retinendi dictam stipendii partem ; quod Archiepiscopus enixis precibus commendat.

**Animadversiones.** Preces oratoris, iustitia et Evangelii dictamine perpensis quod nempe *dignus est operarius mercede sua,* videntur excipiendae, quia ipse pro collectione et distributione missarum revera laborem quemdam impendit, qui proportionatam meretur retributionem. Decretum vero *De observandis,* praecipiens sub n. 9 eleemosynam missarum : « nunquam... posse imminui, sed celebranti ex integro... esse tradendam », non videtur afficere praesentem casum, in quo agitur de iusta mercede pro labore et expensis administrationis. Imo doctores tradunt, quod si quis ex officio missarum eleemosynas colligit et distribuit, moderatam mercedem pro labore exigere vel retinere potest, si labor vere mercedem mereatur nempe secundum « iustum officii et laboris pretium », ut ait D'Annibale *(Summ., part. ß, n. ipi).*

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 36, pag.** 672.

Praeterea collectio et missarum distributio necnon emptio librorum rationum revera expensas requirunt: pro quibus compensationem deberi probati auctores admittunt; sicut compensandum est damnum ex monetis adulteratis derivans.

Nec obiici potest responsio H. S. C. in *Compostellana* i Sept. 1894 (i); agebatur enim de parochis, quorum officio cohaeret administratio oblationum ; vel de Officiali Curiae, cui ex suipsius officio cura pecuniae depositatae competebat. Accedit quod attenta penuria stipendiorum, in bonum ipsius archidioecesis vergit officium collectons, cui Archiepiscopus Tarraconen. aliquid rependi valet ex pecuniis a se oblatis.

Sed ex adverso nihil ex missarum eleemosynis detrahendum esse videtur. Decretum enim *De observandis* expresse praescribit: « eleemosynam nunquam... imminui posse, sed celebranti ex integro... esse tradendam... sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis... contrariis ;... officii singulorum Ordinariorum erit curare ut... habeantur libri, in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur », quin aliquod detrahi possit pro opera praestita vel pro rationum libris. Quod si requiratur collector et distributor missarum, hoc erit in utilitatem ipsius dioecesis, ideoque si aequitas suadeat ut illius opera compensetur congrua retributione, haec aliunde non autem ex missarum eleemosynis desumenda est. Caeterum omni in casu retentio quinque pro centum plus aequo aestimari potest, eo vel magis quod collectori non mediocrem fructum afferat.

**Resolutio.** Emi Patres S. Congr. Concilii, re mature discussa, die 18 Martii 1905 respondendum censuerunt:

*Pro gratia, ad quinquennium, retinendi tria pro centenis, facto verbo cum SSmo.*

**Colliges.** i°. Collector et distributor missarum ex officio, nisi aliter compensetur, moderatam mercedem pro labore et

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 27, **pag.** 553.

administrationis expensis licite exigere vel retinere sibi potest ex missarum stipendiis.

2°. Quapropter in casu aliisque huic affinibus statuta fuit taxa trium pro quolibet centenario.

## TRIVENTINA

### ADIUDICATIONIS REDITUUM

**Augmentum congruae pro domo parochiali cedit in favorem Vicarii curati, non autem Capituli Cathedralis.**

**Species facti.** In ecclesia cathedrali Triventina, quae est etiam unica civitatis paroecia, Capitulum curam habitualem animarum habet, quam per Vicarium curatum amovibilem exercet. Capitulum a municipio ducata 180 (seu circiter lib. 765) pro massa communi percipiebat, ex quibus 15 Vicario quotannis pensitabat. At, post italicam rerum ecclesiasticarum eversionem, praedictam summam Fundus cultus pro parochiali congrua solvit, ita ut lib. 510 parocho et aliae lib. 255 coadiutoribus sint assignatae; de facto tamen haec parochialis congrua, detractis lib. 43 pro Vicario, massam capitularem constituere pergit. Canonici vero, iuxta conventionem inter ipsos et Vicarium initam, ipsum coadiuvare tenentur in sacramento poenitentiae administrando praesertim in solemnitatibus, dum ipsi, exceptis iuribus baptismi et matrimonii ad Vicarium unice spectantibus, aliis proventibus stolae albae et nigrae fruuntur. A Capitulo praeterea deputantur sex portionarii, qui suppetias ferant Vicario, ac interea ad dimidiam cuiusvis canonici partem nec non ad utriusque stolae incerta ius habeant.

Modo accidit ut, opera Episcopi, Gubernium concesserit augmentum congruae parochialis ita distributum ut lib. 300 pro conductione domus parochialis, lib. 510 pro duobus coadiutoribus, et lib. 135 pro expensis cultus assignarentur. Actualis Vicarius integram lib. 300 summam, necnon du-

piam cuiuslibet canonici portionem ex lib. 510 sibi tribuendam esse sustinet; at obstat Capitulum, totum congruae augmentum in massam communem refundendum esse contendens.

**Iura Capituli.** Canonici in primis argumentationem suam: ex eo ostendere conantur, quod paroeciae onus sive morale sive materiale ipsi sustinent: nam non ex charitate dumtaxat sed ex officio tenentur Vicarium coadiuvare una simul cum sex coadiutoribus, quos de massa communi atque de incertis participare sinunt; missas parochiales per turnum celebrant,, et taxam lib. 150 ratione fructuum stolae Vicarii solvunt Gubernio, etc.

Animadvertunt praeterea emolumenta fuisse concessa paroeciae, non autem Vicario, qui quamvis coram Gubernio tamquam titularis appareat, talis revera non est; quum paroecia penes Capitulum resideat. Quibus accedunt tres conventiones Capitulum intqr et Vicarios initae, ubi statuitur omnia emolumenta paroeciae et ipsum congruae parochialis supplementum canonicis cessura esse. Iamvero haec statuta, utpote ab Ordinariis approbata, etiam in Curatos successores obligationem inducere valent, iuxta doctrinam a Ferraris traditam *(Bibl. can., v.* Capitulum, *art. ß, n. i et jß);* illa praeterea non solum nota erant actuali Vicario sed, antequam eidem delegatio curae animarum demandaretur, exhibita sunt ab eoque acceptata fuere.

Tandem Capitulum alludit ad decretum H. S. *C Ad dirimendas* 22 Febr. 1876 (i), ubi statuitur, iuxta ipsum, quod in nupera evolutione proprietatis ecclesiasticae, titulares paroeciarum percipere non possunt emolumenta a Fisco obtenta in maiori quantitate « quam ante bonorum direptionem percipiebant » ; Vicarius autem eamdem congruam hodie quam antea habet. Caeterum summa lib. 510. non pro augmento congruae sed pro coadiutoribus destinata a Gubernio fuit;

**(i) Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 36, p.** 684.

unde inter omnes canonicos est dividenda, qui Vicarium in animarum cura adiuvant.

**Iura Vicarii.** Ipse ante omnia contendit sibi tradendam esse summam lib. 300 pro conductione domus parochialis. Sane ex declaratione S. Poenitentiariae diei 4 Dec. 1899 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 32, pag. 505) patet congruam parochialem vel eiusdem supplementa a Gubernio italico parochis assignata, ex quibuslibet bonis derivantia, iis tribuenda esse, quibus a Gubernio ipso sunt destinata. Sicut enim defunctorum voluntates religiose servandas esse omnia iura clamant, ita et viventium intentiones; in casu autem intentio Gubernii gratificandi Vicarium curatum lib. 300 pro parochiali domo extra omnem controversiam posita est.

Parochi praeterea quoad oblationes, quae sive a fidelibus sive ab aliis in paroecia fiunt, iuris adsistentiam habent; ita Reiffenstuel *(Ius can., lib. ß, tit. ßo, n. ipo),* aliorum doctorum sententiam referens. Vicarius autem Cathedralis Triventinae est verus parochus, quia curam actualem animarum exercet nomine proprio, non autem nomine parochi principalis; nec officit quod ipse sit ad nutum amovibilis, nam « perpetuitas non est de essentia parochatus», uti docet Bouix *(De parocho, part. i, sect. ß, cap. 6)* pluribus S. C. C. decisionibus innixus. Capitulum, praesertim quoad confessiones audiendas, coadiuvat Vicarium, sed non totum paroeciae onus sustinet. Alia et quidem plurima sunt onera Vicarii, quibus satisfieri debet per tenuem summam annuam lib. 43 ; quae profecto dici nequit parochialis congrua, quam praecipit Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. iß de Reform.)* scutatorum saltem centum.

Insuper citatae conventiones non sunt ad rem, quia prohibent Vicario maiorem mercedem exigere ab ipsis canonicis non autem ab aliis et a Gubernio. Aliquam difficultatem facessere potest declaratio a Vicario antecessore a. 1895 emissa, vi cuius se suosque successores obligavit ad congruae augmentum in massam communem refundendum; sed haec declaratio

nulla existimanda est, utpote destituta beneplacito Apostolico, quod praerequiritur in rebus ecclesiae alienandis ac in eiusdem iuribus cedendis. Caeterum ille non potuit successores in ministerio obligare, quum parochi non titulo haereditario sed iure proprio sibi succedant. Eo vel magis quod oblatio dictae promissionis actuali Vicario facta quidem apparet, non constat tamen de ipsius acceptatione.

Decretum H. S. C. *Ad dirimendas* 22 Febr. 1876 potius contra Capitulum dimicare videtur. In hoc enim decreto sermo est de bonis massae communis a Gubernio direptis, et quae postea parochus « sub titulo congruae parochialis a Fisco accepit » ; at in themate massa communis Cathedralis Triventinae non fuit a Fisco direpta, sed eadem permansit.

Quod autem Vicarius ius habeat ad domum parochialem etiam ambigendum non est. Ita docet Garcia *(De beneficiis, part. ß, cap. 2, n. 179),* qui refert etiam declarationes H. S. C; Barbosa *(De off. et pot. parochi, part. i, cap. S, n. 34)]* Fagnanus *(in lib. ß Decret., cap.* Extirpandae, § *Qui vero, n. 12, iß et 20);* unde Barbosa *(loc. cit., cap. iß, n. 12)* concludit: « Idem censuit Congr. *(Concilii)* de domibus pro necessaria parochi habitatione intelligendum, quod de ecclesiis parochialibus decisum est omni contradictione remota». Cfr. etiam Ferraris *(Bibl. can., v.* Parochus, *art. 2, n. 16 et 94)* et alii ab eodem citati. Obiectio, quod actualis Vicarius propriam domum habeat, non est attendenda, quia illa est patrimonialis, dum parochialis est necessaria.

Item concedi videtur Vicario dupla pars canonica ex lib. 510; una enim pars eidem debetur uti parocho, altera uti canonico. Demum quum heic agatur de augmento congruae parochialis, iuxta *regulam iuris 42 in 6* « accessorium naturam sequi congruit principalis » ; at in casu ex congrua parochiali Vicarius duplam portionem sumit, ergo et de augmento congruae.

Altera summa lib. 135 pro cultus expensis impendenda est, uti omnes consentire videntur.

**Resolutio.** S. C. Concilii, re ad examen vocata, die 18 Martii 1905 ita rescribendum mandavit:

*Summam joo libellarum tribuendam esse Vicario Curato; libellas 135 erogandas esse pro expensis cultus sub Episcopi dependentia et vigilantia, et summam Jio libellarum dividendam esse prudenti Episcopi iudicio inter omnes, qui parochum in cura animarum coadiuvane*

**Colliges.** i°. Augmenta congruae parochialis, ex quibuslibet bonis promanantia, iuxta Gubernii italici assignationem tribuenda sunt.

2°. Parochi tamen de gremio Capituli, qui bona massae communis accipiunt a Fisco sub titulo congruae parochialis, sibi retineri tantum valent annuam portionem haud minorem ea quantitate, quam ante bonorum direptionem percipiebant.

3°. Summa pro domo parochiali assignata cedit in favorem illius, qui curam animarum actualem exercet.

4°. Remedia iuris, quae pro augendis reditibus exiguis ecclesiarum parochialium competunt, pro aedificatione parochialis domus valent.

5°. Conventiones etiam in perpetuum a. parocho initae non obligant suos successores in officio parochiali, nisi beneplacito Apostolico sint firmatae.

## NICOTERIEN.

### CANTORA TUS KT NOMINATIONIS PRO-VICARII GENERALIS

**Confirmatur nominatio ad dignitatem cantoratus facta ab Episcopo cum dissensu Capituli Cathedralis, non autem electio archidiaconi parochi in Provicaridm generalem.**

**Species facti.** Episcopus Nicoteriensis et Tropiensis a. 1900 Horatium Brancia, iam archidiaconum et parochum

Cathedralis, in Provicarium generalem dioecesis Nicoteriensis, anno autem insequenti fratrem eius Carolum ad dignitatem cantoratus nominavit. Exinde canonicorum irae ita efferbuere, ut servitium chorale desierit (quod tamen ex monito H. S. C. redintegratum fuit), et ob interventum fratrum Branda in solemni supplicatione Corporis Christi non pauci canonici interesse renuerint. Quare supplex libellus ab octo canonicis huic S. O. oblatus fuit, in quo petitur dictas nominationes, quippe in spretum Capituli factas, uti irritas declarari.

**Deductiones Capituli.** Eius defensor circa electionem Caroli Brancia ad cantoratum praemonet, quod tradit Glossa in *cap. 21 de elect. ad v.* Postulasti, nempe quod iure communi in electione praebendatorum Cathedralis Episcopus procedere debet cum canonicis, quia Episcopus est Capituli caput et canonici eius membra. Id potiori ratione asserit esse applicandum in dignitatum electione, uti tradit Leurenius *(For. benef., part. 2, sect. ß, cap. 2, q. 6jo, n. 2).* At in electione sacerdotis Brancia haec omnia pessumdata sunt, quum Episcopus, non obstante Capituli dissensu, ad nominationem devenerit. Nec praetermittere putat nimium favorem Episcopi erga familiam Brancia, cuius tertium fratrem a. 1901 canonicum Cathedralis elegit. Accedit quod Carolus Brancia dignitatem cantoratus, tum ob cantus gregoriani ignorantiam et ob alia peculiaria adiuncta, eo decore gerere nequit, quem SS. Canones praesertim vero Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 12 de Reform.)* requirunt, tum quia etiam est mens H. S. C. a. 1903 pandita ut illam dignitatem dimittat. Praeterea dicta electio irritanda est ex iure speciali Capituli Nicoteriensis, nam ex quadam tabula synoptica scatet abhinc 150 annis ad dignitates nonnisi canonicos de gremio Capituli fuisse nominatos, quamvis de iure communi dignitates non sint de Capitulo ; Cfr. De Herdt *(Praxis Capit., Cap. 8).* At Carolus Brancia nunquam fuit de gremio Capituli. Ipse quidem electus fuit a. 1891 canonicus tertiae erectionis, sed eiusdem

canonicatus bona Capitulo incorporata non fuerunt, quinimo tractu temporis perierunt.

Quoad vero electionem archidiaconi parochi Horatii Brancia in Provicarium generalem, patronus demonstrat incompatibilitatem huius officii cum officio parochi ob residentiam, qua hic adstringitur in munere parochiali. Sane S. C. EE. et RR. in una *Senen.* 20 Martii 1576 haec Episcopo scribi mandavit: « Questa S. C. non ha mai tollerato che chi ha cura di anime possa servire altrove nè ancora nella medesima diocesi per Vicario del Vescovo » ; necnon in *Oxomen.* 4 Augusti 1578: « La Congregazione non può consolare V. S., che si vaglia per Vicario del Curato d'Offagna, perchè di ragione il Vescovo non ha tal facoltà, nè pare alla Congregazione che si debba dare, essendo obbligato il Curato alla residenza perpetua » ; Bizzarri *(Collectanea, pag. 20p et 214).* Nec aliam sententiam tulerunt doctores, inter quos Ferraris *(Bibl. can., v.* Vicarius generalis, *art. I, n. 2J),* qui testatur ita decisum fuisse ab H. S. C. sub die 12 Maii 1629. Cfr. etiam Gonzalez *(ad Reg. 8 Cane, gloss. 6, n. 2j8),* Barbosa *(Ap. Dec, v.* Vic. gen. Episc, *n. j),* Santi *(Prael. can., lib. i, tit. 28 de offic. Vic, n. 28).* Neque, addit, admittendas esse rationes adductas ab Episcopo ad archidiaconum in suo officio manutenendum, nam facile inter alios Capitulares inveniuntur personae idoneae, quae praeterea eadem mercede contentae erunt, quam nunc percipit archidiaconus, incertis nempe Curiae. Demum in casu peculiares habentur circumstantiae, quae remotionem Vicarii suadent.

**Deductiones fratrum Brancia.** Ipsorum patronus primo loco contendit factam cantoratus collationem validam esse. Sane assertum iuspatronatus passivum pro collatione cantoratus non favet Capitulo Nicoteriensi ; tum quia iuspatronatus, utpote servitutem ecclesiae importans, est odiosum, ac proinde ab allegante plene probandum est, imo in dubio standum est pro libertate ecclesiae; tum quia revera illud

probari nequit. Tres enim sunt tituli originarii, in quibus nititur iuspatronatus, nempe dotatio vel fundatio, privilegium:: et praescriptio; atqui ex nullo horum trium derivari probatur praesumptum iuspatronatus cantoratus in Capitulo.

Verum Carolus Brancia ante cantoratus consecutionem vere canonicus de gremio Capituli extitit; novus enim canonicatus ei assignatus est cum omnibus iuribus, honoribus et praeeminentiis una cum iure stalli in choro et cum voce activa, et passiva in Capitularibus sessionibus, nec non cum iure percipiendi portionem ex reditibus vulgo *Comunería* et de aliis adventitiis. Verum quidem est quod in Bulla collationis excipiantur iura praecedentiae ad canonicos tantum primae et secundae erectionis spectantia, sed exinde non profluit sacerdotem Brancia non esse proprie canonicum, cum ad hoc tantum sufficiat habere stallum in choro et vocem in Capitulo, iuxta communem canonistarum doctrinam; Barbosa *(De can. et dignit., cap. 12, n. i),* Reiffenstuel *(Ius. can., de can.,* n- *J7)y* et S. H. C. docuit in una *Ventimilien.- Vocis in Capitulo* 17 Dec. 1836. Neque obstare potest quod praebenda cantoratus defecerit ; nam quamvis ipsa ex magna parte sublata fuerit, tamen aliquid remanet exigendum ; caeterum etiamsi praebenda desierit, non ideo dici potest destructa canonia, eo vel magis quod cantoratui ius semper mansit ad partem comuneriae et ad funerum adventitia.

Demum indignitas promoti inepte adducitur ; cum nobilia munera tum ab Episcopo Ugentino tum ab Episcopo Nicoteriensi concredita, quae advocatus recenset, satis ostendant Caroli Brancia scientiam, prudentiam et pietatem.

Secundo loco patrocinator contendit deputationem archidiaconi Horatii Brancia in Provicarium generalem esse sustinendam. Quamvis enim per se et in genere officium Vicarii generalis cum officio parochi cumulari nequeat, in casibus tamen particularibus dari possunt exceptiones, sicuti dantur quando assumitur Vicarius generalis non exterus sed

dioecesanus, vel quando assumitur qui non est doctorali titulo insignitus sed caeteroquin idoneus. Unde canonistae loquentes de Vicario generali asserunt quod praxis excludendi parochos ab officio Vicarii « suas habere potest probabiles exceptiones, quae aut in singularibus eligendae personae meritis, aut in necessitatibus ecclesiae innituntur » ; Sebastianeiii *(De personis, lib. i, tit. io, cap. i, n. 248)* et Santi *(Prael. can., lib. i, tit. 28, n. 18).* Pellegrini vero *(Praxis Vic, art. i, mon. 4)* addit: « Fallit tamen conclusio haec in archidiacono, qui licet habeat curam animarum, nihilominus cum sit Vicarius natus potest exercere vicariam Episcopi » ; et Rebuf *(Praxis benef., tit. de Vic Episc, n. 28 et ßj)* in Vicario generali hoc unum maxime prae oculis esse habendum quod ipse sit « persona qualificata, circumspecta, bonae et approbatae vitae.... temperata, fortis, magnanima, docta et quae non declinet neque ad dexteram neque ad sinistram », in caeteris non difficulter obtineri posse dispensationem.

Superius autem exposita in casu eo magis congruunt, quia archidiaconus Brancia cum plures habeat coadiutores in ministerio curae animarum, per hoc impediri nullimode potest ab exercendo Vicarii munere. Quod si adducta motiva satis non sint ad factam deputationem sustinendam, advocatus petit ut saltem benigna sanatio et dispensatio impertiatur, cum hoc maxime sit in votis ipsius Episcopi.

**Dubia.** I. *An electio sacerdotis Caroli Brancia ad Cantoratum in ecclesia Cathedrali sustineatur in casu.*

II. *An deputatio Archidiaconi Horatii Brancia in Pro-Vicarium Generalem dioecesis Nicoteriensis sustineatur in casu.*

**Resolutiones.** Emi Patres Purpurati S. Congr. Concilii, omnibus perpensis, die 18 Martii 1905 rescripserunt :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Ad mentem.*

**Colliges.** i°. Iure antiquo canonicatus et dignitates spe-

ctabant ad simultaneam collationem Episcopi et Capituli, sed iure novo huiusmodi electio pertinet tantum ad Episcopum, et in mensibus reservatis ad S. Sedem.

2°. Dignitates ex canonicis de gremio Capituli non sunt necessario assumendae ; nec in themate aliquid valet contraria consuetudo, quum agatur de rebus facultativis, in quibus non currit praescriptio.

3°. Praeterea desinente praebenda canonicali non ideo destructus censendus est canonicatus.

4°. Iuxta praxim SS. Congregationum et communem doctorum sententiam, nisi accedat dispensatio Apostolica, nullus parochus eligi potest in Vicarium generalem dioecesis.

## NUSCANA

### IURIUM SEU PRIVILEGIORUM

**In Capitulo Montellano servanda sunt ius commune quoad nominationem curatorum, et resolutio Commissionis executivae Concordati a.** 1818 **quoad electionem canonicorum.**

**Factispecies.** Leo X per Bullam *Sacrosanctae* 31 Iulii 1515 plures ecclesias parochiales et non parochiales oppidi Montellae, dioecesis Nuscanae, cum suis reditibus univit et incorporavit ecclesiae matrici S. Mariae vulgo *del Piano,* quae in Collegiatam erecta fuit cum cura habituali et actuali adiunctarum paroeciarum et cum duodecim canonicatibus et duobus dignitatibus, Archipresbyteratu nempe et Primiceriatu. In hac Bulla singularia recensebantur privilegia; concedebatur enim canonicis facultas eligendi Archipresbyterum et Primicerium, reservata tantum confirmatione Ordinario loci, necnon alios canonicos et beneficiatos ab uno Archipresby-^ tero confirmandos et instituendos ; item, irrequisito Episcopo, nominandi Vicarios ad nutum amovibiles ad curam animarum exercendam. Quae privilegia confirmata deinde fuere per duo

Brevia Apostolica 24 Martii 1520 et 9 Apr. 1521, in quorum ultimo indultum fuit ut, Ordinario Nuscano renuente vel ultra biduum differente instituere electas a Capitulo dignitates, huiusmodi institutio a Metropolitano vel a qualibet alia persona ecclesiastica fieri posset.

Paulo postea Synodus Trid. *(Sess. 14, cap. 12 et iß ole Reform.)* statuit ut in patronatibus etiam ex fundatione et dotatione institutio sub poena nullitatis Episcopo reservetur, et *(Sess. 24, cap. 18)* arctiores leges adiecit ad coercenda patronorum privilegia et arbitria quoad paroeciarum provisionem, quodque *(Sess. 2j, cap. p)* confirmavit. Vulgatis deinde Bullis Pii IV *Benedictus Deus, Sicut ad sacrorum* et *In Principis Apostolorum* super observantia decretorum Conc. Trid. et revocatione privilegiorum iisdem adversantium, Ordinarii Nuscani totis viribus conari sunt ut Capitulum Montellae ad Tridentinae legis observantiam revocarent ; sed frustra, nam instante Capitulo in suis privilegiis innumerae lites inter ipsum et Ordinarios exarsere. Verum quod Tridentina lege erat statutum deinde clarius evasit ex interpretatione data articulo x Concordati a. 181.8 a Commissione exécutrice ipsius Concordati initi inter S. Sedem et regem utriusque Siciliae. Per eam enim, sicuti pro Capitulis aliarum Cathedralium, declaratum fuit etiam pro Capitulo Montellano vi citati articuli cessasse omne privilegium electivum iuxta Bullam Leonianam; et haec decisio regio assensu munita a. 1845 eidem Capitulo indicta est, cui tamen indultum fuit ut ipsum in tribus ultimis mensibus episcopalibus posset idoneas personas ad vacantes canonicatus Episcopo pro institutione praesentare.

At secuta per Gubernium Subalpinum a. 1860 occupatione provinciarum meridionalium, Capitulum petiit et obtinuit regium *exequatur* Bullae Leoninae; tamen, etiam non obstante ratione invecta de patronatu municipii, ipsum legi eversivae assis ecclesiastici subiectum mansit, et sex tantum quotae curatae subtrahi potuerunt, quae inter canonicos dividebantur.

Anno autem 1866 Episcopus Nuscanus legalem protestationem contra Capitulum, sua independentia privilegia dictitantem, emittere censuit; imo a. 1873 quaestionem huic S. Ö. exposuit expostulans auctoritativam definitionem, sed causae tractatio variis de rationibus protelata fuit. interea eadem S. C. sanavit nominationem Archipresbyteri factam a Capitulo praevia tamen absolutione a censuris et sub conditione ut electus non uteretur praetensis privilegiis ; necnon ter vel quater annuit precibus Capituli nominandi titularem ad aliquam vacantem praebendam, clausula adiecta « pro hac vice tantum, et emissa declaratione standi cuicumque mandato S. Sedis super praetensis privilegiis». Sic res processerunt usque ad a. 1893, quo Capitulum gratiam iterum expetiit pro aliis duobus canonicatibus, sed ulterior concessio negata est, et Capitulum ipsum pluries invitatum fuit ad causam agendam, sed frustra; quinimo canonici, spretis legibus ecclesiasticis, a. 1903 nominationem ad vacantes canonicatus marte proprio attentarunt. Huiusmodi culpae condignas poenas luerunt canonici contravenientes, et tandem iura sua deducere et causam agere ad tramitem iuris consenserunt.

**Animadversiones Capituli.** Advocatus primo loco evincere satagit privilegia Capitulo Montellae per Bullam Leoninam concessa non fuisse abolita a Conc. Trid. *(Sess.* ***2j,*** *cap.* p *de Reform.)* ; hoc enim patet ex re iudicata S. Rotae in eadem causa *Nuscana- Canonicatus* 11 Martii 1647 *(Part. io, dec. ji, n.j et 8 recent. )* et relata a Card. De Luca *( Theatr. verti, et iust., de benef., disc. iy).* Tunc, spreto canonico electo ab Episcopo, causa adiudicata fuit electo a Capitulo, quia alternativa respicit tantum beneficia liberae collationis; canonicatus autem in themate ex Bulla Leonina erat obnoxius electioni Capituli Montellani, et cum vacasset mense Apostolico iuxta regulam 9 Cancellariae Apostolicae erat reservatus collationi S. Pontificis. Praeterea heic agitur de privilegiis concessis iam a 40 annis et ultra ante publicationem Conc. Trid., quaeque

Tridentinum non abolevit, uti tradit Ferraris *(Bibl. can., v.* Iuspatronatus, *n. 33).* Eo vel magis quod huiusmodi privilegia spectari debent tamquam nativa seu constituentia veluti legem et ordinationem erectionis ipsius Collegiatae, eorumque legitimum fundamentum in iurepatronatu ex fundatione est collocandum. Caeterum, etsi privilegia Capituli Montellae abolita fuerint a Trid., tamen in contrarium invaluit consuetudo trium fere saeculorum; vi cuius conatus omnes ab Episcopis facti, eligendi nempe canonicos, repressi semper fuerunt sive per imploratum Pontificis auxilium sive per ecclesiastici iudicis ministerium.

Secundo loco patronus contendit publicum conventum inter S. Sedem et utriusque Siciliae regem a. 1818 non reffagari Bullae Leoninae; licet enim in art. x eiusdem conventus sanciatur canonicatus primis anni sex mensibus a S. Sede et in reliquis sex mensibus ab Ordinariis in posterum esse conferendos, tamen articuli textus comprehendit tantum canonicatus liberae collationis non subiectos iuripatronatui. Canonicatus autem in Montellano Capitulo ante Concordatum ex Bulla Leonina non erant liberae Ordinarii collationis, sed ab ipso Capitulo conferebantur ; ergo ex eiusdem articuli contextu sunt exclusi. Idque confirmatur ex eo quod per legem generalem non revocantur privilegia specialia, quae non sint in corpore iuris clausa, sicut in casu, nisi de his mentio expressa fiat. Cfr. Ferraris *(Bibl. can.,* Privilegium, *art. 3, n. ¿¡.8),* et Reiffenstuel *(Ius. can., lib. 3 Decr., tit. 33, n. 128).*

Neque obstare putat declarationem factam a. 1845 a Commissione exécutrice Concordati, quod nempe non constabat de iurepatronatu Capituli Montellae. Sane, praeterquamquod praefata Commissio haberet dumtaxat facultatem exequendi non autem interpretandi vel derogandi textui Concordati, huiusmodi assertio veritate non fulcitur. Deficientibus enim, veluti in themate, titulis originariis erectionis vel fundationis ecclesiae patronatae, fit recursus ad titulos aequipollentes, inter

quos primum locum tenent praesumptiones et indicia. Iamvero, quum non constet ex quibus bonis facta sit erectio Collegiatae, in dubio praesumptio est quod facta fuerit ex bonis ipsius Capituli, iuxta doctrinam Pitonii *(Discept, iurispatr., disc, iy, nn. J-6),* quae firmatur a decisione H. S. C. *in um. Pinnen.-Canonicatuum* 29 Aug. 1857. Indicia habentur tum in eo quod petitio erectionis Collegiatae facta est a clero et populo Montellae, ipsisque directa fuit Bulla Leonina, quin ullimode appareat interventus Episcopi Nuscani, tum in eo quod subsequens restauratio Collegiatae atque extructio turris campanariae non aere Episcopi sed expensis municipii et canonicorum peracta est.

**Animadversiones ex officio.** Contra praetensum Capituli Montellani ius observari potest quod Conc. Trid. *(Sess. 2$, cap. p de Reform.),* postquam egit de patronatibus ex causa gratuita seu ex privilegio haec statuit: « Reliqui patronatus omnes... seu privilegia... in totum prorsus abrogata et irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur...». Iamvero patronatus a Capitulo invocatus ex mero privilegio est; ex contextu enim sive Bullae Leoninae sive Brevium apparet dotationem ecclesiae Collegiatae factam fuisse non ex propriis bonis sed ex reditibus aliarum ecclesiarum matrici S. Mariae *del Piano* unitarum, super quibus non constant adesse municipii vel alterius iuspatronatus. Ad probandum praeterea primitivum iuspatronatus non sufficiunt indicia et praesumptiones , cum agatur de materia stricte rigorosa, in qua ut habet Trid. initio citati capitis : « plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiritur ».

Neque dicatur in themate privilegium esse praeservatum a lege Trid., quia excipiuntur patronatus iam a 40 annis existentes ante eiusdem Concilii publicationem; invocata enim exceptio tantum ad patronatus acquisitus « seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa », ideoque ad patronatus ex causa onerosa, refertur. Quod eo for-

tius videtur applicandum quia in casu res est de canonicatibus, quibus adnexa est cura animarum actualis et habitualis, quamvis eius exercitium geratur per sacerdotes a canonicis deputandos. Iam vero quod horum deputatio fieri possit etiam inaudito Ordinario, et item quod electis a Capitulo dignitatibus Archipresbytero et Primicerio Ordinarius teneatur dare institutionem intra biduum sub poena devolutionis ad alios Praelatos est vere singulare exemptionis privilegium, quod nedum ex mente Trid., iudicium idoneitatis remittentis exclusive Ordinariis, sed etiam ex Bulla Piana *In Principis Apostolorum* fuit revocatum. Quapropter inutilis videtur recursus sive ad centenariam observantiam, quae caeteris omissis non fuit pacifica, utpote fere semper oppugnata ab Ordinariis Nuscanis, uti probant lites exortae ; sive ad rem iudicatam Rotalem, quia ipsa facit statum tantum inter partes litigantes iuxta axioma : *res inter alios acta nobis neque nocere nec prùdesse potest.*

Nec alia videtur esse conclusio, si ipsa expendatur ad normam Concordati a. 1818 vigentis in regno Neapolitano. Sane ex interpretatione facta a Commissione executiva Concordati, regio assensu munita, articulo x dictae legis abolita sunt iura electiva privilegiata Capitulorum, uti factum fuit pro Capitulis cathedralibus Salernitanis, Campaniensibus et aliis, ita et pro Capitulo Montellano, quin aliquid deinde obtinuerint eiusdem recursus reiterati ad regem Ferdinandum II. Neque regeratur has declarationes, utpote emissas ab auctoritate incompetenti, nihili esse faciendas; contrarium enim revincitur ex decisione eiusdem S. C. in *Campanien.-Iuris conferendi canonicatus* 31 Ian. 1880, ubi in casu simili approbata et applicata fuit declaratio Commissionis executivae Concordati (i). Sed dato etiam quod dicta declaratio solido non nitatur fundamento, ipsa tamen a Capitulo fuit acceptata et

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. i 3, pag. 3 i 3-3 19.

per tria fere lustra pacifice executioni mandata, uti comprobat nedum relatio Episcopi Nuseani facta H. S. C. die i Maii a. 1873, sed etiam elenchus collationum 11 canonicatuum factarum ab a. 1845 usque ad a. .1858, modo a S. Sede et modo ab Episcopo Nuscáno secundum tempus vacationum beneficiorum. Atiqui privilegia per non usum seu tacitam renuntiationem amittuntur; et doctores innixi *leg. i, ff. de nundinis,* uti Engel *(Ius can., lib. 3, tit. 33, n. i p)* et Barbosa *(Collect., in lib. 3 Decret., tit. 33, cap. 6, n. 4 et seqq.),* tradunt sufficere quod non usus per decennium perduraverit.

**Dubium.** *An et quomodo iura seu privilegia concessa a Bulla Leonis X Capitulo loci* Montella *adhuc vigeant in casu.*

**Resolutio.** S. C. Concilii, omnibus hinc inde perpensis, die 19 Novembris 1904 sequens dedit responsum:

*Affirmative iuxta modum; et modus est ut in provisione paroeciarum seu nominatione curatorum servetur ius commune: in provisione autem canonicatuum servetur resolutio Commissionis executivae Concordati.*

**Novae animadversiones.** Huius resolutionis edita publicatione patronus Capituli novae audientiae beneficium petiit et obtinuit. Ipse libenter admittit cessationem privilegiorum quoad paroeciarum provisionem, in qua animarum salus exigit ut iuri communi stetur, sed non amplectitur alteram modi partem quoad canonicorum nominationem, quia secus Bulla Leonina funditus esset eversa, quod pugnat cum responso dato: *Affirmative.* Sane Commissio executiva Concordati a. 1845 in linea tantum gratiae permisit Capitulo Montellano, ut tribus postremis mensibus episcopalibus praesentare posset ad vacantes canonicatus: at in vim citati responsi privilegia Leonina Capitulo Montellae recognoscuntur; ergo decisio Commissionis executivae applicari nequit.

At ex adverso adnotandum est relatam arguèndi rationem, utpote nimis probantem, esse reiiciendam. Patronus enim admisit primam modi partem; at posito nuper allato

argumento totum temperamentum decisioni additum esset delendum, quod profecto pugnat cum declaratione ab ipso emissa de acceptatione cessationis privilegii quoad parochorum nominationem. Per editam itaque decisionem utique resolutum fuit concessa a Bulla Leonina privilegia adhuc existere, sed valde imminuta scilicet restricta ad ius Capituli tantum praesentandi ad vacantes praebendas in ultimo trimestri episcopali iuxta decisionem Commissionis executivae Concordati, et exclusa canonica institutione Ordinario reservata a Conc. Trid. *(Sess. 14, cap. 12 de Reform.).*

**Dubium.** *An sit standum vel recedendum a decisis in ¿asu.*

**Responsum.** Et eadem S. Congregatio, causa iterum ad examen revocata, die 18 Martii 1905 rescripsit:

*In decisis.*

**Colliges.** i°. Conc. Trid. admisit iuspatronatus ex causa onerosa seu ex titulo fundationis aut dotationis, et revocavit iuspatronatus ex causa gratuita seu ex titulo meri privilegii.

2°. Episcopi in propria dioecesi sunt ordinarii collatores beneficiorum omnium etiam iurispatronatus ex causa onerosa.

3°. In themate iura et privilegia a Bulla Leonis X concessa Capitulo Montellae quoad provisionem paroeciarum et canonicatuum abolita vel saltem imminuta fuerunt a Conc. Trid. et a Concordato inito inter S. Sedem regemque Siciliae.

4°. Quapropter perseverante cura actuali et habituali paroeciae penes Capitulum Montellani, eiusdem Vicarii curati eligendi et approbandi sunt ab Episcopo Nuscano iuxta praescriptiones iuris communis.

5°. Tamen, iuxta decisionem Commissionis executivae praedicti Concordati, Capitulo Montellano recognoscitur ius idoneas personas ad canonicatus vacantes praesentandi Ordinario pro canonica institutione, dempta prima dignitate Archipresbyteratus collationi S. Sedis semper reservata.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## POLICASTREN.

**Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Dominici Lentini, sacerdotis saecularis.**

Ad gloriam Dei et fidelium pietatem augendam valde confert series illa in Ecclesia catholica nunquam interrupta Christi Famulorum cuiusvis sexus, aetatis et conditionis, quorum vitae sanctimonia etiam prodigiis confirmata, populorum fama, laude et veneratione celebratur. Huc etiam spectant Causae beatificationis et canonizationis quae apud Apostolicam Sedem aguntur. Inter cetera nuper disceptatum est de signanda Commissione introductionis Causae Servi Dei Domiminici Lentini sacerdotis qui non in claustro sed in saeculo commoratus, haud obstante gravi rerum perturbatione temporumque acerbitate, sacrum ministerium Verbi Dei praedicatione clarisque virtutibus decoravit. Laureae in Lucanis et Policastren, dioecesi, die 20 Novembris anno 1770 ex piis honestisque parentibus Macario et Rosalia Vitarella ortus, statim regenerationis lavacrum recepit in paroecia Sancti Nicolai. Succrescente aetate christianae Fidei rudimenta ediscere curans, alios quoque ea docere satagebat. Sacro chrismate roboratus atque Angelorum pane refectus egregiae indolis et eximiae pietatis indicia portendere visus est. Egenos et pauperes singulari charitate complectens, subsidia in eorum levamen comparabat. Domi et in templo -orationi assiduus suavissimos ex hac devotione et mentis elevatione in Deum et in Sanctos Eius percipiebat fructus. Annum aetatis quartum decimum ingressus quum se ad sacra vocatum sentiret, annuentibus parentibus et consentiente Praesule, clericales vestes induit. Humanioribus litteris atque philosophicis sacris-

que disciplinis sedulam operam dedit, curione ecclesiae S. Nicolai Dominico Cosentini praeceptore. In episcopalem urbem Policastren, deinceps se contulit, ibique in dioecesano seminario incoepta theologiae studia una cum iure canonico diligenter prosequutus est. Rei familiaris inopia proposito consilio suscipiendi ordines aliquantulum obstitit; verum sedulitate atque industria adhibita, Deo adiuvante, voti compos factus, per minores gradus ad superiores ascendit; atque, de Apostolica venia super defectu aetatis, sacerdotali dignitate insignitus est. Novensilis presbyter mox in patriam reversus ad pueros adolescentesque instruendos omnem curam impendit, ut in Ecclesiae civilisque societatis spem accrescerent. Latinas graecasque litteras, et philosophicas theologicasque scientias discipulis tradidit. Animarum lucro praecipue intentus curare studebat, ut ipsi frequenter ad Synaxim accederent, sacris interessent, sanctissimam Eucharistiam visitarent atque indulgentiarum thesauros acquirerent. Neque id satis fuit Servo Dei; qui alteram sui muneris partem esse duxit falsas impiasque opiniones impugnare simulque audientium animos ad poenitentiam et ad vitam gratiae excitare. Quod fidelis Christi minister non modo e suggestu per publicas sapientesque conciones sed etiam in exedra confessionum per consilia, admonitiones et sacramentalem absolutionem salutariter perfecit. Charitate in Deum et in proximum incensus Beatissimam quoque Virginem aliosque caelites peculiari pietatis studio prosequebatur. Sibi austerus et parvo contentus, tenui victu cultuque utebatur; ceteris vero mitis, suavis et liberalis erat, adeo ut in patria finitimisque regionibus veluti Angelus divinitus missus haberetur. Verum Christi Famulus sacerdotalibus muneribus rite peractis, quum quartum supra quinquagesimum aetatis annum attingeret, lethali morbo affectus est. Divinae acquiescens voluntati, de Deo eiusque attributis deque catholica religione loqui delectabatur. Deficientibus viribus, omnibus Ecclesiae Sacramentis rite susceptis preces

psalmosque ingeminans, die 25 Februarii anno 1828, brachiis in crucem supra pectus conformatis, in pace quievit. Statim ad invisendas Servi Dei exuvias, cuiusvis ordinis cives etiam ex dissitis locis confluxerunt. Iusta funebria bis solemniter persoluta sunt quamdiu corpus in parochiali ecclesia S. Nicolai, in qua etiam tumulatum fuit, expositum mansit. Fama autem sanctitatis qua ipse vivens floruerat, post obitum, etiam assertis prodigiis aucta, illustrior evasit. Hinc super ea, auctoritate Ordinaria, in Curia Policastrensi inquiri coepit; sed variis de causis Processus acta intermissa, dein reassumpta et absoluta ad Sacram Rituum Congregationem tandem delata sunt. Scriptorum Servi Dei revisione peracta, quum nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, instante Illmo Dno Caio Firrao, equite romano, et Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Sacrorum Antistitum aliorumque ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 11 Aprilis anno 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum, relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Dominici

Lentini, sacerdotis saecularis, propria manu signare dignata est, die 12, eisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CADURCEN.

**Decretum confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven. Servo Dei Christophoro a Romandiola, Ordinis Minorum S. Francisci, Beato et Sancto nuncupato.**

Inter selectos S. Francisci Assisiensis discipulos et sodales qui ad Christi evangelium verbo et exemplo praedicandum ac propagandum missi fuerunt, conspicuum tenet locum Christophorus a Romandiola nuncupatus, qui antea parochus postea religiosus ab eodem sancto Patre legifero in suum primum ordinem cooptatus, fere centenarius, vitae sanctitate et ministerii operibus clarus, sancto fine et glorioso sepulchro apud Cadurcenses coronatus exhibetur. Ex actis enim processualibus atque ex vita de eo conscripta a Fr. Bernardo a Bessa Servi Dei socio et S. Bonaventurae a secretis plane liquet Christophorum saeculo xii circa annum 1172 ortum fuisse et quadragenario maiorem, parochi munere ad perfectiorem statum amplectendum dimisso, beati Patris Francisci Instituto nomen perlibenter dedisse. Adversus albigensium sectam per Aquitaniam furiose bacchantem tum militari manu tum sacris expeditionibus erat dimicandum. Hinc coniunctis viribus principum, inter quos emicuit comes montisfortis, et sacrorum Antistitum pro Christi fide magno animi ardore pugnatum est. Rogante Guillelmo IV de Cardaillaco, Cadurcensi Episcopo, eiusque munificentia Franciscalis Familia in Aquitania constituta est; atque Cadurci et alibi erecta coenobia, ipsomet Christophoro auctore et praeside cum legitimo sui Seraphici institutoris mandato. Servus Dei cum sociis to-

tus erat *ut* in haeresim lapsi ad veritatis lumen erigerentur atque omnes christiana fide bonisque moribus instructi illuc oculos animosque afngerent ubi veri thesauri et vera sunt gaudia. Austerae vitae tenore sibi proposito, in pauperes aegrotosque suam effundebat charitatem. Frequenti oratione Deo adhaerere atque Deiparam Virginem peculiari pietatis affectu prosequi in deliciis habebat. Unde *vere Christophorus, Christum ferens, in corpore per macerationem, in corde per devotionem, in ore per laudem et legis eius annuntiationem,* caelestibus etiam signis cohonestatus fuisse perhibetur. Felix Servi Dei transitus obtigit in conventu Cadurcensi, die 31 Octobris in pervigilio festi Omnium Sanctorum an. 1272 postquam ipse fratres ad se accitos de regno Dei suaviter alloquutus benedixisset, devotisque precibus suum spiritum Deo commendasset. Sacrum corpus in ecclesiam fratrum solemni pompa elatum, funere persoluto, unguentis summa suavitate conditis conspersum et in apposita lignea arca inclusum honorifice tumulatum fuit. Coepit illico Christophorus beatus et sanctus appellari atque populi devotione et prodigiorum multitudine inclarescere. De cultu vero immemorabili huius Servi Dei seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII postremis hisce temporibus actum est; curantibus Tolosanae regionis Pastoribus una cum Rmo Dno Aemilio Christophoro Enard, Cadurcensi Episcopo, qui per iudicem specialiter delegatum , super eodem cultu seu casu excepto, ad tramites iuris, processum ordinarium instituit atque subsequentem sententiam favorabilem protulit. Quibus omnibus una cum documentis authenticis ad rem pertinentibus Sedi Apostolicae reverenter subiectis, instanti Rmo Dno Bernardo Nardi Episcopo tit. Thebano, Ordinis minorum S. Francisci Capuccinorum postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis Emi et Rmi Dñi Cardinalis Lécot Archiepiscopi Burdigalensis et totius Tolosanae regionis Pastorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Franciscus Desideratus Mathieu huius Causae Ponens seu Re-

lator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia iudicis a Rmo Dno Episcopo Cadurcensi delegati super cultu ab immemorabili tempore exhibiti Servo Dei Christophoro a Romandiola sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Porro Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto etiam R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribere rati sunt: *Ajfirmative, seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit.* Die ii Aprilis 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 12, eisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «I» S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CONGREGATIONIS EREMITAR. CAMALDULENSIUM
### MONTIS CORONAE

**Circa Lectiones in festis S. Bedae Ven. et S. Thomae Ep. Mart., orationem S. Michaelis Arch., Suffragium de S.Maria, hymnos Passionis I. C. et Vexilla in feria VI Parasceves, ritum adspersionis et benedictionis Praelatorum.**

Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium, de consensu sui Superioris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

I. Quum per Decretum Generale d. d. 13 Nov. 1889 (i)

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 32, pag. 338.

festum S. Bedae Venerabilis ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, quaeritur: an utentes Breviario Monastico debeant recitare Lectiones pro universali Ecclesia per dictum Decretum approbatas, vel potius illas iampridem pro Ordine Sancti Benedicti concessas?

IL In Missa S. Michaelis Archangeli, Patroni Congregationis Eremitarum Camaldulensium, approbata per Decretum 22 Iulii 1809, duae habentur Orationes, quarum prima propria dicenda est ubi Sanctus Michael est Titularis ecclesiae vel Altaris, altera de Communi dicenda praescribitur, ubi Sanctus Michael Titulus ecclesiae vel Altaris non est. Quaeritur, utrum praedicta Oratio propria in locis, in quibus Sanctus Michael est Titularis, dicenda quoque sit in Officio, in Suffragiis autem altera de Communi?

III. Iuxta De Herdt (Ed. x, an. 1903, vol. 2, n. 368), qui citat Guyetum et Cavalieri, commemoratio S. Mariae non fit inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum (iuxta Rubricas, tit. 35, n. 4), sive coniungatur Officio diei, sive separatim recitetur ; sive ex devotione tantum, sive ex obligatione dicatur. Cum vero ex Constitutionibus Congregationis Eremitarum Camaldulensium dictum Officium parvum B. M. V., diebus quibus in Choro non dicitur, quotidie privatim ab unoquoque persolvatur, a supradicta doctrina perpetua omissio commemorationis eiusdem B. M. V. in Suffragiis sequeretur; hinc quaeritur, an commemoratio B. M. V. inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum, omittenda sit tam in Choro quam extra Chorum, sive dictum Officium parvum coniungatur Officio diei, sive separatim aut privatim recitetur, tam diebus quibus in Choro persolvitur, quam illis quibus in eodem omittitur?

IV. An Lectiones *A Mileto*, quae leguntur in festo S. Thomae Episc. Mart. considerandae sint tamquam propriae, vel solummodo propositae ex defectu Lectionum de Scriptura ? Quum in ritu monastico, Officium infra Octavam Nativitatis

duobus constet Nocturnis et tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium, ideo occurrente S. Thoma in Dominica, si dicantur Lectiones *A Mileto*, tunc feria II non haberet locum initium Epistolae ad Romanos, ut in ritu Romano, sed reponendum erit in festo S. Silvestri. E contra si Lectiones *A Mileto* uti propriae non sint considerandae pro S. Thoma, tunc in ritu monastico dicerentur de Scriptura in praedicta Dominica.

V. An hymni in Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. et in Officio votivo Passionis D. N. I. C, deficientibus propriis Vesperis, sint transponendi, et quid sit faciendum in defectu tam primarum quam secundarum Vesperarum?

VI. An in ecclesiis Congregationis Camaldulensis in processione feriae vi in Parasceve cantandus sit hymnus *Vexilla* prouti in Breviario Monastico, vel ut in Breviario Romano; Missale enim Monasticum nil dicit.

VII. Praelati omnes praedictae Congregationis ex consuetudine diverso ritu adsperguntur, h. e. non a superiori parte ad inferiorem uti reliqui, sed contrario a parte inferiori ad superiorem. Quaeritur, utrum eiusmodi ritus servari possit?

VIII. Iuxta consuetudines eiusdem Congregationis quando Prior hebdomadam munus subest, Sacerdos illi proximior Homiliae Lectiones legit, non enim decet Praelatum a subdito benedici , quod tamen in Superiore non Praelato nequaquam militat. Si ergo Prior Lectiones quoque ex necessitate aliave de causa legit, an alius pro eo debeat benedictionem petere et ipsemet Lectiones recitaturus benedictionem dare, vel dictus Prior debeat petere benedictionem cum *Iube domne* et sibi ipsi illam impertire, aut potius debeat petere benedictionem cum *Iube domne* et illi debeat dignior Sacerdos de Choro more solito benedictionem impertire?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis rescribendum censuit :

Ad I. Sumantur in casu Lectiones pro universali Ecclesia concessae.

Ad IL- Adhibeatur in omnibus ecclesiis Congregationis Oratio prima ac Patroni seu Titularis propria, tam in Officio quam in Suffragio ; mutato sic Orationis fine : *ut ipsius omniumque Angelorum memoriam colentes in terris, eorum quoque precibus adiuvemur in coelis.*

Ad III. *Affirmative* in omnibus, iuxta Rubricas Generales Breviarii, tit. 35, n. 4, et Decretum Generale, n. 4043, *Circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum,* 27 Iunii 1899 ad VI (i).

Ad IV. Initium Epistolae ad Romanos dicatur in casu die 31 Decembris in festo S. Silvestri.

Ad V. *Affirmative* in Officio tam festivo quam votivo ; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur hymnus *Moerentes,* omisso hymno *Aspice* utpote minoris momenti iuxta Decretum *Congregationis Eremitarum Camald.,* **II** Decembris 1903 ad II pro hymnis S. Mariae Magdalenae (2).

Ad VI. Attentis expositis, *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

Ad VII. *Negative;* et ipsi Praelati aspergantur iuxta ritum in universa Ecclesia receptum.

Ad VIII. Seclusa Rubrica peculiari per Apostolicam Sedem confirmata, Praelati Episcopo inferiores benedictionem a digniore persona expectent per verba *Iube domne,* eaque

(1) **Rubricae generales Breviarii** *(tit. 35, n. 4)* **statuunt: « Commemoratio de Sancta Maria non fit cum aliis quando dicitur eius Officium parvum, nec quandocumque fit Officium de ea ». Citatum autem decretum ad VI habet: « Notandum autem est commemoiationem Beatae Mariae Virginis communem omittendam esse in Choro, iuxta Rubricam, quum recitatur eiusdem Beatae Virginis Officium parvum »** *(N. R.).*

(2) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 36,-pag.** 489.

accepta, Lectiones per se legant, prouti ex Decreto n.-iio8 *Putignani Nullius,* 15 Februarii 1.659, ordinatur (i).

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

PENNEN.

**Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Gabrielis a Deipara Perdoiente, clerici professi e Congregatione Clericorum Regularium Excalceatorum a Christi Passione.**

Super dubio: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum; ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in* **Casu** *et ad effectum de quo agitur.*

Veneranda Christi religio, cuius tanta vis est, ut ex omni vitae genere queat fructus colligere sanctitatis, non eorum tantum copiam effudit, qui, publice ac veluti in acie dimicantes, rebus a se praeclare gestis terrarum orbem commoverunt, sed hominum etiam qui, intra domesticos parietes aut septa coenobii, disciplinam Domini perfecte custodientes, haud minorem virtutis laudem adepti sunt, iuxta illud: *maximi sanctorum Deo in secreto servire eligebant* (De Im. C, c. xx). In his est admirabilis adolescens Gabriel a Deipara perdoiente, quo nobili aemulatore Aloisii Gonzaga, Stanislai Kotska

**(i) Hoc decretum ita se habet: « Presbyteris matricis ecclesiae loci** *Putignani* **supplicantibus declarari: an canente nonam Lectionem digniore presbytero ac rectore eiusdem ecclesiae, debeat a digniore existente in Choro responderi :** *Ad societatem* **etc., aut postquam idem rector dixerit:** *Iube domne benedicere* **etc., absque alia benedictione, debeat a cantoribus responderi** *Amen?* **— S. R. C. rescribi mandavit: Digniorem praesentem in Choro benedicere debere, ac contrariam consuetudinem abusum et corruptelam omnino revocandam et abrogandam esse declaravit ».** *(N. R.).*

et Ioannis Berchmans iure gloriatur florentissima Congregatio clericorum a Passione D. N. I. C.

Ortum habuit Venerabilis Dei Servus Kalendis martiis anno MDCCCXXXVIII ex illustri familia Possenti, patriam nomenque sortitus Seraphici Patris Francisci- Vix quinquennis, amissa matre, Spoletium deductus est, ubi a scholarum christianarum sodalibus prima rudimenta pietatis attigit ac litterarum. Mox patribus societatis Iesu in disciplinam traditus, acri ingenio solidaque pietate sic enituit, ut e condiscipulis parem vix haberet quemquam. Fervida, qua erat indole, studiorum decursu visus est impensius, quam piissima eius indoles ac vita portenderet, cultui vestium aliisque, licet honestis, oblectamentis indulgere. Brevi tamen, variis tentatus morbis, reputare secum coepit, quam vana et fluxa essent terrena omnia, quam vera et firma caelestia, convertitque animum ad vitae genus, in quo non sibi iam aut mundo, sed Christo cruci adfixo unice viveret.

Itaque iv Id. septembr. an. MDCCCLVII, Dei spiritu actus, Monrovallensem secessum petiit clericorum a Christi passione, eique Congregationi se adscripsit, stupentibus qui eum noverant multis, quum vidèrent nitidum iuvenem et rriollibus pridem vestitum id genus institutum amplecti summo cum gaudio. Expleto tyrocinio, religionis vota rite concepit, quibus obstrictus christianae perfectionis viam alacriori in diebus studio et quotidianis ascensionibus cucurrit, ad eius normam sententiae : *iustorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.* (Prov. iv, 18). Quominus autem Apostolico ministerio fax esset praesidiumque gentibus, obstiterunt iniqua tempora, quibus factum est ut, minoribus ordinibus initiatus, non potuerit ad maiores promoveri. Neque tamen, quum lateret in Christo, sibi uni profuit, qui vel adspectu ipso atque incessu obvium quemque maxime commoveret et ad superna quodammodo raperei ; tanta in exemplo vis inest. Vitae innocentia et morum suavitate dilectus

Deo et hominibus, virgineo corpori castigando semper intentus, proximorum salutis caritate flagrans, Christi cruci adfixi ac Deiparae a doloribus memoriam tenerrime prosequens, id maxime ceterum cavit, ut a suae Congregationis disciplina et legibus ne transversum quidem unguem discederet.

Vix emenso sexennio a sacro inito sodalitio, iam caelo maturus, in secessu insulae apud Fiscellum montem, quo studiorum causa missus fuerat, gravi morbo correptus est. Cuius crescente vi, ubi supremam sensit imminere horam, Ecclesiae sacramenta eo pietatis sensu recepit, ut adstantium sodalium cieret uberes lacrimas. Tum denique invocatis Iesu, Mariae ac Iosephi sacris nominibus, fixis in caelum oculis ac veluti arcano visui subridens, animam efflavit placidissime III Kal. mart. an. MDCCCLXII.

In praeclari iuvenis tumulo non est consepulta fama virtutis eius ac sanctitatis, quam sibi vivens amplissimam cómparaverat. Quin etiam, et crebris ad illius cineres peregrinationibus et prodigiorum diuturna copia, in dies latius pervulgatus rumor movit animum sa. me. Leonis PP. XIII ut postulationibus plurimis, praesertim S. R. E. Cardinalium et Episcoporum satisfaceret, signando commissionem, quam vocant, introductionis causae, quod ipse praestitit Kal. iunii an. MDCCCXCVI. Consequuti deinde sunt Apostolici processus, quorum validitate comprobata, de gradu virtutum *heroico* Ven. Servi Dei disceptatum est apud SS. Rituum Congregationem : primum in antepraeparatorio conventu, in aedibus Card. Caietani Aloisi-Masella cia. me. quarto Kalendas sextiles an. MDCCCCIII; mox in praeparatoriis comitiis ad Vaticanum, quarto Kalendas quintiles an. MDCCCCIV in quibus Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella e vivis erepto in causae Ponentem Cardinalis Dominicus Ferrata suffectus est; tertio denique ibidem, in generali coetu coram SSmo D. N. Pio PP. X habito, sexto Nonas maii labentis anni. Quo in coetu,

a Revmo Cardinali Dominico Ferrata Causae Relatore, proposito dubio : « *A n constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, Ven. Servi Dei Gabrielis a Deipara perdolente, ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* » , Rmi Cardinales SS. Ritibus praepositi et PP. Consultores suam ordine protulere sententiam. Quorum suffragiis exceptis, SSmus Dominus mentem Suam aperire distulit, adhortatus qui aderant ut in re tanti momenti supernum lumen efHagitarent.

• Hodierno vero die Dominica nr post Pascha, dum catholicus orbis auspicato patrocinium recolit Sancti Iosephi, cuius tutela et dilectione, ob nominis et virtutum gloriam, speciatim gaudet Pius X Pontifex Maximus, acerbasque temporum aerumnas victrici tandem faustitate superare confidit, idem SSmus Dominus, Sacro religiosissime peracto, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus et pontificio solio assidens, Rmos PP. Cardinales accersivit, Aloisium Tripepi SS. Rituum Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, simulque R. P. D. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem, et me infrascriptum Secretarium, hisque adstantibus rite edixit: « *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum; necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis Ven. Servi Dei Gabrielis a Deipara perdolente, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum evulgari et in Acta SS. Rituum Congregationis referri iussit pridie Idus maias an. MDCCCCV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM
### INFIRMIS MINISTRANTIUM

**Circa usum privilegii de Officio votivo cum Missa.**

Rmus P. Ioachim Ferrini Clericorum Regularium infirmis Ministrantium Procurator Generalis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

In Indulto anni 1765 ampliatum per recens decretum diei io Iunii 1904 concessum fuit Congregationi Clericorum Regularium infirmis Ministrantium privilegium persolvendi Officium votivum cum Missa Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis primo cuiusvis mensis Sabbato sub quibusdam limitationibus. Rmus Praefectus Generalis eiusdem Congregationis cum suo Consilio nunquam intendit onus imponere suis subditis, qui ad chorum non tenentur et privatim Officium recitant, huiusmodi Officium votivum cum Missa persolvendi, sed tantum praescripsit, ut in singulis domibus Religiosae Familiae una Missa votiva, praedicta die Sabbati, iuxta privilegium celebretur, liberum de cetero relinquens suis alumnis, quoties uti possint privilegio, Officium cum Missa diei currentis vel Officium votivum cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione recitare. Quum vero nuper exorta sit quaestio circa usum enunciati privilegii, quaeritur: An huiusmodi privilegium sit de praecepto vel ad libitum?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis rescribendum censuit: In casu ad libitum singulorum, adnotato in Kalendario tum Officio cum Missa diei currentis tum Officio votivo cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione iuxta decretum n. 3594 *Aquen.* 19 Septembris 1883 ad i et 2 (i).

Atque ita rescripsit. Die 31 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-?Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 17, p. 3oi.

## URBIS EIUSQUE DISTRICTUS

**Assignatur dies XXIII Iunii pro festo B. Gaspar is dei Bufalo.**

Cum dies natalis pretiosi obitus Beati Gasparis del Bufalo, Confessoris, obtigerit die xxvni Decembris a. MDCCCXXXVII, atque haec dies Sanctorum Martyrum Innocentium triumpho quotannis recolendo sit reservata, a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: Quaenam dies iuxta Rubricas libera assignanda sit festo quod in honorem praedicti Beati cum Officio et Missa propriis et approbatis, sub ritu duplici minori in Urbe eiusque Districtu, ex Apostolicae Sedis indulto singulis annis celebrandum est?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit : Pro Urbe eiusque Districtu assignetur dies vigesima tertia mensis Iunii, servatis Rubricis.

Atque ita rescripsit ac indulsit. Die 4 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DUBIORUM

**Circa celebrationem Missae de Requie in Oratoriis privatorum praesente cadavere.**

Ab annis nonnullis in civitate N. consuetudo invaluit, apud fideles coetus praesertim superioris, in privatis eorum Oratoriis adveniente morte alicuius e familia, Missam de Requie praesente cadavere celebrandam postulandi, quod non sine imminutione funeralium solemnitatum in ecclesiis praesertim parochialibus, imo non sine iurium parochialium et spiritus parochialis detrimento fieri compertum est.

Ad huiusmodi abusus eliminandus Revmus Ordinarius prohibendam censuit celebrationem Missae, praesente cadavere, in praefatis Oratoriis privatorum, id quod non sine ani-

marum utilitate et populi aedificatione factum est. Verum non semel accidit quod fideles huiusmodi quasi molesti evadant Episcopo vel Auxiliari vel alienae dioecesis casu per •eamdem civitatem transeunti, a quo instanter postulant ut ipse, vigore indulti quo singuli Episcopi fruuntur, Missam scilicet etiam in Altari portatili celebrandi aliamque coram ipsis celebrari faciendi, Missam alias ab Ordinario prohibitam, praesente cadavere, in Oratoriis privatorum celebret vel per se et per suum Capellanum, vel per suum Capellanum tantum, ipso Episcopo seu Auxiliari seu alienae dioecesis praesente, celebrari faciat: sicque salutare prohibitionis remedium non raro evanescit.

Quaerit igitur Revmus Ordinarius Orator a S. Rituum Congregatione: An petitionibus licet instantissimis, de quibus agitur, praefati Episcopi annuere possint virtute indulti singulis Episcopis proprii quoad Missae celebrationis locum, adstante generali prohibitione eiusdem Ordinarii ut supra; ideoque an liceat praefatis Episcopis, non obstante dicta prohibitione, Missam in Oratoriis privatorum per se vel per proprium Capellanum, vel etiam per solum Capellanum, Episcopo Missam audiente tantum, celebrare praesente cadavere?

Et Sacra eadem Congregatio propositis dubiis respondendum censuit: « Attentis peculiaribus adiunctis in casu concurrentibus, *Negative* ad utrumque » (1). Quam resolutionem Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X probavit et confirmavit, die 8 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) **Attamen, extra casum huius generalis prohibitionis ab Ordinario loci factae, non solum Episcopis vel Auxiliaribus aut alienae dioecesis eorumque Capellanis sed etiam omnibus presbyteris licet Missam de Requie celebrare in Oratoriis privatis praesente cadavere iuxta** *Decretum generale* **Rituum Congregationis diei** 19 **Maii** 1896 **n.** 3903, **necnon in una** *Romana* **12 Ian.** 1897 **ad 3 n.** 3944, **et in una** *Agennen.* 28 **Maii** 1897 **ad dubium I n.** 3957 *(N. R.).*

## DECRETUM SEU INSTRUCTIONES

### Circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa X suis litteris Motu Proprio datis sub die xxv Aprilis anni MCMIV (I) disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint iuxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacrae Rituum Congregationi visum est nonnullas instructiones seu leges evulgare a praedictis editori]?us observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cantus liturgici parare voluerint. Hae autem leges, in audientia diei **VII** vertentis mensis Augusti ab eodem SSmo Domino Nostro admissae et approbatae, sunt quae sequuntur :

I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive aequali forma sive .grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt diligentissime attendenda:

*a)* Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam maiores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

*b)* Nihil praesertim mutari potest in ordine quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

*c)* Neque pariter in modo **quo** ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

*d)* Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiaceat.

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. .36, p. 586 seu** 589.

III. Editione parata àc confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis officii liturgici partibus quae cantus diversos pro diversitate diei vel festivitatis admittunt, ut v. g. hymni et Ordinarium Missae, melodiae possunt adaptari, quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis conditionibus, iis maxime quae in § *d)* Motus Proprii xxv Aprilis MCMIV apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in caeteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missae.

VI. Si autem agatur de Officiis propriis alicuius ecclesiae vel Ordinis regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiiciantur ; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad

approbationem obtinendam subiiciuntur, tria exemplaria ad eamdem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas praedictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiae Romanae thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul còncessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die xi Augusti MCMV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. 4* S. •! D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORDINIS FRATRUM MINORUM

**De modo tegendi caput a Fratribus Minoribus in Missa aliisque divinis Officiis.**

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit:

Utrum Fratres Minores in Missa aliisque divinis Officiis amictum super nudum caput imponere debeant, an etiam possint ipsum amictum caputio superimpónere ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito prius Rmo P. Procuratore Generali praefati Ordinis, qui, annuente Rmo P. Ministro Generali, rationes pro[1] utraque sententia adductas collegit et retulit, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque ad rem pertinentibus et consuetudinibus diligenter discussis et perpensis, rescribendum censuit: Ad Rmum P. Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum pro uniformitate servanda iuxta Rubricas et Decreta antea edita ab eadem Sacra Congregatione, ita ut Fratres Minores caput tegant cum solo amictu. Quod vero ad illas Ordinis Provincias seu partes attinet,

quae ob peculiares difficultates et gravia timenda incommoda, aliud tegendi caput modum, cum caputio scilicet, amicto cooperto, sua consuetudine servaverint et adhuc servent, ut ipsis ab observantia praesentis Decreti, circumstantiis perdurantibus, dispensatio concedi possit, eadem Sacra Congregatio rem prudenti arbitrio et conscientiae Rmi Ministri Generalis remittendam benigne existimavit.

Atque ita rescripsit, die 23 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## BASILICAE

### SUB TITULO SS. ROSARII B. M. V. IN VALLE POMPEIANA

**Ab Missa votiva B. M. V. celebrari valeat infra Octavas festorum eiusdem B. M. Virginis.**

Rev. P. Fr. Alanus Maria Foy, sacerdos ex Ordine Praedicatorum, Basilicae B. M. V. Reginae SSmi Rosarii in Valle Pompeiana Sacrario Praefectus, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humiliter subiecit:

In Brevi Apostolico diei 29 Martii 1887, quo privilegium conceditur cuique sacerdoti in ea Basilica Sacrum facturo Missam votivam B. M. V. de tempore (postmodum indulta fuit Missa votiva de SSmo Rosario B. M. V.) celebrandi, excipiuntur dies quibus occurrit duplex primae vel secundae classis, quodlibet ipsius B. M. V. festum, nec non Dominica, Feria, Vigilia vel Octava, quae sit ex privilegiatis; servatisque Rubricis. Quum de Octavis festorum B. M. V. nulla fiat mentio, usuvenit ut fere omnes sacerdotes infra Octavas ex. gr. Nativitatis, Assumptionis atque Immaculatae Conceptionis B. M. V. Missam votivam de SS. Rosario celebrent addita Commemoratione currentis Octavae. At vero e postre-

mis verbis illius Brevis *servatis Rubricis* coniiciendum videtur perperam id fieri et contra earumdem praescripta. Quaeritur ad uniformitatem plenamque liturgicarum praescriptionum observantiam habendam: An memorata Missa votiva SSmi Rosarii B. M. V. in templo Pompeiano ipsius Deiparae iuxta Apostolicam concessionem factam per enunciatum Breve, celebrari valeat infra Octavas festorum eiusdem B. M. Virginis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae respondendum censuit: *Negative*, et Missa erit de die infra Octavas absque Commemoratione SSmi Rosarii; et dentur Decreta n. 2542 *Ordinis Minorum Provinciae S. Antonii Bahien in Brasilia* 26 Ianuarii 1793 ad 2, et n. 1739 diei 23 Septembris 1684 (i).

Atque ita rescripsit, die 30 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. *|> S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) In primo citato decreto n. 2542 ad 2 dubium: « An in Sabbatis, in quibus occurrit B. M. V. quaevis festivitas, aut infra Octavam eiusdem celebrari debeat Missa eiusdem festivitatis, votiva vel non votiva; an vero semper Missa ut in Brevi assignatur», responsum prodiit: «*Affirmative* ad primam partem; nempe celebrandam Missam festivitatis aut de die infra Octavam, tamquam non votivam, si de eadem Octava recitetur Officium; si vero recitetur Officium alterius festi, celebrandam esse pariter Missam de die infra Octavam, sed more votivo; *Negative* ad secundam partem ». Alterum decretum n. 1739 ita se habet: « An in festo eiusdem SSmi Nominis Beatae Mariae Dominica infra Octavam Nativitatis praedictae Bmae Virginis, facienda sit Commemoratio de Octava? — Et an in secundis Vesperis Nativitatis cadentis in Sabbato facienda sit Commemoratio de SSmo Nomine B. Mariae? »; S. R. C. respondit: « Praedictas Commemorationes non esse faciendas » *(N. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

## COLONIEN. ET MONASTERIEN.

### DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS.

**Territorium "Wackelbeckerfeld„ separatur ab archidioecesi Coloniensi, atque aggregatur dioecesi Monasteriensi.**

Decreto regio die 16 Septembris anno 1901 edito portio quaedam, cui nomen Wackelbeckerfeld, loci vulgo Altenessen nuncupati in Borussico Regno ab oppidi huius territorio distracta fuit, atque territorio adiuncta loci Horst Emscher vulgo dicti. Cum plurima eaque gravissima exinde obvenerint damna spirituali fidelium regimini in portione praedicta degentium, eo quod ipsa spiritualibus in negotiis Archiepiscopi Coloniensis iurisdictioni subsit, atque oppidum Horst Emscher, cui in praesens civiliter adhaeret, intra Monasteriensis dioecesis fines existat, tum viro Emo Huberto Antonio S. R. Ecclesiae Praesbytero Cardinali Fischer Coloniensi Archiepiscopo tum R. P. D. Hermanno Dingelstad Monasteriensis dioecesis Antistiti opportunum visum est, ut memoratum territorium Wackelbeckerfeld ab archidioecesi Coloniensi separaretur, et Monasteriensi dioecesi subiiceretur. Collatis itaque inter se consiliis memorati Antistites litteras ad Apostolicam Sedem die 27 Octobris anno 1904 dederunt, atque iis quae supra relata sunt expositis, SSmum Dnum Nostrum Pium PP. X exorarunt, ut territorium Wackelbeckerfeld a Coloniensi Archiepiscopali ecclesia seiungere **et** paroeciae loci Horst Emscher dioecesis Monasteriensis aggregare Apostolica auctoritate dignaretur.

Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis praepositae Substituti relationem, omnibus mature perpensis, attentis expositis, atque supplet©, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumendum consensu, omnia

quae in spirituale fidelium bonum cessura intelliguntur decernere cupiens, oblatis precibus benigne adnuendum censuit» atque de Apostolicae potestatis plenitudine territorium seu portionem Wackelbeckerfeld nomine loci Altenessen nuncupati cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus ab archidioecesi Coloniensi separavit et avulsit, et eamdem pariter ut supra cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus parochiali ecclesiae oppidi Horst Emscher dicti Monasteriensis dioecesis univit et aggregavit; ita ut territorium praedictum in posterum iurisdictioni Episcopi Monasteriensis pro tempore sit subiectum, prout hactenus Coloniensibus Archiepiscopis subiectum fuit, cum clausulis, necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ad consulendum vero fidelium bono- qui in territorio ut supra separato- commorantur, praecepit eadem Sanctitas Sua ut documenta omnia ecclesiastica, quae vel fideles ipsos vel loca in eodem territorio existentia respiciunt, a Cancellaria Metropolitanae Coloniensis ecclesiae extrahantur, et Cancellariae Monasteriensis ecclesiae tradantur in eadem in posterum diligentissime servanda. Hisce tandem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit decretum; consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, cuius executionem, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam» iniuncta insuper obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem trasmittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, commisit viro Emo Coloniensi Archiepiscopo, et decretum ipsum referri mandavit inter Acta Sacrae huius Congruis Consistorialis.

Datum Romae hac die 5 Maii anno Dñi 1905.

Pro R. P. D. Secretario

L. ✠ S. IULIUS GRAZIOLI, *Substitutus.*

# CALAGURITAN. ET CALCEATEN.

## CONCESSIONIS INSIGNIUM ECCLESIASTICARUM

**Insignia ecclesiastica indulgentur Canonicis ecclesiae Cathedralis Calaguritanae.**

Calaguritanae ecclesiae Cathedralis Canonici, litteris ad Apostolicam Sedem die 18 Ianuarii hoc anno datis, exposuerunt, ecclesiam ipsam non uno nomine inter Hispanici Regni Cathedrales ecclesias excellere. Eam siquidem, retulerunt, inter antiquiores antiquissimam haberi, ita sane ut ceterarum omnium Hispanici Regni ecclesiarum mater praedicetur. Calaguritanum vero Capitulum a remotissima aetate catholicae Religionis studio praesertim in fidei christianae veritate adversus haereses strenue vindicanda emicuisse, uti praeclara testantur monumenta. Nihilominus dum plura ex Cathedralibus Capitulis in Hispania insignibus varii generis ecclesiasticis ex Apostolico indulto fruuntur, se quolibet ex ipsis esse destitutos. Hisce itaque expositis, oratores SSmo Dno Nostro Pio PP. X humiles obtulerunt preces, quas R. P. D. Gregorius Aguirre et Garcia Archiepiscopus Burgensis atque Calaguritanae dioecesis Administrator Apostolicus commendavit, ut usum sibi flocculi viridis coloris in pileo et birreto, simulque facultatem induendi vestem talarem nigram oris et globulis violaceis ornatam cum collari et caligis coloris eiusdem benigne tribuere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Congñis consistorialibus negotiis expediendis praepositae Substituto, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, attenta Calaguritanae ecclesiae Cathedralis praestantia, et Burgeñsis Archiepiscopi commendatione, ad splendorem divini cultus augendum, atque ad stimulos adiiciendos Calaguritani Capituli Canonicis, quo iidem in sacris ministeriis obeundis alacriores in dies fiant, oblatis precibus benigne adnuendum censuit. De Apostolicae itaque potestatis pieni-

tudine Beatitudo Sua omnes et singulos Calaguritanae ecclesiae Cathedralis Canonicos actu existentes a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis, a iure vel ab homine quovis modo vel quavis de causa latis, si quas fortasse incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, iisdem eorumque legitimis successoribus in perpetuum indulsit, ut *intra limites Calaguritanae dioecesis,* vestem talarem nigram cum oris, globulis, collari et caligis coloris violacei licite ac valide gestare possint et valeant, itemque in pileo et bireto flocculum viridis coloris, servatis Apostolicis Constitutionibus, ritualibus dispositionibus, aliisque de iure servandis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi iussit decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem cum facultatibus opportunis et necessariis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, commisit Burgensi Archiepiscopo, et decretum ipsum inter Acta Sacrae huius Congñis referri mandavit.

Datum Romae hac die 15 Maii anno Dñi 1905.

Pro R. P. D. Secretario

L. «f*S. Iulius Grazioli, *Substitutus.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## URBIS ET ORBIS

**Decretum quo Indulgentiae largiuntur adolescentibus primae Communionis et eorum consanguineis aliisque fidelibus adstantibus.**

Adolescentes, ad augustissimum Eucharistiae Sacramentum primitus accessuros, validis oportet augeri auxiliis, qui-

bus ferventiori pietatis affectu Illud suscipere, uberioresque ex eo fructus percipere valeant. Quare humillimae delatae sunt preces SSmo Dno nostro Pio Papae X, ut adolescentibus ipsis, prima vice sacra mensa refectis, Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur.

Quum vero, uti fere ubique fert consuetudo, eorundem adolescentium parentes, imo et non pauci inter Christifideles, ad piam primae Communionis caeremoniam convenire et etiam sancta libare soleant, ne tam laudabilis excidat consuetudo, quae maxime confert, ut eiusdem primae Communionis caeremonia solemnior evadat, eiusque memoria in adolescentium animis satius altiusque indelebilis perseveret, ab eodem SSmo Dno nostro expostulatum est, ut iis etianrf, qui primae Communionis solemniis intersunt, aliquam Indulgentiam benigne tribueret.

Has porro preces, relatas in audientia habita die 12 Iulii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, Indulgentias, defunctis quoque applicabiles, uti infra, clementer elargita est, nempe : Plenariam I°. adolescentibus confessis et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae pie orantibus, die quo primum S. Synaxim celebraverint ; II°. eorumdem adolescentium consanguineis ad tertium usque gradum, piis caeremoniis primae Communionis adstantibus, si pariter Sacramentali Confessione rite abluti sacram Synaxim susceperint, et uti supra oraverint ; Septem vero annorum totidemque quadragenarum Christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem caeremoniis interfuerint.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 12 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «I* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

**Indulgentiae conceduntur recitantibus quamdam invocati**_onera_ **ad SS. Cor Iesu.**

*Cœur Sacré de Jesus, j'ai confiance en vous.*

A tutti i fedeli, che reciteranno tutti i giorni, col cuore specialmente, qu,esta invocazione, accordiamo 300 giorni di Indulgenza per ogni giorno, e *V* Indulgenza Plenaria in ogni mese, purché sieno confessati e comunicati, e preghino per la conversione dei poveri peccatori.

Dal Vaticano li 27 Maggio 1905.

PIUS PP. X

Praesen| exemplar, quod cum originali concordat, exhibitum fuit S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 19 Augusti 1905.

L. ✠ S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# EX COMMISSIONE BIBLICA

**De narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae libris qui pro historicis habentur.**

Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur.

*Dubium.* Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae Libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum ?

*Resp. :* Negative, excepto tamen casu, non facile nec te-

mere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.

Die autem 23 Iunii a. c. in Audientia ambobus Rmis Con-' sultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedictum Responsum ratum habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Fr. David Fleming O. M., *Consultor ab Actis.*

—^ ^ ^ 3 ^ '—

# APPENDIX

**Usum throni aut baculi**
**Vicarius Capitularis Episcopis concedere nequit.**

Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. i, cap. xvn, n. **5)** dioecesanus Episcopus concedere quidem potest Episcopo extraneo usum baculi pastoralis, non autem throni, uti pluries decretum ac declaratum fuerat a S. R. C, n. 236, 996, 1700, 2163, 2946, 297o[5] et 3047; et ita docuerunt omnes liturgici auctores, ex. gr. Martinucci, De Herdt, et Le Vavasseur, usque ad annum 1S99, quo, sub die 9 Maii, S. R. Congregatio hoc Decretum edidit, a Leone XIII adprobatum die 12 Iunii, n. 4023: « Episcopus dioecesanus gaudet iure cedendi thronum suum alteri Episcopo, cum Reverendissimorum Canonicorum adsistentia sibi debita, dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius dioecesani Coadiutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut -etiam Dignitas seu Canonicus in illius ecclesiis » (i).

Hoc Decretum per se patet omnino; Sacra enim Congre-

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 3i, pag. 753.**

gatio tribuit *dioecesano Episcopo* ius thronum cedendi, non omnibus Episcopis indiscriminatim, sed iis tantum qui non sint eius *Coadiutor, Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius ecclesiis.* Ergo, rigorose loquendo, stat regula antiqua, qua thronus episcopalis nulli cedi poterat, nisi Cardinalibus, eo quod hi Summum Pontificem repraesentant; et ipsi Metropolitano thronus alius competebat, uti et hodie, in cornu Epistolae. Si enim iure huiusmodi *per se* gauderent Episcopi dioecesani, nescimus quare S. R. C. illud coarctare voluerit. Aliis verbis, neque hodie ipse Episcopus dioecesanus thronum suum aliis Episcopis cedere posset, nisi hanc facultatem illi S. R. C. tribuisset.

Quamobrem non intelligimus, qua ratione nonnulli scriptores cuiusdam praeclarae Ephemeridis, vi citati Decreti n. 4023, docere potuerint Vicarium Capitularem, Sede vacante, ius habere concedendi thronum Episcopis. Opinio haec merito confutata fuit in *Ephem. Liturg.,* a. xvi, pag. 405 ; nam i°. Decretum clare loquitur de *Episcopo dioecesano,* non de *Ordinario ;* atqui sub nomine Ordinarii venit quidem et Vicarius Capitularis, non vero sub nomine Episcopi; *2%* Quia *nemo dat quod non habet;* cum vero Vicarius Capitularis, licet charactere episcopali insignitus, throni usum non habeat (S. R. C, n. 2274[a]), quomodo alteri illum concedere potest? 3°. Quia cum in casu agatur de functionibus celebrandis tempore Sedis vacantis, opportunum omnino est, quod vacua remaneat Sedens episcopalis, ut populus videat, se nondum suum obtinuisse Pastorem.

Hisce non obstantibus, quidam Vicarius Capitularis, licet invito animo, thronum concessit Episcopo, qui sententia fretus cuiusdam Ephemeridis Ecclesiasticae, illum exquisivit. Cum vero nobis ignotum non sit, quod S. R. Congregatio pluries hac de re interrogata respondit, huiusmodi iure non potiri Vicarium Capitularem, opportunum duximus, sequentem epistolam Rmi D. Philippi Di Fava, S. R. C. Substituti, in la-

tinum sermonem versam evulgare, qua ipse candide manifestat sensum eiusdem S. Congregationis :

« Quoad dubium, an Vicarius Capitularis usum throni et baculi concedere possit Episcopo extraneo, quem ipse invitaverit ad pontificalia peragenda in ecclesia cathedrali vel in aliis ecclesiis dioeceseos, Sacra Rituum Congregatio pluries declaravit, Decretum n. 4023, diei 12 Iunii 1899, super iure cedendi thronum etc., rigorose intelligendum esse de solo Episcopo dioecesano, excluso proinde Vicario Capitulari. Ad baculi autem usum quod attinet, Episcopo extraneo opus non est speciali licentia, quando a Rubricis Pontificalis Romani requiritur , v. gr. in ecclesiarum consecrationibus et similibus » (i).

Causa ergo finita est; imo notum est nobis, quod in Dioecesi Assisiensi, suo viduata pastore, cum magna solemnitas celebranda esset, Vicarius Capitularis, ut pontificanti Episcopo a se invitato thronum conscendere fas esset, recursum fecit ad Apostolicam Sedem. Praedicta porro Ephemeris, quae per Italiam universam divulgatur, nunc sciat suum sen-

**il) In originali sic legitur:**

*Illmo e Rmo Signore,*

**Intorno al quesito se il Vicario Capitolare possa concedere l'uso del trono e del pastorale ad un Vescovo estradiocesano da lui invitato a pontificare nella Cattedrale o in altre chiese della Diocesi, la Sacra Congregazione dei Riti ha più volte dichiarato, che il Decreto n.** 4023 **del** 12 **Giugno** 1899, **relativo alla cessione del trono ecc., va inteso rigorosamente del solo Vescovo diocesano, escluso quindi il Vicario Capitolare. Riguardo poi all' uso del pastorale non occorre al Vescovo estradiocesano speciale licenza, quando si richiede dalle Rubriche del Pontificale Romano, come p. e. nelle consecrazioni di Chiese e simili. Tanto Ella può comunicare al Vicario Capitolare che gliene ha fatto richiesta.**

**E con sensi di ossequiosa stima mi rassegno**

**Di V. S. Illma e Rma**

**Umilmo e Devmo Servo**

FILIPPO DI FAVA, *Sostituto della S. C. dei RR.*

*AH' Illmo e Revmo.*
*Mons. Pietro Piacenza.*

tiendi modum alienum esse a veritate, neque apte retulisse, ad tuendam sententiam suam, illud effatum : *ubi eadem est ratio, eadem est iuris dispositio;* in casu enim non eadem est ratio, cum Episcopus dioecesanus throni usum habeat, quo caret Vicarius Capitularis; ergo non eadem esse potest iuris dispositio.

Quoad vero usum baculi, Vicarius Capitularis, eadem ex causa, non potest eum concedere Episcopo invitato, quia Caeremoniale Episcoporum (lib. i, cap. xi, n. 12) ius baculum concedendi tribuit soli *Episcopo* dioecesano, et etiam ad hoc valet axioma « *nemo dat quod non habet* » (i). Quando autem Episcopus invitatus aliquam functionem peragere debet, in qua a Rubricis requiritur usus baculi, uti ex. gr. in consecratione Ecclesiae, tunc eo uti potest et debet, non quidem ex concessione Vicarii Capitularis, sed iure'suo, a Rubricis admisso. Cfr. Decr. S. R. C, n. 236 et 38/3[4].

**(i) Iuxta hodiernum ius liturgicum (S. R. C, n.** 2274[a]) **Episcopus** *administrator* **sedere nequit super Cathedra episcopali, baculo autem uti potest.**

Doct. Petrus Piacenza

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE

## Quibus Pius PP. X novum Compendium Catechismi praescribit Dioecesibus Provinciae Romanae (i).

AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI

NOSTRO VICARIO GENERALE

*Signor Cardinale,*

La necessità di provvedere per quanto è possibile alia religiosa istituzione della tenera gioventù Ci ha consigliato la stampa di un Catechismo, che esponga in modo chiaro i rudimenti della santa fede, e quelle divine verità, alle quali

**(i) Seu** *Compendio della Dottrina cristiana prescritto da Sua Santità Papa Pio X alle Diocesi della Provincia di Roma. Tipografia Vaticana, igo5, Roma.* **,— Uniformitas in religiosa instructione christifidelibus, praesertim vero pueris, impertienda tamquam maxime utilis et optabilis in Ecclesia catholica habita semper fuit. Hoc cum probe intellexissent Patres Concilii Tridentini « illud praeterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam et rationem christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi traderent, quam in omnibus ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris et Doctoris munus obeundum esset ». Cfr. Catechismus Romanus** *(Praefat., n. j),* **necnon Conc. Trid.** *(Sess. 24, cap.* 7 *de Reform.;* **et** *Sess.* 25 *de Reform, in fine).* **Quod praestitit in primis S. Pius V, iubens adornari et in lucem edi** *Catechismum Romanum ad parochos;* **quem postea in compendium, speciatim pro pueris erudiendis, iussu Clementis VIII redegit Ven. Card. Bellarminus, aureo suo libello, cui** *Doctrina christiana* **titulum fecit. Huius parvi Catechismi usum ipse Clemens VIII Statibus Ditionis Pontificiae praescripsit, atque omnibus indiscriminatim Episcopis commendavit. Quod praeterea renovavit Benedictus XIV Const.** *Etsi minime* 7 **Febr.** 1742 **: « ut unus deinceps idemque modus in docendo et discendo christianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad praecavendos, qui in multiplicem Catechismorum varietatem irrepere possent errores, conducibilius atque opportunius... Brevis enim et univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum •quis periculum facit progressus puerorum ». Deinde Clemens XIII Const.** *In Dominico agro* 14 **Iunii 1**761, **iterum porrigens Catechismum Tridentinum, dolet •quod : « hunc librum..... his temporibus e Pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit,'cum alios atque alios Catechismos extulerit nullo modo cum Romano comparandosi unde duo mala extiterunt, quod illa fuerit in ea-**

deve informarsi la vita d'ogni cristiano. Pertanto fatti esaminare i molti libri di testo già in uso nelle Diocesi d'Italia, Ci parve opportuno di adottare con lievi ritocchi il testo da varii anni approvato dai Vescovi del Piemonte, della Liguria, della Lombardia, della Emilia e della Toscana. L'uso di

**dem docendi ratione prope sublata consensio oblätumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii unius et sermonum eorumdem ; alterum quod ex diversis variisque tradendae catholicae veritatis rationibus ortae sunt contentiones, et ex aemulatione.... disiunctiones animorum et magna dissidia... ». Pius IX Litteris 5 Nov. i855 ad Episcopos Austriae datis eos monet: « ut in primordiorum seu elementariis scholis ii ad catechesim tradendam adhibeantur libri, quibus iuventus unam eamdemque catholicae ecclesiae addiscat doctrinam... ». Et Leo XIII Litteris** 13 **Oct.** 1893 **ad Revmum Ludovicum Schüller ita sensum animi sui expressit: « Quum enim saepe variis de causis fideles in alias dioeceses migrare cum liberis cogantur, non satis apte religiosae puerorum institutioni prospicitur, si alii in aliis dioecesibus adhibeantur libri, ad quorum normam sacrae doctrinae tradendae ratio exigatur: erit autem longe commodissimum si dioeceses omnes exemplum sequantur Urbis... ». Etiam Concilia provincialia huius generis ordinationes decreverunt, uti Conc. Viennense** 1858, **Pragense** 1860, **Coloniense i863,** **Baltimorense** 1884, **et Concilium Plenarium Americae Latinae** 1900 *(vol. i, tit. io, n.* 707) **recognoscit quod multiplicitas textuum Catechismi « non pauca parit incommoda, attenta praesertim facilitate qua fideles et integrae etiam familiae ex una ad aliam regionem transire solent », et** *n.* ***jo8*** **mandat ut in illis regionibus « unicus conficiatur Catechismi textus ». Ipsi Patres Concilii Vaticani in generalibus Congregationibus** 24-29 **et** ***47**-S0* **diu disceptarunt circa introductionem parvi Catechismi, quod esset pro omnibus pueris erudiendis obligatorium, quinimo et votum favorabile emiserunt ; at deficiente postrema votatione solemni, necnon ipso Concilio ob italicas rerum perturbationes suspenso, ressuum effectum sortiri non valuit. Optimo sane consilio Pius PP. X, feliciter regnans, postquam in Litteris Encyclicis** *Acerbo nimis* 15 **Apr.** 1905 **parochis renovaverit praescriptionem utendi Catechismo Tridentino in catechesi fidelibus, habenda, modo redigi mandavit Compendium Catechismi pro pueris puellisque erudiendis, quod Dioecesibus Provinciae Romanae imposuit, quodque Episcopis praesertim Italiae commendavit. Poterunt igitur et exterarum regionum Ordinarii genuinam huius Catechismi versionem peragere, additis quoque, ob peculiares locorum et personarum necessitates, si quae desunt, necessariis, ac sublatis quae redundare possunt. Ita illa auspicata dies quam citius apparebit, qua unicus Catechismus universaliter erit receptus. Docta ephemeris italica, cui titulus** *La Civiltà Cattolica* **in fasciculo diei** 20 **Maii** 1905 **scite agit de utilitatibus universalis Catechismi, atque remedia ad difficultates superandas suggerit** *(N. R,).*

questo testo sarà obligatorio per *V* insegnamento pubblico e privato nella Diocesi di Roma e in tutte le altre della Provincia Romana; e confidiamo che anche le altre Diocesi vorranno adottarlo per arrivare così a quel testo unico, almeno per tutta l'Italia, che è nell'universale desiderio.

Con questa dolce speranza impartiamo di tutto cuore a Lei, Signor Cardinale, l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 14 Giugno 1905.

PIUS PP. X

# LITTERAE

**Pii PP. X ad Praesidem Conventus HI catholicorum Germaniae, eorumdem alacritatem in religione commehdantis.**

DILECTO FILIO

BURGUBURN, DOCTORI, AC PRAESIDI COETUS CONVENTUI LIÏ CATHOLICORUM GERMANIAE APPARANDO. ARGENTORATUM.

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Habiti quotannis coetus catholicorum Germaniae in eam Nos opinionem adduci quotidie magis iusserunt, congressiones easdem, quo plures numero ac successione recensentur, eo etiam digniores et prae se ferre apparatus et edere fructus. Huius sane solatium rei communes nunc confirmavere litterae, Nobis a te datae atque a praesidibus ceteris, quum proximo adornando coetui studeretis: vestrarum enim curarum ea potissima fuit, aperire ex ordine omnia quaecumque erunt disceptanda congressui, sensusque declarare simul, quorum ductu convenietis. Neque modica ista est Nobis gaudendi, et gratulandi opportunitas: quid enim quam fecundam Germanorum alacritatem expetere possimus amplius ad inserendam propagandamque religionem? — Caussae equidem in disputatione versabuntur graves salubresque, atque eaedem ad multiplicem christianae vitae necessitatem peridoneae. Nam

quibus maxime, pro conditione temporum, expediat viis fidei nostrae et Apostolicae Sedis cultum provehere, proximorum sententias, catholica praelucente doctrina, humane ac rite vereri, expeditiones adiuvare sacras, integritati morum prospicere, tenuium fortunam sublevare, locupletum alere inopumque amicam conspirationem, sacri denique civilisque principatus concordiae consulere, in hisce, quemadmodum nunciasti , maximi momenti rebus vestra debet se prudentia probare. Quod autem decretum vobis sit accedere ad disserendum eo animo, ut hinc Nostra Decessorisque Nostri Leonis XIII fel. rec. prae oculis documenta habeatis, inde hortamenta Pauli deducatis ad usum, qui, spiritu actus ac repletus Dei, *omnia* nostra iussit *in caritate* fieri, vehementis haec Nobis origo voluptatis est; compertum namque et exploratum habemus quam multum emolumenti consueverint qui haec sequi lumina et praecepta studeant, e collatis consiliis percipere. Nec minus oblectat coire vos in civitatem nobilem, antiquam et piam: cui gloriae est et Episcopatui Romano Pontificem dedisse insignem, et coelo Sanctissimam peperisse sobolem, et artibus monumenta illustria suppeditasse. Spem ideo firmam fovemus, auspiciis Praesulis Argentinensis vestraque diligentia prosperam apparando felicemque celebrando coetui debere operam impendi. Quoniam vero a summae dementiae Deo, quippe ipse est consilii boni largitur, implorandam censetis in primis opem, eius in vos atque in labores vestros devocamus ardentes gratiam, testemque votorum animi Nostri Apostolicam benedictionem tum vobis praesidibus, tum singulis e conventu sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae die 14 Augusti 1905.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

## Breve solemnis Beatificationis Ven. Servi Dei Ioannis Mariae Baptistae Vianney, parochi vici " Ars ,,.

PIUS PP. X .

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divinae semper fuit Providentiae consilium, ut in Ecclesia sancti viri nulla aetate deessent, quibus et praeclara ad imitandum extarent exempla, et catholicae fidei veritas non minus quam virtus summopere confirmaretur. Inter hos apprime recensendi sunt religiosorum ordinum sodales, saeculares presbyteri et ii quidem, qui pastorali munere sanctissime functi, vitam pro sibi concredito grege strenue profuderunt. Singularem ab his postremis gloriam sibi comparavit Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, parochi *d'Ars* vulgo nomine pernotus, qui licet in humili et quasi abdita sede maneret, adeo tamen sanctitatis fama inclaruit, ut omnium non animis modo, sed prope oculis adhuc quasi vivus obversetur. Ortus in pago vulgo *Dardilly* nuncupato dioeceseos Lugdunensis VIII idus Maias anno MDCCLXXXVI, quum eodem die sacro baptismate ablueretur, auspicata Ioannis ac Mariae nomina accepit. Parentes fuerunt Matthaeus et Maria Beluse, domesticis copiis instructis agricolae, qui eximia religione pariter atque effusa in pauperes praestantes caritate, Ioannem ad assiduas preces, horrorem peccati et suavissimum in Deiparam Virginem amorem usque a puero instituerunt. Peéorîs custos naturam attento animo intuetur, Deum Creatorem omnium adorat, et ante parvum Mariae simulacrum, a matre sibi donatum, preces erfundenst alios pastores, ut idem faciant, verbo atque exemplo excitat atque movet. Pro viribus nititur ut sacrosancto Missae sacrificio adsit quotidie, et cum propter temporum iniuriam Sacrum in suo pago fieri nequeat, longum pedibus iter ad proximum

vicum, quem *Ecully* vocant crebro conficit, ne tanto careat solatio. Ibi pariter tertium ac decimum annum suae aetatis agens ardentissimum animi desiderium explevit, omnibus enim angelicam ipsius pietatem et innocentiam mirantibus, Sancta de altari primum libavit. Incredibile est dictu quam multos Ioannes e coelestibus epulis fructus perciperet; in laborando mente Deum orat, precarium sertum simul ac potest, omnium in conspectu recitat, seque a quolibet piaculo sartum tectumque servans, omnigenae virtutis exemplum aliis praebet. Publica autem in Gallus reddita religioni dignitate, Ioannes septendecim annos natus almo Chrismate a Cardinali Fesch Antistite Lugdunensi inunctus est, primo suo nomini illud Baptistae addidit, ac sacerdotium inire constituit. Magnas ac pene invictas in studiis difficultates expertus, piam eas exsuperaturus ad S. Francisci Regis sepulcrum peregrinationem suscepit, victum quaeritans, et quocumque iter faceret, probris maledictisque vexatus. Verum ex eo die, ac si Deus praemio ob tantam animi demissionem eum afficere voluerit, visus est disciplinas facilius addiscere, et cum gravia sibi eo tempore obiecta impedimenta mira constantia devicisset, magnum ipsi tamen Lugdunense seminarium ingredi licuit. Ibi, divina fretus ope, quam assidue flagitabat, summa se scientiis voluntate excolendum tradidit, atque in eis, periculo facto, satis idoneus habitus fuit, qui sacerdotio initiaretur. Dignum suis laboribus pretium 1 Nam cum se aetate progressum variisque disciplinis minus excultum animadverteret, totis viribus contendebat, precibus potissimum et opera, ne sibi negaretur divinae maiestati hostiam immolare. Ardentis huiusmodi voti compote facto, tum manifesto apparuit Ioannis anima sacerdotalis; in peccatores enim et in egenos caritas, plurimum studii et curae in poenitentium confessionibus excipiendis diu noctuque collocatum, prudentiae denique ac sapientiae omnibus tradita consilia universam in eum admirationem statim concitarunt. Sed campus ubi Venerabili Dei Servo

duo et quadraginta annos aeternae vitae colligendi fructus erant, ille pagus extitit qui in dioecesi Bellicensi positus vulgo *Ars* audit, et quo Ioannes triennio post sacros susceptos ordines, quasi angelus e coelo missus fuit. Duo primum sibi Dei Famulus animo molitur, religionis cultum instaurare, ac fidelibus peramanter adesse, et haec quidem non minus pro suggestu, quam Tribunali admissis expiandis' obtinere. Enimvero Sacramentum augustum novis honoribus colit, ac teneram et filialem in Mariam Virginem pietatem simul cum Dei et Ecclesiae legibus observandis altius in animis defigit, ex quo protinus factum est, ut Sacro nunc plures adstarent profestis diebus quarn antea festis. Parochialis aedis decorem auget, ac dum se vel necessariis orbat, omnes suas opes, interdum sibi divinitus traditas, ad illam extruendam exornandamque decernit. Neque id satis habuit fecisse, nam tria pericula, quibus aeterna incolarum salus in discrimen adducebatur, propulsare sibi proponit; violatum idest Domini diem, insolentem çhorearum usum, et in cauponis frequentiam. Quae ad rem ex aequo et bono iudicandam et animos conciendos facere potuerint, ut sanctum hunc finem assequeretur, omnia Dei Servus effectui dedit, et nec laboribus nec lacrymis parcens, tandem a fidelibus suo magno gaudio exoravit ut a pravis huiusmodi consuetudinibus discederent. Tunc vicus munitissimum oppidum videbatur contra errores in tanta temporum calamitate undique irrepentes, non minus quam contra effraenatam morum licentiam. Quin etiam fidelium erga eoe-: lites religio quibus sanctus vir sui templi altaria dedicaverat, magis magisque in dies crevit, et sive ob pias ab ipso instistitutas Sodalitates, sive ob Sacramenta frequenter excepta, viculus ille felix virtutum asilum ab omnibus ducebatur. Tanti viri sanctimonia diutius occultari non quita est, sed longe lateque pervulgata id brevi effecit ut homo Dei ad alias regiones invitaretur de rebus divinis ad populum dicturus. Multifariam igitur Ioannes concionari aggressus, hic dolorem

abstergit, illic affert consilia, omnes excipit benigne, unde vehemens illud exortum est sui desiderium quod postea ad eum consulendum innumeros peregrinantes in *Ars* pagum allexit. Neque animabus imprimis prospiciens corpora obliviscitur; cum enim inter ceteros egenos puellas vidisset alias orbitate laborantes, alias pene relictas, cunctam suam' rem familiarem in erigendo hospitio insumpsit eique Providentiae nomen indidit. Et vere hanc domum tuta est Providentia, nam saepenumero in extrema rerum inopia mirum in modum iterum instructa fuit. Sed si Ioannes alienos colit agros, suum incultum non deserit, christianae enim perfectionis culmen intuens semper novos in éa potioresque gradus attingit; super nudos asses exiguo atramento tectos, paucas horas, ac non sine curis obdormire, aerem miserumque cibum sumere et eo saepissime prorsus abstinere, demum unam sibi, obsoletam quidem ac laceram induere vestem. Huc accedit quod genium suum vel in minimis defraudare t seque flagéllis exquisitasque maceraret tormentis. Atque ita fortis animi virtutes iri dies ducebant, et simul cum incenso amore in Deum, in Deiparam Virginem atque in defunctos admissa expiantes, tam insignis in proximum caritas suique contemptus cortiungébatur, ut mente in Domino penitus defixa et corpore consumpta rieutiquam sibi sed prorsus aliis' in vita commorari videretur. Sed ubi Ioanni patuit fecunda suae gloriae, seges, in peccatorum fuit conscientiis iudicandis moderaridisque ; vix enim eius fama post sacras in viciniis confectas expeditiones quam maxime vulgari coepit, fideles tam ingenti numero ad eum accurrerunt, sui animi plagas in Confessionis sacraménto ei detecturi lit neque curiale templum neque vicus ipse illos capere posset; idque non modo e finitimis regionibus vel paullisper, verum etiam ex omnibus Galliae provinciis et iisque a Belgiis, ex Anglia ac Germania et quinque ac viginti annos, nullo intermisso temporis intervallo. Erant omnis conditionis et aetatis homines, qui Ioannis sanctitate permoti,

illuc ducebantur studio virum visendi supernis dotis ditatum, intimas ipsorum latebras scrutando, ac praenoscentis futura. Non longum iter vel mora, non multitudo, non pervigilium vel alia huiusmodi incommoda fideles deterrebant, quominus consolationis verba a Dei Famulo quaeritarent, hoc uno beati, quod eum vidèrent, audirent ac de suis miseriis alloquerentur. Cum vero sacra diurna ac nocturna confessione singulis, tum crebris concionibus praesto ómnibus erat. Dei verba ab electo viro populo facta tanta suavitate, tanta de animorum salute sollicitudine, tantoque erga coelestes et homines amore redundabant, ut ipse primus, auditores deinde lacrimas effunderent. Sanctum hoc fidelium desiderium, quibus se Ioannes frustra subducere tentavit, ac tam uberes poenitentiae fructus, facere non poterant quin humani generis osor de illius exitio cogitaret. Et quo facilius herois vires infringeret, brevia eius somnia omni strepitus fragorisqué genere abrumpere nitêbatur. Curialis domus usque ab imis fundamentis quassari ac pene dilabi interdum visa est, et dum Ioannis sodales, qui eadem haec omnia audiunt et vident; totis artubus contremiscunt, ipse unus tranquillo animo consistens, dolosas daemonis artes minime pavet Verum maius genius, qui ex hoc praelio discesserat inferior, graviore odio Ioannem persecutus, novas ei insidias parat. Nonnullos itaque illius collegas subornât, qui suam ei ignorantiam obiiciant* ardens eius studium in salutem fidelium intempestivum denuncient, eique crimini vertant. Sed Ioannes utpote sanctus ideoque humillimus tanta animi demissione pariter ac suavitate has accusationes excepit, tantoque candore se omni poena dignum asseveravit, ut eius inimici in admiratores commutarentur, et inclita eius virtus novo lumine praefulgeret. Denique strenuus hic miles pugnando cecidit; postquam enim suo more septendecim circiter horas in exedra admissis audiendis consedit, potius laboribus quam aetate absumptus, gravi morbo correptus est. Quare cum sibi vitae finem adesse praeciperet, se

Deum totum obtulit, ac singularia patientiae aliarumque virtutum exempla dedit. Morte autem appropinquante, et sacro Convivio, quod sibi ipse iusserat afferri, summo devotionis sensu in viaticum celebrato, paroeciae operibus incoeptis, ac missionariis suis adiutoribus tremente manu benedixit, et die S. Dominico Confessori sacro anno MDCCCLIX plàcidissime in Domino requievit. Fidelium multitudo quae diu noctuque sui curionis vitam omnibus a Deo precibus contenderat, in luctu ac moerore iacuit, hoc uno solatio acquiescens, quod si Apostolum in terris amiserit, pollentem in coelo haberet Patronum. Illius venerabile Corpus, quod omnes adire et deosculari discupiebant, biduo expositum est, ac postremo non solum omni civium ordine, sed etiam frequentissimo clero undique accurso, funus honestantibus, ad curiale templum sollemni pompa elatum fuit. Ex hoc igitur tempore cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob coelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis causa apud Sacrorum Rituum Congregatum nem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex Ordinariis et Apostolicis processuum tabulis rite expensis, rec, mem. Léo, Papa XIII Decessor Noster sollemni decreto VII Kalendas Augusti anno MDCCCXCVI edito, sanxit Venerabilem Dei Servum Ioannem heroicis inclaruisse virtutibus. Deinde quaestio de miraculis agitari coepta est, quae ipso intercedente a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio pon-*deratis, in triplice disceptatione de eis actum fuit, quarum in ultima VII Kalendas Februarii volventis anni coram Nobis habita Venerabiles Fratres Nostri S. R. E, Cardinales sacris: Ritibus tuendis praepositi, Praesules Officiales et Patres Consultores suffragium singuli tulerunt. Nos vero in re tanti momenti mentem Nostram aperire distulimus, et adstantes mo*nuimus suppliciter Dei consilii lumen exquirendum fore. Quo facto sollemni alio decreto nono Kalendas Martias in vulgus edito huius pariter vertentis anni, declaravimus de duobus.

miraculis constare per intercessionem eiusdem Venerabilis Ioannis a Deo patratis. Postea illud unum dubium supererai proponendum, an Venerabilis Dei Servus inter Beatos coelites recensendus foret. Quod propositum fuit a dilecto filio Nostro Francisco Desiderato S. R¿ E. Cardinali Mathieu causae relatore in comitiis generalibus coram Nobis habitis octavo idus Martias huius anni, et in quibus omnes qui aderant tum Cardinales, tum Sacrorum Rftuum Congregationis Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis comparemus. Tandem Dominica secunda post Pascha, qua Christus exhibetur in Evangelio exemplar et forma Boni Pastoris, qui *animam suam dat pro. ovibus suis,* adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac praefato Francisco Desiderato Mathieu, relatore, necnon Ven. Fratre Diomede Panici Archiepiscopo titulari Laodicen., Sacrae eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servi Ioannis Mariae Baptistae Vianney Beatificationem. Quae cum ita sint, enixa catholici nominis et praesertim Bellicensium et Francorum omnium vota implentes, Apostolica Nostra auctoritate harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, *Ars* vici parochus, Beati nomine in posterum nuncupetur, et eius Corpus seu lipsana seu relliquiaé non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedi-

mus in civitate et dioecesi Bellicensi ab omnibus christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servetur decretum Si Rituum Congregationis n. 3862 *Urbis et Orbis* ix Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ioannis Mariae Baptistae Vianney in templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis xvi Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designanda intra annum, postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non Cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint, et sigilla Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Septembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S. ALOISIUS Card. MACCHI

**Corona Septem Gaudiorum B. M. Virginis cumulatur pluribus indulgentiis ab omnibus fidelibus lucrandis.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dilectus filius Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, impense cupiens ut erga Deiparam Immaculatam magis magisque fidelium cultus augeatur, retulit ad Nos inter multiplices cultus ac pietatis significa-

tiones in eamdem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum obtinere laudabilem eam praxim, ut peculiari Corona Septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione* Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipius divinae Matris in Coelum Assumptione in Deo salutari suo mirabiliter exultavit. Hinc factum esse, ut Decessores Nostri Romani Pontifices, non modo speciale festum Septem Gaudiorum B.M.V, cum Officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint; verum etiam Fratribus et Sororibus Ordinum Seraphici Patris Francisci Assisiensis, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, indulgentiam plenariam, pluries vel eadem die lucrandam, benigne concesserint. Verum idem dilectus filius Procurator Generalis Minorum Fratrum animo perpendens devotionem erga Septem B. M. V. Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis fidelibus communi esse exornatam; probe autem noscens eamdem Gaudiorum Coronam publice in ecclesiis ipsiusmet Ordinis eum aliorum fidelium interventu recitari, Nos enixis precibus flagitavit; ut huic Septem Gaudiorum Virginis Coronae, prouti iam concessum fuit Coronae Septem Virginis eiusdem Dolorum, plenarias nonnullas ac partiales indulgentias vel ab omnibus fidelibus rite lucrandas adiungere de Apostolica Nostra benignitate dignaremur. Nos autem quibus nihil antiquius est neque mage gratum, quam ut per universum orbem fidelium pietas erga Virginem Immaculatam latius propagetur, et divina Mater in Gaudio non minus quam in Dolore admirabilis, pari a christiano populo recolatur obsequio* votis hisce piis ultro libenterque annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui publicae recitationi Coronae Septem Gaudiorum B. M. V. apud ecclesias ubique terrarum existentes trium Ordinum Seraphici Patris habendae, adstiterint, easdem

tribuimus indulgentias, quas Fratres et Sorores eiusdem Ordinis, quibuscum sunt in recitatione sociati, promerentur. Insuper iisdem fidelibus admissorum confessione rite expiatis et Angelorum sane refectis, qui Coronam eamdem quotannis tum festis cuiusque e Septem Gaudiis, cum potioribus B. M. V. festivitatibus, vel quovis die intra respectivi festi Octiduum, ad cuiusque eorum lubitum eligendo pie recitent, quo ex iis die id agant, plenariam ; et iis, qui singulis anni sabbatis Coronam eamdem recitare consueverint, uno cuiusque mensis die, ad lubitum pariter eligendo, dummodo vere ut supra poenitentes et confessi ad S. Synaxim accedant, etiam plenariam ; tandem iis qui memoratam Coronam retineant, illamque frequenter in vita percurrerint, in cuiuslibet eorum mortis articulo si vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo acceperint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ipsis fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui contrito saltem corde, aliis per annum B. M. V. festis diebus Coronam eamdem recitent, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita trecentos annos; et iis qui id agant diebus de praecepto festivis, ducentos annos; quoties vero Coronam ipsam quocumque alio anni die persolverint, toties illis septuaginta annos totidemque quadragenas; iis tandem fidelibus, qui Coronam memoratam Septem Virginis Gaudiorum apud se fideliter retinentes, eamque frequenter recitantes, quodvis pietatis opus in Dei honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximorum utilitatem item contrito corde exercuerint, sive in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint, de numero similiter poenalium in forma Ecclesiae solita, quoties id agant, decem annos expungimus. Porro

largimur, ut excepta plenaria indulgentia in mortis articulo lucranda, fidelibus ipsis, si malint, liceat plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Verum praecipimus, ut in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis Coronae Gaudiorum Virginis a fidelibus adhibendae, sint a Ministro Generali pro tempore Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio sacerdote sive saeculari sive regulari, per ipsum deputando, in forma Ecclesiae solita, servatisque servandis, benedictae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem presentium, litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Indulgentiarum Congregationis Secretariam, alioquin presentes nullae sint: utque item praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMV, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dno Card. MACCHI

L. «f* S. Nicolaus Marini, *Substitutus.*

Praesentium litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 18 Septembris 1905.

L. «$>S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### MEDIOLANEN.

#### EXEMPTIONIS

Nosocomium, tribus tantum Religiosis Ordinis **S.** Ioannis de Deo concreditum, privilegio exemptionis gaudet.

**Facti species.** In paroecia S. Ambrosii loci *Giubbiano,* archidioecesis Mediolanensis, testamentaria dispositione cuiusdam Philippi Del Ponte parvum hospitale a. 1869 erectum fuit, atque curae et regimini Religiosorum Ordinis S. Ioannis de Deo vulgo *Fatebenefratelli* commissum, sub dependentia tamen Commissionis laicae. Ibidem tres Religiosi laici morabantur, quorum unus et novitius saepe erat ; deinde a. 1900 quaedam conventio inter Curiam Metropolitanam et Superiorem nosocomii inita est, vi cuius sacerdos saecularis nominabatur ipsius hospitalis cappellanus, qui, praeter spiritualem infirmorum ibi degentium adsistentiam, localem parochum coadiuvare teneretur. Modo autem, cum actualis Superior sit et ipse sacerdos, innixus privilegio exemptionis quo fruitur proprius Ordo, spiritualem infirmorum curam sibi avocare intendit; dum e contra parochus oppidi *Giubbiano* ius parochialitatis in praefatum nosocomium ipsi soli competere praesumit. Quare Curia Mediolanensis huic S. C. quaestionem dirimendam proponit.

**Informatio Curiae.** Archiepiscopus tribus potissimum de rationibus movetur ad favendum parocho ; videlicet tum quia nosocomium in casu iuxta fundationis tabulas a Commissione laica moderari et administrari, et dumtaxat quoad infirmorum curam a praedictis Religiosis pendere debet; tum quia ipsa hospitalis cura a tribus solis Religiosis laicis, quorum unus est saepe novitius, sustinetur; tum quia nosocomium quoad spiritualia parocho semper subiectum mansit.

**Deductiones Religiosorum.** Ipsi ex adverso affirmant se praesto esse hospitali tamquam veram communitatem religiosam efformantes, idque ex eadem fundatoris voluntate, qui mandavit ut cura et regimen hospitalis Ordini S. Ioannis de Deo committeretur. Parochus vero oppidi *Giubbiano* non omnia, quae ad spiritualia se referebant, in nosocomio semper explevit, quum ipse Religiosorum oppositionem pluries sit expertus, quumque religiosus sacerdos semel extiterit. Hinc conventio a. 1900 nullius valoris est, quippe quae voluntati testatoris contraria.

Ostendunt praeterea exemptionis privilegium proprio ipsorum Ordini concessum fuisse a Pio V Bullis *Salvatoris* 8 August« 1571 et *In supereminenti* 28 Apr. 1576, deinde confirmatum a Gregorio XIII Brevi *Provisionis nostrae* io Iunii 1585, a Gregorio XIV Brevi *Cum romanum* 19 Aug. 1591 et a Clemente VIII Brevi *Romani Pontificis* 9 Sept. 1596. Imo Urbanus VIII Bulla *Sacrosanctum* 20 Iunii 1624 etiam privilegia Ordinum Mendicantium ipsis communicavit, et Brevi *Cum sicut* 9 Iulii 1638 exempta ab Ordinariis declaravit parva monasteria parvaque ipsorum hospitalia, decernens: « ut quoad dictae Congregationis *(S. Ioannis de Deo)* conventus et hospitalia, in quibus erunt duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingerant; et quoad illos conventus seu hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possint insimul cum Provinciali, vel alio maiori -eiusdem Congregationis Superiore, ad revisionem computorum administrationis eorumdem hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant ». Hoc confirmatum postea fuit ab Innocentio X Brevi *Exponi nobis* 26 Ian. 1649, a Benedicto XIII Brevi *Iniuncti nobis* 13 Sept. 1724 et a Benedicto XIV Brevi *Quam in procurandam* 27 Martii 1747, necnon ab aliis subsequentibus decisionibus.

**Votum Consultoris.** Lectissimus vir imprimis observat directionem et administrationem hospitalis loci *Giubbiano* legitime exerceri non posse a Commissione laica, cum testator regimen et curam ipsius nosocomii Ordini S. Ioannis de Deo exclusive commiserit. Sed hoc etiam admisso, non ideo Religiosi suam exemptionem amitterent, quia haec directe a Romanis Pontificibus ipsi Ordini concessa fuit et indirecte tantum monasteriis et domibus ; idque vel ex eo constat quod ante Conc. Trid. Ordines Mendicantes exemptione fruebantur, quin aliquid possiderent.

Deinde quoad numerum Religiosorum in monasterio degentium adnotat, iuxta Const. *Romanos Pontifices* Leonis XIII ad effectum exemptionis ordinarie loquendo sex saltem Religiosos requiri ; sed, omissis Missionum locis, in Italia durantibus praesentibus rerum adiunctis iuxta dispositiones S. Sedis a S. C. EE. et RR. in una *Neritonen.* 26 Martii 1897 confirmatas sufficere tres tantum Religiosos. In favorabilius autem novitii professis aequiparantur. Quinimo, etiamsi ad normas iuris antiqui res diiudicanda esset, exemptio nosocomii in casu hucusque immunis evaderet, quamvis cum limitatione quod ratio administrationis reddenda esset Ordinario loci insimul cum Superiori generali Ordinis, quemadmodum liquet ex supra relato Brevi Urbani VIII *Cum sicut,* atque apprime congruit fini ipsius Ordinis, ministrandi scilicet sive in magnis sive in parvis nosocomiis.

Consultor demum addit parochum loci *Giubbiano* non semper ius parochialitatis super hospitale exercuisse, quum huiusmodi dissidium pluribus abhinc annis perseveret. Conventio vero a. 1900, praeterquamquod testatoris dispositioni opponitur, nullius roboris est, quia absque Superioris generalis Ordinis et S. Sedis interventu peracta fuit.

**Dubium.** *Se l'ospedale di Giubbiano, assistito dai Religiosi Fatebenefrateili, goda il privilegio dell' esenzione ac-*

*cordata dalla Santa Sede all' ordine di S. Giovanni di Dio* (i).

**Resolutio.** S. C. EE. et RR., omnibus perpensis, die 3 Martii 1905 rescripsit: *Affirmative.*

**Colliges.** i°. Privilegium exemptionis Regularibus concessum immunitatem generatim importat a iurisdictione sive Episcopi sive parochi.

2°. Ad effectum autem exemptionis, ex hodierna Curiae Romanae praxi, senarius saltem Religiosorum numerus in monasterio habitualiter degentium requiritur (2); quinimo pro Italia in praesens etiam ternarius sufficit (3).

3°. Hinc nosocomium loci *Giubbiano,* quum tribus Sodalibus coalescat, exemptum apparet, sive ex iure particulari in Italia nunc vigente, sive praesertim ex speciali privilegio Ordini S. Ioannis de Deo concesso, vi cuius etiam bini vel singuli Religiosi in domo extantes exemptione fruuntur (4).

4°. Demum conventio inita inter Curiam Mediolanensem et Priorem dicti hospitalis tamquam irrita est habenda, utpote

(1) *An hospitale loci* **Giubbiano,** *Religiosis Ordinis S. Ioannis de Deo concreditum, fruatur privilegio exemptionis a S. Sede Ordini concessae (V. R.).*

(2) **Etenim S. Congregatio EE. et RR. in una** *Minorum Conventualium* **diei** 12 **Maii** 1741 **(Cfr. Bizzarri,** *Collectanea,* **pag.** 396), **inhaerendo decretis alias desuper editis, decrevit ac declaravit: « Episcopum posse visitare** *(conventus)* **solum quando actu non adsint sex Religiosi ». Praeterea Leo XIII Const.** *Romanos Pontifices* 8 **Maii** 1881 **(Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 13, **pag.** 481-484), **nulla facta distinctione sed generali locutione edixit: « Iure communi constitutum est, ut domus, quae Sodales Religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant ». Cfr. etiam Const.** *Ut in parvis* **Innocentii X diei io Febr.** 1654 *(N. R.).*

(3) **Uti constat ex declarationibus S. Poenitentiariae** 18 **Apr.** 1867 **ad** 3, **et** 12 **Sept.** 1872 **ad i, confirmatis a S. C. EE. et RR. in causa** *Nerilonen.* 26 **Martii** 1897 **ad i.Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 3, **pag.** 152; **vol.** 7, **pag.** 149; **et vol.** 29, **pag.** 688 *(N. R.).*

(4) **Cfr. Bullae Apostolicae ab ipsis Religiosis superius citatae. Attamen, quando in domo vel in nosocomio saltem tres Religiosi non commorantur, ipsi tenentur rationem propriae administrationis reddere Ordinario loci simul ac Superiori generali Ordinis** *(N. R.).*

voluntati testatoris contraria, a Superiore Generali Ordinis minime firmata, atque Apostolico beneplacito destituta.

## S. CHRISTOPHORI DE HABANA

### Circa designationem confessarii ordinarii in monasteriis.

Petrus Gonzalez et Estrada Episcopus S. Christophori de Habana, omne illicitum vitare cupiens, a Sacra Episcoporum et Regularium Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulat; nimirum:

I. An Episcopus licite valeat confessarium ordinarium monialium unius monasterii pro alius monasterii monialium ordinario confessario designare? — Et quatenus *negative:*

II. An Episcopus confessarium ordinarium monialium unius monasterii ad munus ordinarii confessarii sororum votorum simplicium eligere queat? — Et quatenus *negative:*

III. Utrum Episcopus unum confessarium ordinarium pro duabus communitatibus sororum possit licite deputare?

IV. An prohibitum sit Regularibus confessarios ordinarios sororum votorum simplicium esse, sicut pro monialibus eis vetitum est?

Et Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus sedulo perpensis, respondendum esse censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II et III. Provisum in primo.

Ad IV. *Affirmative.*

Romae, die i Septembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## BITUNTINA

### CONCURSUS AD PRAEBENDAM POENITENTIARII

Nullitas concursus decernitur ob legitimum impedimentum unius ex concurrentibus.

**Series facti.** Episcopus Bituntinus, mortuo suae ecclesiae Cathedralis canonico Poenitentiario, die 27 Dec. 1903 concursum indixit ad vacantem canonicatum. Iam ante concursum quidam ex concurrentibus anónimas litteras receperunt, quibus minis insectabantur si concursui adesse ausi fuerint, et ipse Episcopus item per litteras minitatus est, si eumdem indiceret. Hisce non obstantibus die 29 Febr. 1904 aperiebatur concursus, cui aderant septem tantum ex undecim candidatis, quorum tamen octo annum 40 haud attigisse perhibentur. Datis quaestionibus, examinandi scribere iam inceperant, quando Episcopus per Archidiaconum certior factus est canonicum Cicciomessera unum ex candidatis eo mane domum, celebrata missa, petentem a quodam agricola haud noto aggressionem passum fuisse, ita ut in lecto se collocare et medicum arcessere debuerit. Unde Episcopus de consilio Examinatorum concursum suspendere statuit, idque concurrentibus nuntiavit circa horam tertiam vel quartam ab inito concursu. Omnes acquievere, excepto Can. Cuonzo, qui, declarans se aliosque duos scripta iam confecisse, protestationem emisit rogans ut caeteri quatuor eadem scripta expièrent, et exinde si illa aggressio vera foret, idem concursus prouti nullus haberetur, secus vero uti confectus retinendus esset. Nihilosecius suspensio concursus peracta est, et acta concurrentium clausa et obsignata fuerunt.

Interim Can. Cicciomessera contra ignotum aggressorem querelam movit, sed nullum obtinuit exitum. E contra Can.

Cuonzo, ab hac S. C. expetivit ut peracti concursus validitas decerneretur ; dum quinque ex aliis concurrentibus rogarunt ut concursus iterum indiceretur. Episcopus vero censet satius esse in praesenti animorum aestu a novo concursu abstinere, et Poenitentiariam conferre in *forma dignum* (i).

**Disceptatio synoptica.** Procurator canonici Cuonzo adnotat omnia in concursu fuisse servata, quae Benedictus XIV in Const. *Cum illud* 14 Dec. 1742 circa hanc rem statuit, cum omnes concurrentes eodem in conclavi clausi fuerint, ipsis eodem tempore quaestiones assignatae, nec non certum temporis spatium pro his perficiendis constitutum, suaque quisque manu quaestionibus responsa scripserit.

Neque in casu validitati concursus officere ait quod aliqui ex concurrentibus scripta non absolverint ; nam sicut validus concursus habetur si quis ex concurrentibus eumdem deseruerit, ita validus quoque retinendus est si aliquis ex iisdem illum non confecerit. Iamvero si res adhuc integra fuisset, in Episcopi potestate utique fuisset concursum prorogare, ut eidem accederent qui ob aliquas rationabiles causas adesse non potuerant, sed non ultra decem dies iuxta S. Pii V Const.

(i) Summus Pontifex litteras provisionis beneficii expedit duplici modo seu forma, quarum prima vocatur in *forma gratiosa,* altera vero in *forma dignum* seu in *forma commissaria.* Collatio in *forma gratiosa* locum habet, quando Pontifex intuitu meritorum alicuius clerici apud se commendati, eidem beneficium confert. Hinc litterarum executor merita dicti clerici in examen revocare nequit, sed tantummodo inducitur, ut provisum in corporalem possessionem immutat. Bullae exordium esse solet: « Vita et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita inducunt, *etc.* ». Collatio vero in *forma dignum,* ita dicta quia Bulla hisce verbis incipit: « Dignum arbitramur et congruum... », habetur quando Pontifex mandat Ordinario ut certum beneficium alieui clerico conferat, si tamen, praevio examine, idoneum esse repererit. Litterae in *forma dignum* nuncupantur etiam in *forma commissaria,* quia Papa proprie beneficium non confert, sed collationem Ordinario committit et mandato de providendo assimilantur. *Forma dignum,* uti docet Vecchiotti *(Inst. can., vol. 2> pag. 58)* «ferme usurpatur in beneficiis conferendis, quibus animarum cura nhaeret; in caeteris beneficiis *forma gratiosa* facilius adhibetur» *(Ñ. R.).*

*In conferendis ;* verum cum in casu concursus non modo inchoatus sed fere absolutus esset, illum suspendere aut prorogare haud licitum erat Quod confirmatur ex resolutione Rotali in *Calaguritana* 22 Apr. 1602 coram Ottolengo.

Eo vel magis quod iuxta ephemeridem *Corriere delle Puglie* aggressio simulata retineri debet, et vulnera et percussiones, si adfuerunt, levissimae retinendae sunt, veluti asserit syndicus Bituntinus et ipse medicus post aggressionem vocatus. Accedit quod Can. Cicciomessera ardentis indolis est, qui incedit plerumque munitus armis, et talis non videtur ut aggressionem aequo animo ferat. Commentum proinde est quod plerique sive in odium Can. Cuonzo ut eum ab assecutione Poenitentiariae pelleret, vel ob alias causas excogitarunt et perfecerunt. Pariter defuit causa aggressionis ex parte concurrentium, nam Can. Cicciomessera nemini timorem ingerere poterat, cum ipse in ecclesiasticis studiis non sit valde versatus.

Sed ex adverso recoli potest omissionem unius ex concurrentibus, cum ad substantialem concursus formam pertineat, aptam esse ad concursus nullitatem procreandam, prout habet Pignatelli *(Tom. I, cons. i, n. 2j, 32 et 47),* Garcia *(De benef, part. p, c. 2, n. 216),* atque in *Tarraconen.* 12 Maii 1635 decisum est. Atqui id ipsum in themate aptari posse videretur, cum Can. Cicciomessera, qui iam in concurrentium albo adscriptus fuerat, propter illatam sibi aggressionem haud accedere potuerit.

Utique excipiunt aggressionem simulatam esse ac falsam. Sed hoc etiam dato et non concesso semper subsisteret, quod tunc Episcopus, Examinatores ipsique concurrentes omnes, uno excepto Can. Cuonzo, retinuerunt aggressionem veram et realem esse, imo eam non alii tribuendam, quam alicui interesse habenli, et iuxta publicam vocem ipsi Can. Cuonzo, ad impediendum Can. Cicciomessera a concursu, iuxta principium illud : *Is fecit cui prodest.* Nec temere id senserunt

coniungentes anónimas litteras minatorias ante concursum receptas cum facto praesenti. Quapropter sicut ex iniuria exclusionis unius ex concurrentibus ab examine infirmatur concursus, ita in iis adiunctis aequum iustumque videbatur concursum ipsum suspendi. Caeterum omni in casu stat semper quod concursus circa medietatem temporis assignati, suspensus fuit, adeo ut plures ex concurrentibus pensum et opus perficere non potuerint ; et ex his quinque hodie postulant novum concursum indici.

**Rescriptum.** Sacra Congr. Concilii, omnibus aequa lance cribratis, die 20 Maii 1905 rescripsit:

*Fiat novus concursus cum iisdem concurrentibus addito canonico Cicciomessera, et acta transmittantur ad Apostolicam Datariam cum nota meritorum et demeritorum.*

**Colliges.** i°. Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.)* praescribit ut *omnes, qui descripti fuerint,* ad concursum admittantur atque examinentur.

2°. Iniusta proinde alicuius exclusio, quum ad substantialem concursus formam pertineat, ipsius nullitatem operatur.

3°. Ordinarius indictum concursum prorogare vel etiam suspendere valet pro convocatione eorum, qui legitimo impedimento detinentur.

4°. Concursus semel suspensus neque suum effectum sortiri neque prosequi deinde potest, sed novus indicendus est.

5°. In themate constare videtur canonicum Cicciomessera legitime impeditum fuisse concursui interessendi.

# CONCHEN.

## EXONERATIONIS

**Decernitur exoneratio a munere secretarii Capituli in beneficii collatione imposito, atque à beneficiario sub iuramenti fide acceptato.**

**Factiseries.** In Hispanus quatuor numerantur canonicatus *de officio* a Sixto IV Bulla *Creditam nobis* a. 1474 instituti; nempe *doctoralis* cui munus incumbit defendendi iura et proprietates ecclesiae ; *magistralis* pro praedicatione ; *lectoralis* pro lectione theologali ; *poenitentiarius* pro audiendis fidelium confessionibus, Canonicatus autem *de officio* distinguuntur propter munus sibi proprium, potiorem principalitatem et plerumque etiam propter maiorem retributionem.

Anno 1888 vacante canonicatu doctorali in Cathedrali Conchensi, Episcopus et Capitulum edictum convocatorium exararunt, vi cuius praebenda doctoralis gravata fuit, praeter munera officii sui propria, onere magisterii in Seminario Conciliari ad voluntatem Episcopi, praedicandi quater in Cathedrali, nec non exercendi munus secretarii Capitularis, adiecta clausula « sine potestate renuntiandi, nisi aliud iudicaverit Capitulum conveniens ». Et eodem anno electus fuit ad dictam praebendam D. Timotheus Hernández Muías, qui documentum subscripsit quo libere illam acceptábat cum obligatione adimplendi etiam munera, quae continebantur in edicto convocatorio et ad id iuramento se obstrinxit. Verum postquam per 17 annos haec officia fideliter exercuerat, cum novissime vacarent nonnulli canonicatus per concursum providendi cum aliquo munere, petiit a Capitulo et Episcopo liberationem oneris secretariatus : sed frustra; unde ad H. S. C. recursum habuit exonerationem obtinendi causa.

**Animadversiones.** Episcopus de suo voto rogatus approbat rationes Capituli, additque exonerationem in themate indigere tum Episcopi tum Capituli consensu, quem ipse

promptus est concedere statim ac Capitulum consentiat, quum agatur de contractu bilaterali inter Episcopum et Capitulum sancito. Adnotat tamen posse Capitulum ex congruo obsecundare desideriis canonici doctoralis, et hunc exequi munus cum spe suum desiderium consequendi, eo magis quod beneficiatum habeat auxiliarem in suo munere explendo.

At Capitulum in pacti firmitate insistit, sive quia onus canonicatui doctorali impositum non implicat praebendae diminutionem, cum non agatur de novi oneris impositione sed tantum de executione oneris libere acceptati et iam per 17 annos impleti; sive quia pacta bilateralia praesertim iuramento firmata sunt servanda, iuxta cap. *Antigonus* et *Qualiter,* tit. 35 de Pactis, necnon cap. *Si vero* et *Cum contingat,* tit. 24 de Iureiurando ubi edicitur: «Inita pacta suam obtineant firmitatem — Studiose agendum est ut ea, quae promittuntur, opere compleantur — Non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire — Servanda esse iuramenta ».

Ex altera vero parte canonicus doctoralis iura sua imprimis depromit ex Rubrica *lib. 3, tit. 12 Decret,* ita concepta: *Ut beneficia sine diminutione conferantur.* Iamvero diminutio beneficii iuxta Reiffenstuel *(Libi ß, tit. 12, n. 2)* fieri etiam potest : « per impositionem novi oneris », et iuxta De Angelis *(Prael. iur. can., h. tit., n. i)* « adigendo eum, cui confertur beneficium, ad graviora munera subeunda, quam quae adnexa erant beneficio ». Et Conc. Trid. *(Sess. 23, cap. y de Reform.)* habet: « Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur;... et aliter facta provisio subreptitia censeatur ». Accedunt plures resolutiones H. S. C, uti in *Pisauren.* 6 Apr. 1647, in *Sarnen.* 3 Iul. róoo, in *Ästen.* 14 Febr. 1699 et in *Pacen.* 23 Febr. 1901 ; ex qui-

bus eruitur praebendis iam erectis nova onera auctc ritate Ordinarii imponi non posse, et has impositiones non valere absque S. Sedis venia. Cum ergo canonicatus doctoralis erectus esset cum certis oneribus, in nova beneficii collatione non poterat legi fundationis derogari novi oneris impositione.

Praeterea, iuxta regium decretum 6 Dec. 1888 a Nuntio Apostolico confirmatum aliisque decretis 14 Nov. 1890 et 18 Ian. 1904 atque communi interpretatione declaratum, simplicibus canonicis per concursum eligendis unum tantum munus assignari licet; hinc a fortiori hoc valet pro canonicis *de officio,* qui proprium designatum munus iam habent. Eo vel magis quod Secretaria Capitularis ab omnibus, saltem per turnum exerceri valet, et nulla adest ratio nec statutum cur uni ex aliis canonicis imponatur ut onus suo beneficio adnexum. Accedit quod onus secretarii Capitularis et munus canonici doctoralis incompatibilia sunt, quia eadem persona deberet acta conscribere ac iudicium proferre: hoc autem gravius evadit in themate, cum ipse munere quoque Vicarii generalis fungatur, ita ut teneretur administrationem Capituli gerere et una simul eam invigilare ; quod morale absurdum praesefert, quum eadem persona fungeretur munere iudicis et partis.

Nec obstat, ait orator, promissio facta in consecutione beneficii ac iuramentum eam fideliter adimplendi. Nam in casu pactum non extitit, quia pactum afficit res externas et liberas, in acceptatione autem beneficii adesse nequiverat necessaria libertas; imo etiamsi extitisset verum pactum, hoc versaretur circa onera et officia ipsi canonicatui ex sua natura et erectione adnexis, non circa ea illegitime imposita utpote absque S. Sedis licentia. Iuramentum deinde promissioni adiectum, praeterquamquod sequi debet naturam actus, editum fuit cum clausula se obligandi « *in quantum poterat et debebat* », uti constat ex documento a se subscripto. Hinc pluries S. H. C. resolvit non obligari beneficiatus ad nova

onera in collatione beneficii imposita adimplenda, etiamsi acceptata cum iuramento, uti patet ex citatis *Asten,* et *Pacen.*

Ex officio demum animadvertitur sub duplici aspectu quaestionem considerari posse, nempe in linea iuris et in linea gratiae. Sub primo aspectu sustinendam videtur impositionem oneris secretariatus Capitularis factam sacerdoti Hernández Muías, cum heic non agatur de onere reali imponendo ipsi beneficio, quod egreditur limites potestatis Episcopalis, sed tantum de obligatione personali novo beneficiato addenda, quae ab ipso fuit acceptata et iuramento firmata, ac proinde: *quod semel placuit, amplius displicere non potest,* ut fert regula Iuris 21 in 6°. Sub alio autem respectu plura adsunt quae gratiae concessionem suadent, videlicet provecta oratoris aetas, fidelis impletio officii secretariatus per plures annos, pluralitas aliorum officiorum et praesertim incompatibilitas cum munere Vicarii generalis.

**Decisio.** S. Congr. Concilii, re mature discussa, die 20 Maii 19Ó5 respondere censuit:

*Canonicum Doctoralem relevandum esse a Secretarii munere; idque notificetur Episcopo, qui mandet Capitulo ut quamprimum ad electionem novi Secretarii deveniat.*

**Colliges.** i°. In beneficiorum collatione ordinarie excluditur quaevis novi oneris impositio, quia beneficia ecclesiastica debent sine diminutione conferri.

2°. Hinc Episcopi absque beneplacito Apostolico beneficiis nova onera realia adnecti nequeunt.

3°. Intercedente vero iusta et rationabili causa iidem Episcopi nova onera personalia beneficialis imponere iure proprio valent (i).

(I) **Siquidem, ut habet Reiffenstuel** *(Lib. 3 Decret., tit. 12, n. Ç0 et g3)* **loquens de pensione** *personali,* **quae beneficiatum directe respicit, « per huiusmodi pensionem non gravatur beneficium, sed persona beneficiarii dumtaxat, et sic adhuc beneficium sine diminutione confertur; nec fit aliqua sectio circa proventus ipsius, cum hos omnes recipiat beneficiarius gravatus, licet postea ad**

4°. In themate onus canonico doctorali impositum, fungendi nempe munere Secretarii Capitularis, est personale, estque praeterea ab eodem libere et sub iuramento acceptatum.

5°. Validitas igitur impositionis oneris eiusve acceptationis in dubium vocari non potest; attamen inspectis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus conceditur gratia liberationis a praefato officio.

**dies vitae suae, sive quamdiu tenuerit beneficium, debeat certum quid praebere pensionario »; dum contrarium tenet, quando agit de pensione** *reali* **seu transmissibili ad successorem heneficiarium. Quapropter non facile intelligi potest, quomodo idem Auctor paulo ante** *(loc. cit., n. 5 et 6)* **docuerit Episcopos non posse novum onus non solum** *reale* **sed nec** *personale* **imponere beneficio Seu beneficiario. Eo vel magis quod ipse minus recte inniti videtur auctoritate Fagnani** *(Lib. 3, cap.* **Significatum,** *n. 2 de Praebendis)* **nec non Pirhing** *(Lib. 3 Decr., tit. 5, n. 6y).* **Fagnanus enim loquitur de** *onere spirituali perpetuo* **ac proinde de** *onere reali,* **quod ex natura sua beneficio adhaeret, non autem de** *onere personali,* **quod beneficiatum dumtaxat respicit, quodque ex se** *temporaneum* **est. Pirhing autem praecise loquitur de Praelatis Episcopo inferioribus et de Capitulis, quae « non possunt alterare seu mutare statum ecclesiae suae sine licentia Papae vel saltem** *Episcopi* **»; quinimo idem** *(loc. cit., n. 66)* **hanc profert assertionem: « Potest Episcopus, cum consensu Capituli sui, ex causa rationali, onus aliquod** *spirituale,* **licitum et honestum imponere beneficio,... ita ut tale beneficium ad quemcumque possessorem cum tali onere transeat ». Et generatim Doctores etiam recentiores, plus aequo neglecta distinctione inter** *onera realia et onera personalia,* **in diversas saepe etiam contrarias sententias abierunt. Quibus praehabitis, nobis videtur quod omnia nova onera, quae beneficiis vel beneficiatis imponi solent, dispesci possint: i°. in** *realia* **vel** *personalia* **prout ipsum beneficium vel beneficiatum tantum directe afficiunt; 2°. in** *spiritualia,* **si aliquod officium seu servitium spirituale important v. g. munus chori, residentiae, concionandi, coadiuvandi etc.; aut in** *temporalia,* **si ipsos beneficii reditus respiciunt v. g, census et pensio; 3°. demum in** *perpetua* **vel** *temporanea,* **quatenus ad certum tempus ex. gr. ad vitam beneficiarii, vel in perpetuum imponuntur. Iamvero solus Pontifex ex plenitudine potestatis suae beneficiis et beneficiatis imponere valet, etiam nulla causa expressa, quaecumque onera sive realia sive personalia, spiritualia et temporalia, perpetua et temporanea; e contra Episcopi, cogente necessitate vel utilitate ecclesiae, imponere possunt iure ordinario beneficiis vel rectius beneficiariis onera dumtaxat** *personalia* **sive spiritualia sive temporalia, sed** *temporanea,* **non autem perpetua, ita ut personam beneficiati non egrediantur et cum eodem extinguatur. Ad summum Episcopi, iuxta plurium sententiam etiam in quotidiano usu inductam, imponere possunt pensiones ad vitam pensionara duraturas** *(N. R.).*

# LAQUEDONIEN.

## CONCURSUS

**Decernitur digniorem ex duobus concurrentibus conservandum esse in possessione paroeciae.**

**Species facti.** Die 15 Apr. 1903 Laquedoniae habitus fuit concursus ad vacantem Abbatiam curatam ecclesiae Collegiatae loci vulgo *Carife* eiusdem dioeceseos, cui interfuerunt duo tantum concurrentes, Rochus nempe et Benedictus Salvatore; hic dictae ecclesiae Oeconomus curatus, uterque vero in dicto oppido natus. Sac. Benedictus ab Examinatoribus renunciatus est uti adprobatus, et ab Episcopo ad vacantem paroeciam nominatus, imo in realem beneficii possessionem immissus fuit. E contra Sac. Rochus reprobatus fuit ex defectu tertiae partis voti quoad mores, qui proinde aegre ferens suam reiectionem tempore utili appellationem interposuit apud Curiam Metropolitanam Compsanam tum a mala Examinatorum relatione tum ab irrationabili iudicio Episcopi. Curia autem Compsana, reiecta appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, eamdem admisit a mala Examinatorum relatione, eorumque reformato iudicio, iudicavit concursum fuisse nullum et Laquedoniensem Curiam ad litis expensas damnavit.

Verum Curia Laquedonien. una cum D. Benedicto provocavit ad hanc S. C, quae, praehabito Consultoris voto, Episcopo Laquedoniensi rescripsit : « ut novum concursum indicat, et acta omnia ad S. C. transmittat ». Rationes, quas Consultor tunc exposuit ad validitatem prioris concursus infirmandam duae fuerunt, sive quia in dicto concursu latum non fuit iudicium cumulativum super « aetate, moribus, do_ ctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis » , iuxta praescriptum Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.),* sive quia licet suffragia seu vota assignata fuere pro requisitis, haec tamen assignatio

inutilis omnino evasit in finali iudicio. Interea indicto novo concursui praedicti duo concurrentes tantum sese subiecerunt, cuius acta ad hanc S. C. transmissa sunt, super quibus alterius Consultoris votum exquisitum fuit.

**Animadversiones.** Patroni ab utroque concurrente designati, cum votum Consultoris non fuerit partibus consignatum nisi decem diebus ante causae disceptationem, pro nunc in suis allegationibus toti sunt in iis describendis, quae respective sese referunt sive ad validitatem habiti novi concursus, sive ad merita sui candidati prae alio circa doctrinam, qualitates morales aliaque requisita ad idoneum pastorem animarum. Praesertim vero procurator sacerdotis Rochi pro viribus enititur eum purgare ab accusationibus contra mores, quas dicit esse calumnias et malevolorum commenta. At cum querelas moveat de non facta sibi communicatione secreti processus informativi, recolitur quod sapienter sanxit Benedictus XIV Const. *Cum illud* 14 Dec. 1742, § 16, ri. 7: « Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis, ad detergendam iniustae fortasse praelectionis notam ; familiaribus litteris iudicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta... Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere... Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta, illa significet secretis litteris S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis Concilii... ».

Si itaque causae et rationes occultae, ab Episcopis ad appellationis iudicem vel ad H. S. C. delatae ad aliquem excludendum a consecutione paroeciae, inviolabili secreti fide sunt custodiendae, ex se erumpit eas parti non esse commu-

nicandas. Atqui de hac secreto lege servanda in casu Episcopus cavit in uteris quibus acta processus comitatur.

**Votum Consultoris.** Leçtissimus vir indubitatum imprimis censet ad parochiam *Carife* D. Rochum Salvatore duplici de ratione eligendum non esse. Prima ratio in eo est quod mores huius sacerdotis procul videntur ab ea honestate et bona fama, quae in animarum pastore hisce praesertim temporibus exigitur; hoc enim liquet tum ex quadam infanda accusatione tum ex processu inquisitivo ab Episcopo super eius vita et moribus secreto instituto. Iamvero quod circa morum honestatem praecipua inquisitio fieri debeat, quum agatur de eligendis ad beneficia praesertim curata, communis DD. sententia est; v. g. Leurenius *(Forum benef, part. i, sect. 2, cap. 3, q. jjj),* post ea quae statuuntur a iure in cap. *Cum in cunctis* de Elect., et *Grave nimis* de Praebend. ; Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.).* Item quod bona fama gaudere debeat eligendus ad beneficium parochiale tam certum exploratumque est ex regula Iuris 87 in 6°, quod H. S. C. interdum sustinuit, posse Episcopum, etiam non admittere ad concursum aliquem uti docent *Acta S. Sedis,* vol. 7, pag. 351, nota 2. Altera ratio in hoc consistit quod ex depositione iuramento firmata eorum, qui de mandato Episcopi adfuerunt in conclavi, ubi concurrentes propositos casus solvebant, D. Rochum Salvatore pro solutione adhibuisse scripta de theologia morali antea exarata. Notum est autem quod in concursibus scientiae experimentum fieri debet ab omnibus concurrentibus in aequali conditione constitutis; huc spectant litterae de hac re ab H. S. C. datae die io Ian. 1721 et a Benedicto XIV confirmatae in Bulla *Cum illud,* n. 7.

Relate vero ad alterum ex duobus concurrentibus, scilicet D. Benedictum Salvatore, rationes adsunt sive pro sive contra eius electionem ad paroeciam. Contra eius electionem stant sive quod ex aliis quinque canonicis una cum D. Benedicto

Salvatore Capitulum Collegiatae *Carife* efformantibus ipse tres habet sibi contrarios, sive quod praefatum oppidum apparet divisum in partes sibi invicem acriter contrarias, inter quas facilius militant consanguinei utriusque concurrentis. Si ergo odium licet malae plebis ratio esse potest cur parochus removeatur a beneficio, videretur neque adiudicandam esse paroeciam sacerdoti, qui difficulter pastorale suum ministerium exercere poterit. Ex adverso pro adiudicatione paroeciae D. Benedicto Salvatore militant sive optima relatio de hoc sacerdote ab Episcopo missa, sive difficultas tertium presbyterum inveniendi qui in parochum eligi possit, sive denique regium *Placet* a Gubernio iam obtentum necnon iam facta immissio in possessionem beneficii. Experimentum vero scientiae a D. Benedicto datum nec ei favet, nec obest, cum eius scientia, prout ex facto periculo erui licet, non protenditur ultra gradum stricte necessarium in animarum pastore.

**Dubium.** *An et cui conferenda sit paroecia Abbatialis Collegiatae ecclesiae loci vulgo* Carife *in casu.*

**Responsum.** S. Congr. Concilii post maturam deliberationem, die 20 Maii 1905, rescribere putavit:

*Attentis omnibus sacerdotem Benedictum Salvatore conservandum in possessione paroeciae.*

**Colliges.** i°. Examinatores super scientia, moribus aliisque concurrentium requisitis cumulativum non autem disiunctivum iudicium proferant oportet (i).

2°. Inter qualitates, quae in candidatis ad beneficia prae-

(1) **Sane Conc. Trid.** *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.)* **mandat ut: « peracto examine, renuntientur quotcumque ab his** *(Examinatoribus)* **idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis ». Unde Benedictus XIV Const.** *Cum illud,* **§ io addit: « Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii Interprés pluries edixit, Examinatores deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea Ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei et commendabiles »** *(N. R.).*

sertim curata requiruntur, primum locum tenet morum honestas, quae aliquando ipsius scientiae defectui supplet (i).

3°. Doctrinae experimentum fieri debet ab omnibus concurrentibus in aequali conditione constitutis.

4°. Rationes occultae, quae ab Episcopo sub secreto significantur iudici appellationis vel Sacrae Congregationi Concilii, sub inviolabili secreti lege custodiendae sunt; neque ad earum communicationem partes ius habent.

5°. In themate, extra dubium posita inidoneitate sacerdotis Rochi, ob peculiares circumstantias Benedictum manutenendum esse decernitur in possessione paroeciae.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## PARISIEN, SEU BELLOVACEN.

**Decretum beatificationis seu declarationis martyrii Venn. Servarum Dei Teresiae a S. Augustino et sociarum eius monialium e coenobio Compendiensi, Ordinis Carmelitidum Excalceatarum.**

Super dubio: *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur.*

Impietatis nota, odium, quo flagrans omnis filius perditionis *adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus,* quum saepe ante, tum acerrime suas vires exseruit gallica

111. Quaestionem hanc de procuratoribus ad matrim, coram parocho et testibus necessarie vel non constituendis, agit Schmalzgrueber in Tit. *De spons. et matrim.,* nn. 251, 252, 253 argumenta hinc inde expendendo, et concludendo tamen: *Verius praesentiam parochi et testium non requiri ad valorem mandati procuratorii docent Sánchez — Guttier ez... Cöninch.... Ratio est: i. Quia si Trid. ad constitutionem procuratoris requisiisset praesentiam parochi et testium, hoc expressisse....* ***2.*** *Iure antiquo haec solemnitas non petebatur ; ergo nec novo trid., quia hoc circa istam solemnitatem nihil innovavit.... ß. Optima interpres iuris est praxis passim recepta, atqui praxis in Ecclesia passim recepta habet ut post Trid. matrimonium contrahatur per procuratorem, et nunquam auditum est praesentiam parochi et testium servari in mandato procuratori dando: ergo etc.*

112. Ad quaestionem tertiam, seu num mandato speciali sit opus, et quidem concepto de certa persona, cum qua matrimonium sit contrahendum, adfirmative respondendum. Iure romano id fuisse verum iam superius notavimus, recitatis verbis Papiniani *(De ritu nupt.J:* « Generali mandato quaerendi mariti filiae familias non fieri nuptias rationis est: itaque personam eius patri demonstrari, qui matrimonio consenserit ut nuptiae contrahantur necesse est ». Iure autem nostro id quoque esse verum apertissime liquet ex c. ix *De procur.* in vi. Nam Bonifacius viii apertissime edicit: *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale.*

113. Equidem verum Bonifacium requirendo mandatum speciale nihil expresse edicere quoad certitudinem personae, cum qua matrim, est ineundum (v. g. cum Lucia), at verum quoque hanc certitudinem omnino saltem tacite insinuari. Nam si mandatum speciale requiritur (seu ad faciendum matrimonium) excluso quocumque mandato generali, licet amplissimis concepto terminis, idque eo quia agitur de re summi momenti, ex qua veluti immutatur hominis conditio, eadem de causa requiritur quoque, ut persona, cum qua est contrahendum, sit certo determinata, nam alioquin eadem gravissima incommoda exinde facile possent corrivari.

114. *De variis modis quibus procuratores possunt constitui.* — Contractus, ni aut rei natura aut ius vetet, ex contrahentium voluntate legem accipere notissimum est. Generalis haec regula certe sane quoad mandatum non fallit. Unde Paulus (fr. i Dig., *Mandati vel contra)'.* « Item sive rogo sive volo sive alio quocumque verbo scripserit mandati actio est. Item mandatum et in diem differri et sub conditione contrahi potest ».

115. Ex hisce liquet etiam mandato procuratorio leges a mandante dici posse, et hinc, praeterquamquod posse constitui verbis precatorias vel imperativis, dari posse v. g. *pure* (mando tibi ut contrarias cum Lucia) vel *sub conditione* (v. g. dummodo sit dives) vel *ex die* (v. g. ita ut matrimonium celebrare possis a proximis kalendis iuniis) vel *in diem* (v. g. dummodo contrahas inter proximum bimestre).

116. Nec exinde pertimescenda ulla irreverentia quoad sacramentum, nam in matrimonio antequam consideretur sacramentum debet considerari contractus, quum illud huic accedat. Insuper si vel ipsum matrimonium potest contrahi sub conditione, demonstratione etc. arbitrio contrahentium, a fortiori mandatum ad contrahendum mandantis arbitrio est dimetiendum.

117. Quia vero loquimur de legibus mandato adiicien-

dis etc., quaeritur num mandatum committi possit sub pretio; v. g. mando tibi ut contrahas pro me cum Lucia, mille autem tibi persolvam. Ratio dubitandi est, quia Paulus cit. fr. i, *Mandati vel contra*, precium ut a mandati natura prorsus alienum reprobat, et mandatum interposito precio datum decernit nullum. *Mandatum nisi gratuitum nullum est; nam. originem ex officio atque amicitia trahit, contrarium ergo est officio merces.*

i j 8. Verum dicendum mandatum sub precio sustineri. Non enim pretium, si pactum de eo intercesserit, illud operatur ut mandatum nullo prorsus modo valeat, at tantummodo ut magis quam veri mandati cuiusdam locationis operarum naturam sortiatur. Unde rectissime Paulus (1. c.) subdit: *interveniente enim pecunia res ad locationem et conductionem potius spectat.*

Carolus Lombardi
*(Sequitur)* *Pro/. i^n Pont. Seminario Romano.*

## Diarium Curiae Romanae

Pius PP. X. litteris diei 29 Iunii 1905 gratulabatur cum Exmo ac Rmo D. Elia Peno Huayek, Patriarcha Maronitarum Antiochiae pro ipsorum pietatis et observantiae testimoniis.

*Item litteris Secretariae Status :*

i°. Revmos Aloisium Luzzani, Aloisium Ermini et Antonium Centi, canonicos Archibasilicae Lateranensis, dignatus est nominare Praelatos Domesticos.

2°. Revmum Iosephum Latini, advocatum fiscalem S. Congregationis S. R. et U. Inquisitionis, adnumerare dignatus est inter Consultores eiusdem S. Congregationis.

**3°.** Revmum Paulum Debs, Chorepiscopum et Vicarium generalem archidioecesis Beryten., inter Praelatos Domesticos adnumerare dignatus est.

4°. Revmum P. Dominicum Pasqualigo, ex Ordine Praedicatorum, Vice-Commissarium S. Congregationis S. R. et U. Inquisitionis, necnon Revmum P. Ioannem Lottini, ex eodem Ordine, primum socium Rmi D. Commissarii ac Consultorem eiusdem Congregationis nominare dignatus est.

5°. Revmum P. Laurentium Janssens, O. S. B., Rectorem Collegii S. Anselmi in monte Aventino, in Consultorem Commissionis pro Studiis Biblicis necnon in eiusdem secundum Secretarium benigniter nominavit.

6°. Revmum P. Augustinum Molini, O. M., nominavit Consultorem praedictae Pontificiae Commissionis pro Studiis Biblicis.

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Pii PP. X ad Card. Richard, Archiepiscopum Parisiensem, circa persecutionem religiosam in Gallia.**

*Notre très cher Fils,*

Les graves événements, qui se déroulent en France et qui menacent les intérêts suprêmes de la religion, sont l'objet de Nos préoccupations constantes à l'heure actuelle. Malgré tuos Nos efforts pour éloigner de l'Eglise de France les malheurs qui paraissent aujourd'hui inévitables, on persiste à travailler avec acharnement à la destruction des saintes et glorieuses traditions de votre noble et bien-aimé pays. Nous manifesterons en temps et lieu toute Notre pensée et Nous donnerons au clergé et aux fidèles de France les instructions exigées par une situation douloureuse qui n'est pas Notre œuvre et (comme le reconnaissent tous les esprits honnêtes et éclairés) dont Nous ne sommes en aucune façon responsables.

En attendant, et pour pouvoir affronter sans crainte les difficultés toujours croissantes d'un avenir prochain, Nous sentons très vivement la nécessité pour Nous-mêmes, et pour vous, d'invoquer les lumières et le secours que Dieu seul peut donner. Si dans sa miséricorde infinie, le Seigneur nous invite à recourir à Lui pour nos besoins particuliers, à plus forte raison devons-nous L'appeler à notre aide dans les nécessités de la vie publique et dans ces moments solennels où la religion et la patrie sont en péril. Notre cause après tout est la cause de Dieu, et la parole que le Seigneur adressait jadis au peuple fidèle prosterné devant Lui au temps de Josaphat, peut bien s'appliquer aux catholiques français: *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei* (II Par., xx, 15). Aussi voudrions— Nous, très cher fils, que dans tous les diocèses de France

des prières publiques fussent prescrites pour implorer les bienfaits de la miséricorde divine sur votre patrie, et une protection toute spéciale pour l'Eglise en présence des épreuves qui la menacent à l'heure présente. Nous le savons cependant, Dieu écoute surtout la prière des âmes purifiées par le repentir, car il est écrit: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (Eccl., **XV,** 9); aussi serait-il désirable, en ces jours, que tous les fidèles s'approchent plus souvent des sacrements et que leur prières soient rendues plus efficaces par des pratiques de pénitence.

Dans l'espoir que cette invitation à la prière sera accueillie avec empressement par tous les fidèles de France, et que Dieu daignera exaucer les vœux ardents que Nous formons pour le vrai bonheur de votre bien-aimée patrie, comme gage de Notre affection Nous vous envoyons, très cher fils, la bénédiction Apostolique.

Du Vatican, 4 octobre 1905.

PIUS PP.'X

## ALLOCUTIO

**Pii PP. X ad iuvenes I Conventus gymnici catholici Italiae, de fortitudine et pietate.**

E una dolce consolazione che io provo nel trovarmi in mezzo a voi, diletti giovani, che rappresentate l'età dei nobili sentimenti, delle azioni generose e delle splendide vittorie ; e Vicario di Gesù Cristo, che avvezzo a vivere nella società degli Angeli pur trovava nella gioventù le sue delizie, com'Egli una volta guardando un giovane lo amò *intuitus eum dilexit eum,* così io nel riguardarvi sento il bisogno di dirvi che vi voglio bene, e voi dovrete avermi non come padre soltanto, ma come fratello e tenero amico. E con questi sentimenti non solo approvo tutte le vostre opere nell'azione cattolica, ma ammiro e benedico di cuore tutti i

vostri giuochi e passatempi, la ginnastica, il ciclismo, l'alpinismo, la nautica, il podismo, le passeggiate, le gare, i concorsi e le accademie, alle quali vi dedicate; perchè gli esercizi materiali del corpo influiranno mirabilmente sugli esercizi dello spirito; perchè questi trattenimenti richiedendo pur del lavoro, vi toglieranno all'ozio, che è il padre dei vizi ; e perchè finalmente le stesse gare amichevoli saranno in voi un' immagine della emulazione nell'esercizio della virtù.

Perciò, facendo tesoro delle parole del più giovane degli Apostoli prediletto dal Divin Redentore, che scriveva ai giovani : *Siate forti, e la parola di Dio sia in voi ed avrete vinto il maligno,* io vi ripeto: Siate forti per custodire e difendere la vostra fede, quando tanti la perdono, — siate forti per conservarvi figli devoti della Chiesa, quando tanti le sono ribelli, — siate forti per mantenere in voi la parola di Dio, e manifestarla con le opere, quando tanti l'hanno bandita dall'anima, — siate forti per vincere tutti gli osta-, coli, che incontrerete nell'esercizio dell'azione cattolica a merito vostro e a vantaggio dei vostri fratelli.

Non abbiate paura che la Chiesa con queste insinuazioni voglia imporvi dei gravi sacrifici o proibirvi dei leciti sollievi ; dessa vuole soltanto rendervi veramente cara la vostra età, che è l'età delle belle speranze e dei santi entusiasmi; così che. nell'autunno della vita possiate cogliere copiosi quei frutti, dei cui fiori fu lieta la vostra primavera ; e perciò vi raccomando soltanto di mettere a fondamento di tutte le vostre òpere il timor santo di Dio nella cristiana pietà.

E la pietà vi è necessaria, perchè dovendo esercitare sui vostri compagni un apostolato, vi è necessario l'aiuto che il Signore in via ordinaria non accorda che ai buoni che glielo domandano. — La pietà vi è necessaria per raggiungere **10** scopo delle opere vostre col buon esempio, perchè dice **11** poeta : *più lentamente eccitano gli animi le cose che entrano pzr le orecchie, di quelle che si presentano agli occhi.* A cui

soggiunge il filosofo: *la strada lunga che si percorre coi precetti si rende breve con gli esempi;* e per non chiamare sopra di voi T applicazione del noto proverbio : *predica bene ma razzola male.* La pietà finalmente vi è necessaria per conservarvi non solo buoni cristiani, ma anche per non degradare la vostra natura di uomini.

Sono ben lontano dal giudicare con severità il tempo presente, perchè vi sono degli ottimi in ogni classe, in ogni condizione, in ogni età; ma sanguina il cuore nel vedere tanti giovani, che avendo dimenticato di essere cristiani, hanno per lo meno offuscata in se medesimi la dignità di uomini. Qualcuno potrà dire esagerata questa proposizione, perchè se tutti riconoscono in molti l'indifferenza per la religione, una quasi totale inosservanza delle pratiche cristiane, non tutti si persuadono che sia caduta in basso la dignità umana. Eppure si trovano forse in molti di questi indifferenti e inosservanti almeno le virtù naturali? Dov'è la ragionevole obbedienza, il rispetto all'autorità, la giustizia severa e indipendente, il patriottismo disinteressato, la libertà rispettata e, con questi principii inseriti da Dio nei nostri cuori, quello fondamentale di non fare agli altri quello che non si vorrebbe fatto a noi stessi?

Oh ! persuadetevi, cari giovani, che senza un buon fondo di religione anche la semplice onestà naturale svanisce; e quindi di nuovo vi raccomando di amare la pietà, di praticare la religione, e allora sarete forti anche per vincere gli umani rispetti, per non vergognarvi di essere cristiani cattolici non solo a parole ma coi fatti, e in questo modo conservando in voi la parola di Dio, vale a dire sempre viva là fede ricevuta nel Santo Battesimo, renderete fruttuoso il vostro apostolato, perchè gli stessi vostri avversarii, che apparentemente vi deridono, dentro di loro faranno omaggio alla vostra virtù, e voi senza quasi avvedervi otterrete nella loro conversione il più splendido trionfo.

E di questo trionfo sia caparra la benedizione Apostolica che impartisco di cuore a voi qui presenti, ai vostri compagni lontani, alle vostre e alle loro famiglie, ai vostri studi, alle vostre opere e anche ai vostri trattenimenti sportivi col voto, che questa sia per tutti fonte dei più cari conforti e delle più soavi consolazioni.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

**Breve solemnis Beatificationis Venn. Servorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ordine Franciscanum Capulatorum.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Africam, terram triumphis divitem, iam veteres terrarum orbis domini, appellarunt Romani ; sed illa hoc potius fatidico nomine vocari a christiano populo tunc potuit, cum Martyrum purpurata sanguine, a primis humanae Redemptionis annis ad praesens usque aevum, innumeris ac vere in conspetu Dei gloriosis triumphis enituit. Et sane eadem in terra fortissimorum heroum seriem, qui effuso sanguine testimonium Christo reddidere, nulla unquam aetas conclusit, sed fastorum ipsorum tabulas novi semper tituli adaugent. Etenim post primas in Romana provincia Imperatorum persequutiones, post cruentas haereticorum Regum caedes, post crudelissimas Arianorum in Christi asseclas animadversiones, Mauritaniam, Gaetuliam» Numidiam, Aegyptum, Lybiam, Nubiani, et ipsas interioris Africae male cognitas plagas, nova semper atque insignia Christi militum trophaea ornarunt. Has ad regiones christiani nominis provehendi studio adducti, divini verbi prae-

cones certatim properarunt, ad gentes immanitate barbaras cultuque efferatas Evangelii lumen allaturi. Non eos coeli inclementia, non itinerum asperitas, non belluarum hominumque silvestrium ferocia, ab incoepto deterruit, nullis difficultatibus, nullis laboribus fracti, saepe doctrinam quam praedicatione vulgaverant constanter tolerata morte confirmarunt, proprio videlicet sanguine, quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Certam quisque nacti provinciam, auspice Congregatione Fidei Propagandae praeposita, Religiosi potissimum Ordines spectatos doctrina et sanctimonia viros, sui etiam sanguinis ob salutem proximorum pródigos, ad Sacras in Africam expeditiones designarunt ; hosque inter Ordines de causa religionis et humanitatis optime méritos, inclyta etiam Capulatorum Franciscalium familia numeratur. Haec nobilibus floret coronis et palmis alumnorum suorum quorum effusus cruor iuge semen fuit christianorum; haec in gloriosis Ordinis Martyrum tabulis, nomina quoque habet inscripta Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani, qui ob catholicae fidei testimonium in Aethiopia mortem crudelissimam oppetierunt. Venerabilis Dei Servus Agathangelus, in paterna domo Franciscus Nourry, Vendôme in urbe Galliae ortus est die XXXI mensis Iulii anno MDXCVIII. EO nondum bilustri Nanneti prodiit in lucem die XV mensis Ianuarii anno MDCVII futurus illi in apostolatu et passione socius Consalvus Vaz Lopez Netto, cui postea nomen Cassianus. Uterque claris piissimisque parentibus usi sunt, non ad rem sibi gloriamque amplificandam, sed ad màturanda consilia sanctitatis. Docti ab infantia timere Deum, et ab omni culpa abstinere, late pervadentis corruptionis esse potuerunt expertes, Tobiaeque similes, *cum irent omnes ad vitulos áureos, ipsi pergebant soli in Hierusalem ad templum Domini.* Quae morum innocentia utrumque disposuit ad perfectioris vitae institutum amplectendum in familia religiosa Capulatorum Franciscalium, qui tunc in Gallia ut novis erroribus sese

opponerent versabantur. Posthabitis ideo familiae commodis, locique natalis deliciis, in ipso aetatis flore rudes ac pauperes Seraphici Patris lanas induere. Franciscus Agathangeli nomen in religione sortitus, in coenobio Cenomanensi tyrocinium posuit, dein in Pictaviensi philosophicas, in Rhedonensi theologicas disciplinas magno cum plausu didicit. Consalvus autem Andegavense coenobium ingressus Cassiani nomen assumpsit, ac vix e tyrocinio excessit in Conventu Rhedonensi, eodem atque Agathangelus sacrae theologiae magistro usus est. Hoc in domicilio virtutis aucti sacerdotio et doctrina, quo pares forent errantium saluti procurandae, sacrarum expeditionum et martyrii desiderio flagrare coeperunt , sed probe noscentes *longum esse iter per praecepta, breve per exempla,* uterque recte iudicans, seipsos abundare oportere iis omnibus laudibus ad quas alios excitarent, virtutum omnium exercitationi ac perfectioni sese penitus assiduo studio dediderunt. Gloriosum in conspectu Domini vitae exitum parum abfuit quin praeoccuparet Cassianus, grassante pestis contagio in urbe Rhedonensi; sed non obiit martyr caritatis, qui fidei martyr erat moriturus. Itaque ut convaluit, in Aegyptum missus est, deinde Cairum, ubi Agathangelum invenit, annum iam ibi commorantem sacrisque illis expeditionibus, ob meritorum praestantiam, praepositum. Inde simul Aleppum profecti sunt, Syriamque aliasque Orientis regiones uberrimo cum fructu peragrarunt, proposito sibi maxime Coptorum dissidentium reditu ad catholicae fidei unitatem, hisque in negotiis pertractandis, maxime rei sacrae provehendae profuit Cassiani in variis Orientalibus linguis peritia. Post longa eaque asperrima itinera, post ingentes exantlatos pro Christi causa labores, cum rescivissent atrox in Aethiopia flagrare odium in catholicum nomen, eo se contulerunt incommodis obiecti plurimis, maxime vero *periculis in falsis fratribus.* Nam opera cuiusdam Petri Leonis, lutherani hominis vaferrimi, schismaticus Episcopus Abyssinus,

quocum antea Cairi, piis adhortationibus permoto, Venerabiles Dei Servi de Missionibus in Aethiopia habendis coniunctissime egerant, in suspicionem ductus edictum provocavit, quo catholici viri religiosi comprehenderentur omnes, quicumque in Aethiopiam pedem inferrent. Qua comminatione ipsi nimirum petiti Agathangelus atque Cassianus, perfidiae ignari, vix Dibauriam ingressi, illico vinculis crudelissime obstricti in carcerem proiiciuntur. Pauli imitatores, etiam in custodia, licet fame, siti ac squallore quasi enecti, tamen schismaticorum ad romanam fidem conversionem per solidum mensem praedicare non cessant; donec funibus ad quadrupedum caudas, queis satellites insidebant, alligati, longo viae spatio, sub ardenti sole, ad supplicii locum raptantur. Ante vero quam ibi plecterentur, in ius vocati, et coram Aethiopiae imperatore constituti, catholicam fidem publice sunt strenueque professi. Quam liberam confessionem illico poena suffocationis excepit, addito opprobrio nuditatis in conspectu confertissimae turbae clamoribus ac sibilis prosequentis ferum spectaculum. Truncis appensi, tortoribus quaeritantibus funes invicti Christi athletae suas, quibus erant cingi soliti, indicarunt. At his, quippe crassioribus, quum cito confici non possent, plebs eos, levitae Stephani beatos aemulos, crepitantium saxorum turbine oppressit die VII mensis Augusti anno MDCXXXVIII. Continuo innocentem horum sanguinem de coelo signa sunt prosequuta; ipso martyrii vespere distinctae visae luces ex imis lapidum, quorum sub acervo sepulta corpora iacebant, prodeuntes, seque in unum veluti ardentis columnae corpus attollentes; quo viso plures sunt illico ad catholicam fidem conversi. Paullo post teterrima auctoris caedis Petri Leonis mors, aliaque plurima prodigia, gloriosi huius triumphi' splendorem auxerunt ac famam. His de causis factum est, ut de utriusque religiosi viri martyrio institueretur actio, et canonicae inquisitiones auctoritate primum Ordinaria dein Apostolica fierent. Propterea Apostolicis actis confectis

aliisque quaestionibus attento ac sedulo studio perpensis cum VV. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris tuendis Ritibus praepositis, Nos per Decretum decimo quinto Kal. Maias anni vertentis editum de utriusque Venerabilis Dei Servi martyrio eiusque causa necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare ediximus. Illud supererai ut VV. Fratres Nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et causae martyrii pluribus signis ac miraculis a Deo illustrari ac confirmati, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulis decernendos. Quod praestitit dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, Causae Relator, in generali conventu coram Nobis habito sexto Idus Maias labentis anni; omnesque tum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores, tuto id fieri posse, unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica prima post Pentecosten huius anni, Ecclesia festum diem Trinitari Augustae sacrante, Eucharistico litato Sacrificio, adstantibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Aloisio Tripepi S. Rit. C. Pro-Praefecto et Dominico Ferrata Causae Relatore, necnon R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, sollemni Decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos moti precibus universi Ordinis Capulatorum Franciscalium harum Literarum vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famuli Agathangelus Vendomensis et Cassianus Nannetensis ex Ordine Franciscalium Capulatorum in odium catholicae religionis nefarie in Aethiopia a schismaticis interfecti, Beati in posterum appellentur, eorumque corpora et lypsana seu

reliquiae non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Martyrum cum Orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus, intra limites Vicariatus Apostolici Abyssiniae, atque in templis omnibus atque Oratoriis continentibus Conventibus sive monasteriis Ordinis Franciscalium Cappuccinorum, ab omnibus christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus, servato decreto S. R. C. n. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani in Vicariatu ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu Instructionis S. R. C. diei XVI Decembris MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non-cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Literis ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxiii Octobris MCMIV Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S. ALOISIUS Card. MACCHI

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM
ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### PISAUREN.

FUNERUM

**An et quomodo Regulares ius habeant comitandi ad coemeterium cadavera, quorum funebria in suis ecclesiis expleverunt.**

**Species facti.** Extra moenia civitatis Pisauri extat ecclesia Minorum Capuccinorum, quibus fideles funera defunctorum persolvenda aliquando committunt. At circa associationem cadaverum ad publicum coemeterium nonnullae exortae sunt controversiae inter civitatis parochos et dictos Religiosos, qui proinde ad eas dirimendas suaque iura tuenda recursum, propositis infrascriptis dubiis, ad hanc S. Congregationem obtulerunt.

**Iura Capuccinorum.** In genere et praesertim quoad primum et quintum dubium observari potest quod ad tramitem iuris parochus filianum mortuum dumtaxat ad ianuam tumulantis ecclesiae Regularium associare valet. Sane Clemens X Bulla *Nuper* 18 Ian. 1672 statuit: « Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale ; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis fieri solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a parochis». Quinimo haec S. C. in una *Caven.-Funerum* 17 Sept. 1880, non obstante antiqua consuetudine favore parochorum, proposito dubio : « An et cui competat comitandi cadavera ab ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent»; respondit: « Affirmative, favore Regularium ». Item in *Compostellana-Funerum* i Aug. 1902 ab eadem S. C. de-

claratur quod: « ad Regulares pertinet, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi » (i). Ratio autem iuridica, qua Regularibus concessum fuit ius associandi cadavera ab ipsorum ecclesiis ad publicum coemeterium in eo est, quod per publica coemeteria non fuerunt sublata ecclesiarum tumulantium iura sed mutatum solummodo fuit locum, in quo ipsae ius suum exercebant; ita ut quo iure antea fruebantur Regulares in propriis sepulcris, eodem postea uterentur in publicis coemeteriis. Exinde receptum est in iure Regularibus exclusive competere ius associandi cadavera defunctorum, qui penes ipsos sepulturam elegerint, a propriis ecclesiis ad coemeterium commune.

Quibus accedit quod, dum Capuccini in iure fundantur, e contra parochi Pisaurenses dumtaxat innituntur consuetudinibus, quarum legitimitas iuridice non probatur. Ad summum in dubio praeferenda essent Regularium iura iuxta principium *in dubiis melior est conditio possidentis.* Eo vel magis quod Capuccini ob civilem suppressionem ac dispersionem nequiverant iura sua sarta tectaque tueri; hinc in casu non habetur praescriptio, quae contra non valentem agere non currit. Quinimo ipse Ordinarius dioecesanus fatetur associationem cadaverum fieri solitam a proprio parocho ad commune coemeterium initium sumpsisse a publici coemeterii extructione.

Quoad tertium dubium affirmativa responsio dari potest; sensus enim formulae *recto tramite* traditur a S. C. Rituum in una *S. Severi* 15 Sept. 1742 (quae tamen extat dumtaxat in Collectione Gardelliniana sub n. 4132), ubi ad dubium: « An eadem processio *(nempe in associatione cadaveris alterius paroeciae)* fieri valeat per viam longiorem seu potius fieri debeat per viam breviorem ad ecclesiam tumulantem »; responsum prodiit: «Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam, dummodo processio incedat per viam

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 13, **p.** 416-422, **necnon vol.** 35, **p.** 283-288.

eommodam atque decentem ». Et S. C. EE. et RR. die 26 Novembr. 1713 resolvit: « Qui habet ius associandi cadaver, gaudet etiam iure transeundi, si opus sit, cum Cruce elata et stola per alienas paroecias, non expetita ulla parochorum licentia ». Atqui in themate, quum via hucusque usitata sit incommoda et indecens, altera via commodior ipsam quoque civitatem pertransiens eligi posse videtur.

Tandem ad quartum quaesitum quod attinet, respondendum videtur negative, quia formula *sine pompa* vel *sine solemni pompa* non quamlibet cadaveris associationem sed dumtaxat pomposam excludit. Ita S. C. Concilii in una *Ordinis Praedicatorum* 24 Ian. 1846 resolvit quod Regulares, inconsulto parocho , associare possunt cadaver proprii religiosi ad publicum coemeterium : « dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite ad coemeterium a familia Regulari proprii conventus tantum ». Quod confirmatur ex resolutione eiusdem S. C. in una *Meliten.* 21 Martii 1884. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, pag. 170-173; nec non Card. Gennari *(Cons. can., vol. 2, pag. 135).*

**Iura parochorum.** Inprimis observari potest decisiones SS. Congregationum particulares esse, ac consuetudines nonnisi in singulis casibus esse diiudicandas. Praeterea in genere et praesertim quoad primum et quintum quaesitum parochis favet decisio huius S. C. in *Ferrarien.* io Martii 1893, ᵘ°i ad dubium: « Utrum P. Guardiano Minorum ius competat associandi ad commune coemeterium cadaver defunctae Sabinae Mazza » ; responsum fuit: « Attentis consuetudine et Constitutionibus synodalibus *negative,* et restituenda esse parocho Curiae emolumenta percepta in associatione ab ecclesia ad coemeterium ». Quapropter doctores innixi Decretalibus *(lib. ß, tit. 28, cap. p)* inferunt: « consuetudinem in materia funerum multum operari ». Iamvero parochi documenta adducunt a libris mortuorum deprompta, ex quibus constat consuetudinem immemorabilem existere, vi cuius ipsi non solum

associant cadaver proprii filiam ad ianuam ecclesiae sive regularis sive saecularis sive etiam ipsius Cathedralis sed insuper cum cotta et stola exsequiis intersunt et Responsorium *Libera me Domine* intonant. Hoc autem confirmatur ab ipso Episcopo, qui huiusmodi consuetudinem perantiquam vocat.

Relate ad secundum dubium negative responderi potest, secus enim admitteretur principium quod dispositiones legesque ecclesiasticae pendere debeant a civili auctoritate vel privatorum arbitrio. Eadem responsio danda videtur tam ad tertium dubium, quia ius deferendi cadavera ad coemeterium est parochiale, nec in themate verificantur incommoda a Capuccinis praetensa ; quam etiam ad quartum, quum personae associantes defunctum ita multiplicari possent ut solemnem pompam constituant.

**Dubia.** I. *Possono i PP. Cappuccini di Pesaro accompagnare al cimitero comune con stola e Croce propria, e senza V intervento del parroco del defunto, i cadaveri dei fedeli che si sono lasciati nella loro chiesa?*

II. *Possono i suddetti Religiosi accompagnare al cimitero i cadaveri esposti nella loro chiesa quando dai parenti ò dalle autorità civili si determinasse la via che non fosse il* recto tramite ?

III. *Essendo per i PP. Cappuccini di Pesaro il* recto tramite *che conduce al cimitero, una via angusta che per buon tratto due carri incontrandosi non possono transitare senza che l'uno o l'altro retroceda, può il corteo accompagnato dai Religiosi suddetti, senza intervento del parroco, passare per una strada un po' più comoda?*

IV. *E contrario alla clausola* sine pompa *se taluni soci del defunto, lasciatosi nella suddetta chiesa, V accompagnino al cimitero, cosicché sia proibito ai PP. Cappuccini d'accompagnarlo senza l' intervento del parroco ?*

V. *Può infine il Superiore dei PP. Cappuccini di Pesaro impedire al parroco del defunto, esposto nella chiesa dei Re-*

*ligiosi, di tenere la stola nelle esequie ed intonare il* Libera me Domine?

**Resolutiones.** Et S. C. Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 5 Maii 1905, rescripsit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Negative.*

Ad III. *Attentis expositis, negative in casu.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Attenta immemorabili consuetudine in civitate Pisaur ensi, negative in casu.*

**Colliges.** i°. Quum publica coemeteria sepulturis singularum ecclesiarum subrogata sint, omnis parochorum iurisdictio in defunctos filíanos ad ianuas ecclesiae Regularium tumulantis etiam nunc desinat oportet.

2°. Huiusmodi proinde cadavera transeunt in Regularium iurisdictionem, quibus solis, absque parochi interventu vel licentia, officia omnia ac munia usque ad coemeterium peragere competit.

3°. Religiosi ad commune coemeterium deferentes feretrum etiam per alienas paroecias transire valent, dummodo recto tramite et sine solemni pompa.

4°. Pro *recto tramite* intelligitur via brevior, quae sit etiam commoda et decens, per quam nempe processio absque gravi difficultate et indecentia transire possit; quaeque arbitrio privatorum vel civilis auctoritatis mutari nequit.

5°. Pomposa cadaveris delatio non censetur quae fit cum nonnullis defuncti sociis feretrum ad coemeterium associantibus.

6°. Legitimae consuetudines necnon statuta particularia multum operantur in materia funerum, adeo ut vel ipsi iuri communi aliquando derogent.

7°. In themate duo praesertim notanda sunt, quod nempe recognita non fuit indecentia et incommoditas viae, dum e

contra admissa fuit immemorabilis consuetudo, vi cuius parochi Pisaurenses ius acquisierunt interessendi exequiis defunctorum in ecclesiis Regularium.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## WRATISLAVIEN. ET ALIARUM

### DE PAROCHO PROPRIO QUOAD MATRIMONIUM

**Extenditur dioecesi Parisiensi indultum commorationis unius mensis in eadem paroecia ad validitatem matrimonii.**

**Supplices preces.** Emus Card. Episcopus Wratislaviensis die 23 Iunii 1902 huic S. Congregationi sequentem transmisit supplicem libellum: « Omnibus ex Germaniae regionibus homines Berolinum confluunt, ut ibi, si omnia bene contingant, domicilium vel quasi-domicilium constituant, aliter autem saepe breve post tempus discedunt, ita ut civitas Berolinensis in singularissima mobilitate existat. Qua ex incolarum mobilitate magna exoritur difficultas ratione domicilii vel quasi-domicilii in ordine ad matrimonium. Saepe enim accidit, ut Berolini matrimonium ineant, qui iam in aliqua huius urbis parochia habitant, quin nec domicilium nec quasi-domicilium acquirere intendant. Itaque cum facile inquisitio de animo permanendi omittatur, neque nupturientes sponte ullum hac de re verbum dicant, timendum est, ne matrimonia incompetente parocho assistente nulla atque invalida interdum contrahantur. Quam ob rem humillime rogo ut Sanctitas Vestra privilegium Parisiis iam die 9 Novembris 1898 concessum (i), etiam urbi Berolinensi benigne concedere

(i) **Indultum hoc, reticito tamen dioecesis nomine, prostat in** *Actis S. Sedis,* **vol. Si, pag.** 404 *(N. R.).*

velit, videlicet quod Berolini in ordine ad matrimonium quasi-domicilium acquiratur, quin animus investigetur, dummodo ex alio loco vel parochia sese conferentes in urbem Berolinensem per sex menses et ibi in aliqua parochia commorati fuerint ».

Cum haec quaestio, utpote grave punctum ecclesiasticae disciplinae attingens iure merito delata fuerit ad H. S. C, quae in uno ex plenariis conventibus eiusdem anni mandavit votum consultoris (1) exquiri non tam super speciali casu proposito, quam potius in linea generali, scilicet pro norma in similibus casibus occurrentibus, stante actualis societatis conditione. Item quo tutius in re tam momentosa procederetur, per literas H. S. Congregationis sub die 15 Decembris 1902 rogatus est Assessor S. Officii « a voler significare se da detta Congregazione di S. Officio per rimediare a tale inconveniente siasi accolta mai la massima, che coloro i quali abbiano dimorato sei mesi in una parrocchia, possano essere uniti validamente in matrimonio dal parroco della loro residenza, senza investigare se abbiano o no l'animo di rimanervi. E se tale massima non è stata riconosciuta, si desidererebbe conoscere se siasi supplito con facoltà concesse temporaneamente agli Ordinari » (2).

Hisce mandatis ea qua par est diligentia morem gerens Assessor S. Officii Uteris diei 26 Ianuarii 1903 ita rescripsit: « Presso questo Supremo Tribunale non è stata mai accolta la massima che coloro, i quali hanno dimorato sei mesi in

(1) **Pretium operis ducimus hoc tanti momenti Votum ex integro referre in** *Appendice* **praesentis et subsequentium fàsciculorum (IV.** *R.).*

**(2) Rogatus est Assessor S. Officii « ut referret utrum a dicta Congregatione S. Officii, ad huiusmodi inconveniens vitandum, receptum unquam sit principium, iuxta quod illi, qui sex menses morati fuerint in aliqua paroecia, valide contrahere queant nuptias coram parocho propriae residentiae, quin investigetur num animum ibidem permanendi habuerint necne. Quod si hoc principium recognitum non fuit, cognoscendi in votis esset, an suppletum sit per facultates Ordinariis ad tempus concessas »** *(V. R,).*

una parrocchia, possano unirsi validamente in matrimonio senza la esplorazione dell' *animo permanendi,* e che le disposizioni emanate per un caso di Parigi furono e devono ritenersi come disposizioni particolari » (1).

Praeterea die 9 Novembris 1903 Emus Archiepiscopus Parisiensis huic S. C. exposuit: « se iam pluries ad Sanctam Sedem detulisse gravissimas anxietates quibus premitur Curia archiepiscopalis quoad matrimonia quae in civitate imo et in tota dioecesi Parisiensi contrahuntur, quaeque dubia aut nulla evadunt ratione incerti domicilii aut quasi-domicilii ; unde etiam non infrequentes sententiae nullitatis prolatae, non sine magno scandalo. Ut tot et tantis incommodis ex parte saltem remedium afferatur, Sanctitatem Vestram enixe deprecatur ut civitati et dioecesi Parisiensi extendere dignetur, iisdem in terminis et ad eumdem effectum, declarationem pro Foederatis Statibus Americae Septentrionalis datam sub die 6 Maii 1886, de sufficienti commoratione unius mensis ad validitatem matrimonii, nempe : *se conferentes e loco ubi viget caput* Tametsi *in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem.*

**Responsum.** Emi Patres Sacrae Congregationi Concilii praepositi, re mature perpensa, in plenariis Comitiis diei 20 Maii 1905 rescribendum censuerunt:

*Pro gratia iuxta petita ab Emo Archiepiscopo Parisiensi, facto verbo cum SSmo, et ad mentem* (2).

(1) Assessor S. Officii rescripsit: « Apud hoc Supremum Tribunal nunquam receptum esse principium, iuxta quod illi, qui sex menses morati fuerint in, aliqua paroecia, valide nuptias contrahere queant omissa investigatione de *animo permanendi,* atque indultas dispositiones pro quodam Parisiensi casu tamquam particulares habendas omnino esse » *(V. R.).*

(2) Sacra Congregatio in sua responsione, uti patet, nullam mentionem facit de postulato Emi Cardinalis Vratislaviensis, sed gratiam tantummodo con-

**Colliges.** 1°. Iuxta actualem Ecclesiae disciplinam ad matrimonium valide contrahendum, in locis ubi viget Decretum *Tametsi* requiritur domicilium vel quasi-domicilium unius saltem ex nupturientibus in aliqua paroecia contractum.

2°. Ad quasi-domicilium autem acquirendum duo simul concurrere oportet, factum nempe commorationis (etiam solius diei) et animus in eadem paroecia permanendi per maiorem anni partem seu per sex saltem menses.

3°. Exploratio proinde huiusce animi a parochis necessario peragenda est, etiamsi contrahentes per sex saltem menses ibidem commorati fuerint.

4°. In casu vero, attenta quam maxima mobilitate incolarum de una ad aliam parochiam transeuntium, speciale indultum conceditur omittendi inquisitionem praedicti animi, dummodo in eadem paroecia Archidioecesis Parisiensis per integrum mensem habitaverint sponsi.

## BAMBERGEN.

### CIRCA ELEEMOSYNAS MISSARUM

**Per se etiam pro Missis cantatis retineri nequit excessus eleemosynae dioecesanae pio Operi impendendae.**

**Dubium.** Archiepiscopus Bambergensis, quum indultum a S. Sede obtinuisset ut stipendia sive secundae Missae, quam omnes dioeceseos sacerdotes ob ipsorum penuriam binando litant, sive Missae a parochis et curatis in festis suppressis celebratae, in favorem Seminarii dioecesani cederent; modo ab hac S. C. poscit: « Utrum sacerdotes dicto privilegio utentes, etiam in casu si Missam cum cantu celebrent, te-

cedh iuxta exposita ab Emo Cardinali Parisiensi. *Mens* praeterea est secreta; tamen nobis certo constat ipsam in eo summatim consistere: *Ut tempore opportuno Apostolicum decretum edatur, quo iurisprudentia de matrimoniis coram parocho celebrandis moderetur (N. R.).*

neantur integrum stipendium inde perceptum tradere, an ipsis liceat taxam dioecesanam tantum pro Missis lectis normatam tradere, reliquam autem stipendii partem (ut remunerationem maioris laboris pro missis cantandis erogatam) pro se retinere ».

**Disceptatio Synoptica.** Sacerdotes necnon parochi et curati in casu, etiamsi Missam cum cantu celebrent, videntur teneri integrum stipendium Ordinario exhibere. Siquidem Apostolicum indultum haud absolute fuit ipsis concessum, sed ea lege ut oblatum ipsis stipendium Archiepiscopo in favorem Seminarii dioecesani sit tradendum. Proinde sicut eleemosyna ex integro celebranti est tradenda, cum hanc offerens totam det intuitu oneris quod ei imponit, a pari aequum est ut stipendium , pro quo percipiendo indultum secundam Missam celebrandi concessum est, in favorem Seminarii integrum cedat. Eo vel magis quod si iisdem sacerdotibus excessum communis stipendii fas esset retinere, Pontificis indultum haud unice Seminarii favorem respexisset.

Nec iis suffragari posse videtur ratio maioris laboris, quem in Missis cantatis perferre solent; nam, praeterquam quod concessum indultum hanc distinctionem non respicit, oporteret ut certo constaret stipendii excessum vel intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum offerri. Idque huius S. C. praxi consonum esse scimus. Revera cum plures Episcopi in Gallus Apostolicum obtinuissent indultum, cuius vigore parochi iis diebus, quibus aliunde Missa pro populo dicenda foret, stipendium perciperent, ea tamen lege ut illud pro piis operibus dioecesanis a S. Sede determinatis impenderetur ; parochi non pauci, misso ad Episcopos stipendio a statutis dioecesanis taxato, reliquam eius partem servari sibi licitum esse sustinebant. Unde, cum Lugdunensis Card. Archiepiscopus expostulasset, quid esset sentiendum de hac agendi ratione, haec S. C. die 31 Ian. 1880 proposito dubio : *An parochi, misso ad Episcopum stipendio a sta-*

*tutis dioecesanis taxato, valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu;* respondit: *Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum.* In casu autem nostro, cum non adsit moralis certitudo excessum communis eleemosynae offerri intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum, percepta inde stipendia, quaecumque ea sint, in favorem eiusdem Seminarii ex toto tradenda sunt Eo vel magis quod secus abusibus etiam aperiretur via, cum non semper constet num pinguius stipendium intuitu porsonae vel maioris laboris sive incommodi oblatum fuerit, vel potius dicti Seminarii favore ; imo ipsi effraenata lucri libidine moti pro hoc excessu percipiendo Missas cum cantu celebrandas crebro quaeritare possent.

Ex adverso favore ipsorum sacerdotum animadverti potest, quod quamvis sacerdos committens alii sacerdoti Missam celebrandam prohibeatur ne partem stipendii retineat, quidam tamen dari possunt aliquando tituli ipsi celebrationi extrinseci, quibus extantibus, tradita celebranti eleemosyna iuxta regionem taxata , eiusdem excessus retineri possit. Plures enim huiusmodi tituli verificari possunt, cum nempe eleemosyna assueta pinguior concedi solet vel intuitu personae, scilicet propter ipsius dignitatem, officium, paupertatem etc. ; vel intuitu laboris extraordinarii, prouti si agatur de Missa cum cantu aut nimis cito, aut nimis sero celebranda, si aliquod iter sit faciendum, etc. Hi profecto tituli cum per accidens solum spirituali ministerio annectantur, sunt per se pretio aestimabiles, prout habent Reiffenstuel *(Theol, mor., tract. 5, dist. 3, n. 27)* et Amostaz *(De Causis piis, lib. 2, cap. 4, n. i);* idemque ex supra relata S. H. C. resolutione deducitur, atque ex *Colonien.* 25 Iulii 1874 (i).

Unde etiam in casu sacerdotes nec non parochi et curati

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 8, **p.** 75-84.

cum cantu Missam celebrantes, huius laboris extraordinarii intuitu, videntur ipsarum Missarum eleemosynae excessum sibi retinere posse, tradita Ordinario earum dioecesana taxa. Et eo magis si haud facile praesto sint sacerdotes quibus hoc munus demandetur, aut idem onus in se suscipere nolint, vel beneficíales reditus quibus gaudent exigui sint. In themate autem penuria sacerdotum adesse videtur, cum hanc ob rationem ab Archiepiscopo Bambergensi binandi indultum petitum fuisse sciamus. Neque ipsa moralis certitudo in casu deesse videtur dictum stipendii excessum intuitu personae offerri, cum Bambergensis Ordinarius declaret eiusdem stipendii partem : « ut remunerationem maioris laboris pro Missis cantandis erogari ».

**Rescriptum.** S. Congr. Concilii, omnibus sedulo perpensis, die 17 Iunii 1905 respondendum mandavit:

*Communicetur Archiepiscopo resolutio diei ßi Ianuarii 1880* ^Lugdunen, (i).

**Colliges.** i°. Stipendium Missarum, licet pinguissimum, ex integro tribuendum est sacerdoti celebranti ratione ministerii spiritualis.

2°. Nefas proinde est, tributa celebranti eleemosyna tantum ordinaria, reliquam eiusdem partem sibi retineri.

3°. Verum, si huiusmodi excessus ob alios titulos ipsi celebrationi extrínsecos receptus fuit, nihil prohibet quominus licite retineri possit.

4°. In themate igitur integrae eleemosynae pro Missis etiam cantatis oblatae per se Ordinario tradendae sunt, quia Pontifex tali privilegio favorem Seminarii unice respexit.

5°. Attamen sacerdotes in casu si moraliter certi sint, sive ex expressa offerentium voluntate, sive ex indiciis non aequivocis , quod excessus eleemosynae tribuitur intuitu maioris laboris pro Missis cantandis, ipsum sibi licite addici valent.

( I J **Citata resolutio refertur supra in ipsa disceptatione pag.** 212, **et prostat etiam in** *Actis S. Sedis,* **vol.** 1**3, pag.** 256-2Ö2 *(N. R.).*

# S. SEVERINAE

## CONCURSUS

**Beneficium parochiale conferri decernitur magis idoneo ex duobus concurrentibus.**

**Factispecies.** Die 18 Iunii 1903 habitus fuit concursus pro provisione paroeciae S. Nicolai oppidi *Petitio, Policastro,* dioecesis S. Severinae, cui duo tantum candidati adstitere, nempe Sac. Franciscus De Mercurio, et Sac. Aloysius Mannarino ex-religiosus e Societate Iesu. Archiepiscopus in actis concursus transmittendis ad Apostolicam Datariam, quoniam res erat de collatione paroeciae iam fere a duobus annis vacantis referebat ambos concurrentes fuisse ab Examinatoribus approbatos quoad scientiam, sed integro bono nomine non gaudere; praeterea expostulabat, si opus esset, actorum sanationem, eo quod ipsi Examinatores suffragium non tulerunt etiam circa prudentiam aliaque requisita candidatorum.

Hisce acceptis Apost. Dataria rescripsit, utrosque sacerdotes non esse idoneos ad paroeciam regendam, ideoque novum esse indicendum concursum. Sed Archiepiscopus institit pro collatione paroeciae favore sacerdotis De Mercurio, eum purgans ab indignitatis nota; quinimo ipsi Examinatores, retractantes quae asseruerant in primo iudicio, declarare non dubitarunt se errasse in affirmando de duobus concurrentibus, quae de uno tantum nempe de Sac. Mannarino affirmari poterant. Attamen Apost. Dataria stetit in decisis, et nonnisi post plures recursus variasque vicissitudines causa, instante Sac. Mannarino, delata fuit ad hanc S. C. quae imprimis Consultoris votum expetiit, cuius sententia fuit sequens: « Praevia diligenti inquisitione super moralitate sacerdotis De Mercurio, peragenda eo prudentiori modo, quem S. H. C. decernendum putaverit, si nihil contra eumdem resultet, supplicandum SSmo ut dignetur, sanatis actis, eidem conferre

curatam praebendam matricis ecclesiae oppidi Polycastren., Archidioecesis S. Severinae ».

Ampliores itaque requisitae sunt informationes super moralitate duorum sacerdotum, quae dum in propatulo ponunt sacerdotis De Mercurio honestatem, ex adverso autem sacerdotem Mannarino coarguunt.

**Votum Consultoris.** Egregius vir, peracta valde docta disceptatione super requisitis moralibus et praesertim super scientia concurrentium, concludit duplicem solutionis viam indigitando; habet enim : « *Per viam gratiae,* sanato concursu, praebenda paroecialis conferri potest sacerdoti De Mercurio, qui omnibus perpensis par est oneribus parochi sustinendis. *Per viam iuris,* declarata nullitate concursus, novus indici potest, excluso tamen ex numero concurrentium sacerdote Mannarino. Haec secunda solutio magis iustitiae consonat, illa aequitati ; per hanc lex concursus tuetur, per illam subvenitur adverso fato Sac. De Mercurio et relationi Examinatorum, et systemati votationis in iure laeso ; illa summopere in votis Archiepiscopi est, ab hac tamen non abhorret ».

Consultor deinde ad ostendendam concursus nullitatem in casu sequentia addit: « Experimentum uterque concurrentes habuerunt in omnibus ad tramitem iuris, uno tamen excepto, nec modico, cum id sit, per quod vitio nullitatis tabescit concursus. Siquidem Constit. Benedictina *Cum illud* n. iv vult ut: *parem, ni forte maiorem so tertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis ; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam...; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant et idoneos Episcopo renuncient* ». Nihilominus boni Examinatores S. Severinae, vel hoc mandatum Benedicti XIV ignorantes, vel putantes ad substantialem formam concursus non esse necessarium, cum tamen pluries S. V. O. substantialem esse decreverit, suffragia circa moralitatem concurrentium non tulerunt, contenti re-

ferre Episcopo: *De Mercurio esse magis aptum.* Hic defectus Episcopum non latuit, qui supplicandum SSmo rogavit pro gratia sanatoria concursus, si opus esset ; quae certe necessaria est, quippe per ipsam solam consistere posset peractus concursus ».

**Animadversiones ex officio.** Nonnulla expendenda remanent non super actis concursus aut super iudicio de concurrentibus ferendo, quum his per Consultoris votum sit abunde provisum ; sed potius super concursu ipso, quem ambo Consultores nullum fuisse sustinent ob non legale scrutinium ab Examinatoribus peractum. Siquidem haec Consultorum sententia non videtur undequaque certa ac tuta. Uti enim ex facti specie constat, collatio paroeciae in themate iam erat devoluta S. Sedi, eo quia Ordinarius intra semestre tempus eius provisionem non fecerat: id aperte profluit ex *cap. 2 de concess. praebendae,* et ex Constit. S. Pii V *In conferendis.* Neque pro paroeciarum collatione in regno Neapolitano urgeri posset art. xi Concordati a. 1818 in quo ita legitur : « Sanctitas Sua concedit Episcopis Regni ius conferendi paroecias, quae quovis anni tempore erunt vacaturae». Nam sive ex praxi Datariae Apost., sive ex consuetudine Episcoporum recurrendi ad eamdem Datariam, quando paroeciae vacatio ultra semestre est protracta, uti factum etiam fuit in casu praesenti, satis liquet reservationem S. Sedi collationis harum paroeciarum adhuc vigere pro regno Neapolitano. Hinc factum etiam est ut si quando Ordinarii has paroecias ex errore contulerint, ab H. S. C. sanatoriam impetraverint, uti refertur in una .S. *Agathae Gotorum - Concursus* 20 Dec. 1879.

His in claro positis, en quod Benedictus XIV in Constit. *Cum illud, § 20,* ad rem disponit : « Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quovis capite quam mensium Apostolicorum, S. Sedi reservata sint, eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a fe-

rendo dignioris iudicio et acta concursus ultro Datariae exhibeat ». Et in opere De Synodo dioecesana *(lib. ij, cap. 24, n. j)* haec habet: «Quo vero ad caetera omnia beneficia curata ex alio quocumque titulo praeterquam ratione mensis, S. Sedi reservata, acta concursus ad Datariam mittant *(Episcopi),* sese abstinentes a iudicio ferendo, quisnam sit caeteris dignior et aptior; facultate tamen ipsis facta significandi per familiares literas ad Pontificis Datarium conscriptas, quem ipsi censeant digniorem, et an quispiam ex iis, qui ad concursum admissi sunt, occulta aliqua nota laboret ».

Ex his itaque videtur posse inferri quod in beneficiis curatis ut supra reservatis relatio Examinatorum sit inutilis et inefficax, cum Episcopus peracto concursu, sese abstinere debeat ab omni iudicio ferendo, et ultro tantum debeat acta concursus ad Apost. Datariam transmittere. Haec interpretatio confirmatur etiam ex duabus resolutionibus editis ab H. S. C, nempe *Oppiden. - Concursus* 24 Iulii 1880 et citata 6*. *Agathae Goihorum,* in quibus causis licet Examinatorum relatio fuerit irregularis ob non latum cumulativum iudicium circa doctrinam, prudentiam et alia requisita, qui defectus iuxta Reclusium *(De concursibus, part. i, tit. 5)* operatur nullitatem concursus, tamen ab H. S. Congregatione retenta fuit validitas utriusque concursus. Atque id fortasse ex ea ratione retentum est, uti expenditur in § *Neque* citatae *Oppiden.,* quia haec Examinatorum relatio utpote de iure in proposito casu non requisita, nihil conferre poterat in iudicium ab Apost. Dataria edendum super actis transmissis, et hinc locum habebat principium : *utile per inutile vitiari non debet.* Unde in praesenti controversia non videtur posse concludi pro nullitate concursus, ex eo quod forma servata ab Examinatoribus in actis expendendis fuit irregularis.

**Dubium.** *An et cuius favore adiudicanda sit ecclesia paroecialis S. Nicolai oppidi vulgo* Petilia Policastro *in casu.*

**Responsum.** S. Congr. Concilii, annuens petitioni sacerdotis Mannarino, die 20 Maii 1905 rescripsit: *Dilata.*

**Novae animadversiones.** Hoc edito rescripto monitus fuit sacerdos Mannarino seu eius procurator ut, si forte ulteriora iura haberet, deduceret; qui tamen nihil exhibuit. E contra eius oppositor De Mercurio quatuor documenta transmisit, quae maiori evidentia statuunt litigiosam indolem et pravam agendi rationem sui adversarii. De veritate subscriptionum in praefatis documentis dubitari non posse videtur cum referant authentiam Syndici localis.

**Decisio.** Et eadem S. Congregatio, una simul ad examen vocatis iam in antecessum adductis, die 17 Iunii 1905 proposito superius dubio respondere mandavit:

*Affirmative, favore sacerdotis De Mercurio.*

**Colliges.** i°. Collatio beneficii parochialis, quod intra semestre tempus ab Ordinario non confertur, ipso iure devolvitur ad S. Sedem.

2°. In collatione autem paroeciae, ex alio titulo quam ratione mensium Papalium reservatae, iudicium ferre de idoneitate concurrentium ad Apostolicam Datariam unice spectat.

3°. Hinc Examinatores abstinere debent ab omni iudicio ferendo super scientia aliisque requisitis candidatorum, et Episcopus acta concursus, absque dignioris electione, ad Pontificis Datariam transmittere tenetur.

4°. In casu non ideo concursus nullitate laborare dicendus est, eo quod praehabita fuerunt relatio Examinatorum et iudicium Episcopi, quum haec nullum effectum iuridicum inducere poterant in iudicium a S. Dataria edendum.

5°. Ex actis denique constat de idoneitate solius sacerdotis De Mercurio, cui proinde paroecia S. Nicolai a S. Sede adiudicanda decernitur.

# CLAVAREN.

## FUNERUM

**Ius peragendi funus et emolumenta percipiendi illius defuncti, qui ad coemeterium in sepulcro non canonice erecto sepeliendus defertur, ad parochum domicilii non autem tumulationis spectat.**

**Species facti.** Anno **1901** decessit Hieronyma Devoto, vidua Aloysii Monteverde, eiusque solemne funus in ecclesia S. Ioannis Baptistae Clavarensis, in quibus finibus ipsa domicilium habebat, peractum est. Eius vero cadaver, ita filio suo disponente, in finitimam paroeciam S. Stephani Lavaniensis translatum est ibique pariter exequiis persolutis, in sepulcro publici coemeterii, extructo ab eius marito et in quo iste tumulatus fuerat, reconditum est. His peractis, parochus Lavaniensis emolumenta funeris a parocho Clavarensi requisivit, salva tamen quarta funerum ad tramitem iuris ; sed frustra, quia ista emolumenta tradere recusavit. Res allata est ad tribunal Ordinarii Clavarensis, qui sententiam dixit favorabilem parocho S. Stephani; unde parochus S. Ioannis B. ad Metropolitanum Ianuensem appellavit, qui tamen primam sententiam confirmavit. Tunc gradum fecit ad hanc S. C, sed recursus admitti non potuit, ob iam enatam rem iudicatam ex duabus conformibus sententiis.

Verum parochus recurrens iterum institit contendens praefatas sententias esse erratas utpote fundatas in falso supposito quod sepulcra familiaria essent retinenda uti gentilitia in sensu canonico, et deinde allegavit extare in his locis contrariam consuetudinem. Interim aliud funus simillimum accidit, in quo pariter parochus S. Ioannis B. emolumenta tradere noluit parocho S. Stephani, qui idcirco expedit ab hoc S. O. ut quaestio generice pertractaretur. Eadem instantia circa quaestionem de sepulcris familiaribus in publicis coemeteriis renovata est ab Episcopo Clavarensi, ut quaedam norma ha-

beretur ad devitandas lites inter parochos occasione funerum. Quare controversia proposita est sub infrascriptis dubiis.

**Allegationes parochi Lavaniensis.** Eius advocatus ad ius quod attinet affert *Decretales (lib. ß, tit. 28, cap. i de Sepult.),* ubi edicitur: « Nos constituta maiorum Patrum considerantes, statuimus unumquemque in maiorum suorum sepulcris iacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et etiam alienam : Dominus enim et Magister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii illi ecclesiae dari censemus, in qua coelesti pabulo refici consuevit », Addit insuper *Decretum,* Gratiani *(Caus. iß, quaest. 2, cap. 2 et ß),* in quo sermo est de uxore quae in sepulcro mariti sepeliri debet, nam: « Quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulcrum, quia una caro sunt; et quos Deus coniunxit homo non separet. Unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita sive in morte ». Quibus accedit testimonium Ferraris *(Bibl. can., v.* Sepultura, *n. 12, j6 et j8),* Pirhing *(lib. ß, tit. 28, n. io et 12),* Reiffenstuel *(lib. ß, tit. 28 de Sepult., n. 22)* qui uno ore affirmant uxorem viduam non in sepulcro maiorum, sed in mariti sepulcro sepeliri debere, si nulla sepultura electa decesserit. Hinc eruitur, ait patronus, sive quod Hieronyma vidua Monteverde in sepulcro mariti sepeliri debebat, etiamsi mentem suam quoad hoc non aperuisset, vel filius nihil de hoc disposuisset; sive quod parocho tumulanti emolumenta funeris competunt, salva quarta funerum parocho domicilii.

Post haec advocatus accedit ad diluendas exceptiones quae ex adverso opponi possunt et quas ita summare posse ait: i. Iuxta veteres canones iure sepulturae gaudebant ecclesiae tantum parochiales, in quibus vel in coemeterio ipsis adnexo fideles sepeliebantur, ut unusquisque etiam post decessum illi ecclesiae, in qua vivens sacra receperat, adhaereret. Quare ius sepulturae ita est parocho proprium, ut ipse quoad suos

parochianos habeat intentionem fundatam in iure; 2. Cuique fas est extra ambitum paroeciae eligere sepulcrum, relicto quoque familiari, dummodo tres conditiones verificentur; ut electio fiat in loco religioso, ut sit libera, et ut coram auctoritate ecclesiastica de hac libera voluntate constet ; 3. Mulier Hieronyma Devoto haud elegit sibi sepulcrum extra paroeciam : quod si contra esset, parochus S. Stefani deberet sufficienter probare electionem huiusmodi fuisse peractam; quod hactenus non probavit; 4. Sepulcrum in quo Hieronyma Devoto condita fuit non est electivum; neque ex parte Hieronymae, quia ab ipsa electum non fuit; neque ex parte mariti, quia non constat fuisse ab ipso rite electum, nempe cum interventu ecclesiasticae auctoritatis: sed neque est haereditarium vel familiare, quia non fuit canonice constitutum a maioribus, cum nullum extet documentum, quo probari possit interventus auctoritatis ecclesiasticae; 5. Coemeteria, dum prius erant parochialia, nunc publica effecta sunt seu communia iis omnibus qui intra ambitum Municipii decedunt, sic disponente lege civili, quae penitus ab auctoritate Ecclesiae illa subtraxit. Proinde coemeterium Lavaniae, quippe quod constitutum fuit pro tumulatione eorum omnium qui intra fines Municipii morerentur, est coemeterium publicum; 6. Cum itaque mulier Hieronyma Devoto sepeliri deberet in ecclesia parochiali sui domicilii, legitime eius funera parochus celebravit emolumentaque debita percepit.

Quibus omnibus ita occurrit advocatus. Prima exceptio, ait, maxima ex parte est falsa; quia per tot saecula, antequam paroeciae instituerentur, unicuique fas erat sibi eligere sepulcrum. Ceterum haec facultas est iuris naturae: sicut enim domicilium statuere quis vivens valet, ita et locum requiei post mortem. Verum quidem est tractu temporis parochos quoad suos subditos habuisse intentionem fundatam in iure, sed ratione domicilii in genere tantum, non autem tumulationis eorum qui sibi sepulcrum elegerunt, vel sepul-

tura maiorum fruuntur, vel etiam viduae quoad sepulcrum mariti. In his enim casibus ius stat pro parocho tumulante.

Ea quae secundo loco exponuntur uti otiosa habet advocatus; quia cum ex supra relatis testimoniis DD. constet mulierem sepeliri debere in sepulcro mariti, etiam relicto illo maiorum, et cum maritus conditus sit in coemeterio parochiali seu in loco benedicto et religioso, nihil optari aliud potest ut dicatur sepulcrum ad tramitem iuris.

Tertio argumento respondet, quod parochus S. Stephani nihil tenetur probare circa electionem sepulcri ; sive quia ex iure constat mulierem sequi mariti sepulcrum ; sive quia constat viduam Hieronymam quoad tumulationem sese liberae filii sui voluntati remisisse. Porro, cum filius sepulturam matris elegerit, eius voluntas fuit recta et iuxta iuris statuta, notum est enim principium : *Qui per alium facit, perinde est ac si per seipsum faciat.*

Ad quartam rationem quod attinet, prosequitur, adversarius non distinguit inter sepulcra communia vel privata, quae erigebantur in ecclesiis, et sepulcra quae nunc extant in publicis coemeteriis. Si de primis agatur, in aperto est dispositio canonica, vi cuius nemo poterat absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo construere sepulcra in ecclesiis et inibi sepeliri, et quae ad abusum tunc temporis removendum introducta fuit. Aiunt enim DD. id factum fuisse, ne ecclesiae coemeteria divitum viderentur, communi coemeterio in solam pauperum sepulturam relicto ; v. g. Van Espen *(Iur. eccl., part. 2, sect. 4, tit. j, n. 34).* Sed aliter sentiendum est de novis sepulcris, quae in publicis coemeteriis hodie eriguntur; cum enim illi abusus ablati sint, quia nemo in ecclesia sepeliri queat, cessat quoque ratio necessitatis licentiae quaerendae : *ubi enim eadem non est ratio, nec eadem potest esse iuris dispositio.* Ceterum facultas eligendi sepulcrum est iuris naturae, licentia vero Superioris est restrictiva et odiosa : *odia sunt restringenda, favores ampliandi* ; unde

demptis usu et abusu sepeliendi in ecclesiis, remanet facultas eligendi sepulcrum absque licentia, quod in moribus hodiernis est. Cfr. De Angelis *(PraeL iur. can., lib. ß, tit. 28, n, j).*

Quinta exceptio non congruit veritati ; quia lex civilis sive 1866 sive 1888 nullo modo auctoritati Ecclesiae subtraxit coemeteria in iis quae partem religiosam et canonicam respiciunt, sed ea Municipiis subiecit quoad regimen externum et materiale. Revera Municipia plenam relinquunt libertatem parochis adimplendi ea quae sive a Rituali Romano sive a legibus synodalibus sive a consuetudine constituta sunt: quare coemeteria uti parochialia et sacra perseverant.

Quoad postremum argumentum advocatus observat quod post leges civiles ius parochialitatis et sepulturae familiaris et haereditariae integrum in publicis coemeteriis perseverat. Ad cuius probationem affert responsionem H. S. C. in *Ariminen.* 14 Maii 1824: « Coemeteria causa publicae valetudinis subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae ius habebat tumulandi in suis propriis sepulcris, nunc ius istud exercet in publico coemeterio; ideoque non sublatum ius sepeliendi fuit, sed variatus locus ; quod profecto non impedit emolumentorum perceptionem et ius peragendi exsequias ». Ita etiam in *Syracusana* 24 Febr. 1872 : « Centies ab H. S. C. definitum esse, erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero ius sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit ».

Patronus denique orationem suam concludit, respondens exceptioni, qua pars adversa contendit coemeterium Lavaniense commune esse cum aliis paroeciis ab eodem Municipio dependentibus; quum hoc a veritate alienum sit, prouti testantur Episcopus et Syndicus loci, excepta nova paroecia vulgo dicta *N. S. del Ponte* a paroecia S. Stephani Lovaniensis nuperrime dismembrata. Praeterea dato sed non admisso quod aliae paroeciae ius haberent in coemeterio Lovaniensi

sepeliendi, nihilominus, cum haec paroecia S. Stephani Archipresbyteralis et Collegiata et principalis loci sit, idcirco ius exclusivum eidem competeret tumulandi cadavera, quae ab alienis paroeciis ibidem deferuntur ad tramitem decisionis H. S. C. in una *Romana* et *Bredanen.* 27 Aug. 1904 (i).

**Allegationes parochi Clavarensis.** Quoad primum dubium inferius propositum, advocatus dicti parochi respondendum esse censet non alium parochum ius habere funera celebrandi, quam eum qui fuerit proprius defuncti, si corpora in Lavaniensi coemeterio, quovis titulo, sepeliantur. Quod ut probet, ad trutinam revocat praecipuum argumentum parochi S. Stephani Lavaniensis, qui asserit sibi ius esse celebrandi funera, quia, cum sepulcra in coemeterio exstructa sepulcris pristino more in ecclesiis exstructis omnino aequiparanda sint, Rector ecclesiae, ubi sepulcrum quis habet vel gentilitium vel electivum, ad tramitem iuris funus peragere debet. Argumentum hoc, ait patronus, utique valeret si constaret coemeterium Lavaniense adnumerandum esse coemeteriis parochialibus, iis nempe quae Episcoporum auctoritate apud ecclesias paroeciales alicubi iam inde antiquitus exstructa sunt; at constat in facto ipsum non parochialibus adnumerandum esse sed publicis, iis scilicet quae civilis iussu potestatis, nec exquisita venia nec interposita auctoritate Episcoporum, sunt hodie fere ubique instituta.

De his publicis coemeteriis contendit, in iure sepulcra ibi exstructa sepulcris in ecclesiis exstructis non esse aequiparanda; ac nihil proinde de potestate parochi detrahi in parochianos ubique sepeliendos. Primum in facto, alterum in iure probare nititur. Iamvero in facto patet quod, inspecta origine huiusce coemeterii sub ditione Gallica a. 18io, nullae partes datae sunt Ecclesiae nec in coemeterio instituendo, nec in eo ampliando, nec in aediculis aedificandis; quin imo

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3j,* pag. 455-464.

coemeterium ipsum Ecclesiae iurisdictioni omnino subtractum fuit. Constat igitur Lavaniense coemeterium non inter parochialia, auctoritate Ecclesiae instituta, sed inter publica referendum esse. In iure autem sepulcra ibi exstructa non ea esse quae lovaniensi parocho facultatem tribuant funera celebrandi, patronus satagit demonstrare, recolens historiam seu disciplinam istius iuris funerandi, ex qua apparet antiquiori aevo tantum ecclesiis parochialibus ius fuisse ut fideles sibi subiectos sepelirent; (Ferraris, *Bibl. can., v.* Sepultura, *n. ißj;* Fagnanus, *lib. j Decret., de sepult., cap.* Fraternitatem). Quod quidem, uti patet ex Reiffenstuel *(lib. 3 Decret., tit. 28 de sepult., n. 12)* ideo fuerat praeceptum, ne sacerdos qui alicui quum viveret sacramenta administraverat, sua mercede eo mortuo privaretur. Volventibus saeculis, aliquid detractum fuit de huius disciplinae rigore et concessum fidelibus ut aliena in paroecia sepulcrum vel gentilitium vel electivum eligerent; mox vero etiam in ecclesiis non parochialibus ex privilegio. At longe abfuit ut istiusmodi ecclesiarum conditio eadem fieret ac paroeciarum. Illae enim ius sunt assecutae, si fideles ibi sepulcrum sibi vel suis eligerent, hac lege ut quarta funeraria paroeciae cederet, dummodo ius exerceri possit ita ut corpora illuc commode deferri queant. E contra paroeciales ecclesiae, nisi aperte constet de privilegio, ius habent parochianorum corpora sepeliendi, non loci habita ratione ubi vel hi decedunt vel eorum corpora sepeliuntur, sed « ratione spiritualis officii a parocho exerciti, dum parochiànus vitam agebat», ex causa *Cremonen.-Emol.fun.* 12 Martii 1881. « Hinc fit ut in propria paroecia nullum parochus ius habeat in alienum parCchianum ; e contra vero omne ius habet in suum parochianum ubique in universo mundo », ut habet Pignatelli *(Cons. can., n. 48, § 22, tom. ß),* etc.

Deinde patronus quaestionem movet, an forte aliquid in hac communi disciplina, institutis civili auctoritate coemeteriis, recentiori aevo novatum sit. Praemisso quod coemeteria

civili auctoritate instituta non sunt in territorio ullius paroeciae et quod coemeteria sunt pluribus paroeciis plerumque communia, immo attenta civili lege omnibus quot sunt in Italia, consequens esse dicit nullum coemeterium a nullo parocho uti sibi proprium haberi posse, at parochorum quemque id soli habere posse proprium in quoque coemeterio, ubi suorum corpora parochianorum sepelienda sunt. Ex quo liquet, institutis civili auctoritate coemeteriis, disciplinam quae in Ecclesiae foro invaluerat sartam tectam mansisse. Nam et hodie parochus ex generali regula, nisi constet de privilegio, potestatem ut antea sibi vindicat in parochianorum corpora ubique decedentium, quovis in loco sepelienda. Privilegium vero nulli comparatur parocho ex sepulcris in coemeteriis exstructis, quia coemeteria, quum nullius sint in paroeciae territorio, nullo parocho peculiari iure subiecta sunt.

Quam conclusionem confirmat triplici argumento ; nempe *praescripto canonum, auctoritate scriptorum, et observantia.* Canones enim, ut sepulcrum exstruatur, tria concurrere volunt; videlicet quod in loco exstruatur sacro, quod Episcopi accedat licentia, et quod iusta afferatur causa ad hanc impetrandam. Cfr. Barbosa *(De pot. et off. par., part. ß, cap. 26 de sepult.).* Iamvero coemeteria pleraque ne sunt quidem lustrali ritu ab Episcopo sacrata ; quae forte sunt initio sacrata iam iterum sunt polluta, quum ibi non modo sepeliri soleant quos prohibet Ecclesia ne cum fidelibus sepeliantur, sed et illi qui a christiana religione desciverant. Huc res progressa est, ut iussum fuerit singula sepulcra in coemeteriis toties lustrari, quoties ibi corpora sunt condenda, ex decreto S. O. 12 Feb. 1862. Nemo est qui, quum sepulcrum exstruere velit, hodie cogitet de Episcopi licentia imploranda; et tantum abest ut iusta causa requiratur, ut illis quoque haec concedatur facultas, qui se Ecclesiae profitentur infensos. Quum igitur sepulcra, quae in hodiernis coemeteriis extant,

non ea omnia praeseferant quae, ut sepulchra exstruantur, in iure requiruntur, non sunt his aequiparanda.

Quoad auctoritatem scriptorum, patronus affert sententias Alberti *(De sepult, eccl., n. 22)* et Berardi *(De par., n. Jjo)* qui notat quod: « Sepulturae gentilitiae seu maiorum in sensu iuris canonici non iam sunt areae quae in modernis publicis coemeteriis acquiruntur ». Quoad observantiam advocatus exemplum invocat omnium civitatum Italiae et Romae praecipue, ubi nullus parochus unquam ius sibi arrogavit ad funus, si quis ex. gr. Mediolani degens, romano in coemeterio sepeliendus sit. Quae quidem Romae servata disciplina magis est in pretio habenda, quia coemeterium Veranum a Pontifice institutum est. Cum consuetudo sit optima legum interpres, illi standum esse concludit.

Gradum deinde faciens advocatus ad repellenda argumenta partis adversae, ait imprimis responsum huius S. C. in citata causa *Bredanen.* 27 Aug. 1904, coeteris omissis, praeseferre clausulam : *salvis consuetudinibus particularibus,* quae illud inefficax in casu nostro redderet; tum quia ex generali consuetudine mos alius servatur in tota Italia, tum quia alius mos ex particulari immemorabili consuetudine invaluit sive in dioecesi Clavarensi sive in dioecesi Ianuensi, a qua Clavarensis est nuperrime divisa. Huius assertionis testes adducit pro dioecesi Ianuensi Vicarium Generalem et Praesidem parochorum, necnon plures alios pro dioecesi Clavarensi.

Praeterea secundum dubium vix attingit patrocinator, risus primae quaestioni negativum responsum esse proditurum. Quod si contrarium evenerit, saltem petit ut parocho proprio defuncti tribuatur ius funeris sua in ecclesia ex consuetudine peragendi, licet corpus in alio coemeterio sepeliendum sit. Qua in re utitur sententia Vecchiotti *(Inst. can., vol. 2, cap. 5, § ó o)* qui docet: «Huic iuri *(communi de funere in ecclesia tumulante peragendo, reservata quarta parocho proprio)* derogari posse, pacto convento inter partes, expressa defuncti

voluntate et consuetudine... Quoties vero, contra iuris ordinem, exequiae et funus ob dictas causas persolvantur in ecclesia parochiali et sola fit tumulatio in ecclesia ad quam cadaver deferendum transmittitur, toties debitor portionis canonicae est ipse defuncti parochus ». Quam sententiam firmat auctoritate S. C. Rituum in *Sutrina* 14 Iunii 1845, n. 2899, iuxta quam si funus prius peragatur in ecclesia parochiali et dein cadaver transferatur in aliam ecclesiam ut ibi tumuletur, quarta debetur huic ecclesiae.

Tandem quoad tertium dubium, patronus dicit illud pendere a secundo, ita tamen ut lucri pars neutri ecclesiae a neutra debeatur. Re vera si licet aliquando funus peragere in paroecia defuncti propria licet corpus in alia paroecia tumuletur, eo magis funus tum in hac tum in illa peragi potest; hinc quum neutra emolumento funerario caruerit in hac hypotesi, iam neutri, quo evadat indemnis, ea ratione consulendum est. Quod ut firmet advocatus adducit Bargilliat *(Prael. iur. can., tom. 2, n. 934)* asserentem : « Aliter tamen dicendum esset *(scilicet quartam non deberi)* si defunctus, vel eius haeredes, duplices funeris exsequias celebrari postulaverint. Et revera mos est receptus in multis provinciis ut defunctus e domo, in qua obiit, non efferatur in locum in quo sepelienda est, nisi prius ad ecclesiam parochialem sit delatus ».

**Dubia.** I. *Si quis domicilium Clavari habens sua vel familiae voluntate deferatur pro sepultura in coemeterium Lavaniense, ratione sepulcri familiaris vel electivi, an parochus S. Stephani Lavaniensis ius habeat peragendi integrum funus et emolumenta inde percipiendi, reservata parocho domicilii potestate levandi et eßerendi cadaver et quarta funeris?* —

Et quatenus affirmative ;

II. *Si ex defuncti vel familiae voluntate funus seu Missa exsequialis celebretur in paroecia domicilii, an parochus S. Stephani Lavaniensis, ratione tumulationis cadaveris in coeme-*

*terio Lavaniensi, ius habeat sibi vindicandi emolumenta funeris huius seu Missae exsequialis, quarta solummodo excepta?*

III. *In casu quo duplex funus seu Missa exsequialis celebretur, altera in loco domicilii defuncti, altera in loco tumulationis, an parochus loci tumulationis ius habeat vindicandi sibi emolumenta funeris seu Missae exsequialis celebratae in loco domicilii, una solummodo quarta excepta?*

**Resolutiones.** Emi Patres S. C. Concilii, omnibus rite perpensis, die 17 Iunii 1905 respondendum censuerunt:

Ad I. *Negative, dummodo non agatur de sepulcro gentilitio canonice erecto.*

Ad IL et III. *Negative.*

**Colliges.** i°. Uxor vidua, si nulla sepultura electa decesserit, sepelienda est in sepulcro mariti, etiamsi sepulcrum gentilitium habeat.

2°. Sepulcrum autem gentilitium non censetur canonice erectum, nisi accedat licentia Ordinarii.

3°. Hinc sepulcra, quae in modernis coemeteriis sola auctoritate civili, absque ecclesiasticae auctoritatis interventu, instituta sunt, in sensu iuris canonici fundata nullatenus dici possunt.

4°. Ius autem funerandi percipiendique emolumenta funeris illius defuncti, qui sepeliendus defertur in sepulcro canonice erecto spectat ad parochum tumulantem, reservata quarta funeraria parocho domicilii.

5°. E contra, si agatur de sepulcro canonice non erecto, ius funerandi praedictum defunctum et emolumenta omnia inde percipiendi pertinet ad parochum domicilii: quamvis in casu parochus tumulationis ex defuncti vel parentum voluntate alterum funus peragere et eiusdem emolumenta percipere possit.

6°. In themate non constat de canonica sepulcri erectione ideoque parochus Lavaniensis nullum ius sibi arrogare valet quoad emolumenta funeraria a parocho Clavarensi percepta.

# CANTONIS TICINI

## NOMINATIONIS AD CANONICATUS

**Oeconomi spirituales inter rectores et vice-rectores paroeciarum accensendi non sunt quoad canonicatuum optionem.**

**Factispecies.** In districtu plebanali loci vulgo *Balerna,* sub Administratione Apostolica Cantonis Ticini, invenitur erecta Collegiata ecclesia S. Victoris, archipresbytero septemque canonicis constans. Adsunt insuper in eodem districtu decem et octo parochiae cum sex vice-parochiis. Cum autem saepe parochiae et vice-parochiae propriis pastoribus ob redituum tenuitatem diu viduatas manerent, Pius VII Brevi *Ex parte dilecti* 21 Aug. 1809, ut rectores et vice-rectores ad curam huiusmodi libentius exercendam magis excitarentur, statuit ut: *in posterum dictorum canonicatuum et praebendarum praedictae Collegiatae ecclesiae pro tempore occurrentibus vacationibus, rectores et vice-rectores earumdem parochialium ecclesiarum, aliis presbyteris et clericis in provisione dictorum canonicatuum et praebendarum praeferri deberent.*

In recentioribus vero concursibus Administrator Apostolicus Ticinensis ratus est nomine rectorum et vice-rectorum in Brevi Pii VII intelligi debere presbyteros, qui praevio examine synodali immissi fuissent in possessionem parochiarum sive vice-parochiarum, non autem Oeconomi spirituales, qui precario modo sine praevio examine et canonica institutione destinari solent data occasione ad regendas paroecias et vice-paroecias. Hoc aegre ferentes nonnulli Oeconomi spirituales recursum primo obtulerunt ad Curiam dioecesanam, a qua repulsi, recursum iterarunt ad hanc S. C, insimul etiam çonquerentes quod in concursu a. 1892 ad vacantem canonicatum electus fuerit sacerdos extraneus in Plebania cum praeiudicio Oeconomorum spiritualium, qui in collatione canonicatuum super extraneis praelationem habent.

**Deductiones Oeconomorum.** Oeconomi spirituales ad probandum nullam adesse quoad concursum ad canonicatus differentiam inter se et parochos ac vice-parochos, invocant imprimis antiquam consuetudinem, vi cuius sacerdotes longiori tempore curam animarum exercentes in paroeciis vel vice-paroeciis Plebaniae praeferebantur aliis clericis in provisione canonicatuum Balernae absque ullo examine. Iam vero consuetudinem esse optimam legum interpretem est circumforaneum axioma ex *cap.* Cum dilectus *de consuetud.*, et praesertim id obtinere quando agitur de interpretandis indultis aut Constitutionibus Pontificiis docet Card. De Luca *(De benef., disc, i, n. 13 et 39, et disc. 27, n. 17).* Deinde rem confirmant nonnullis adductis exemplis et testimoniis, ex quibus inferri posse videtur quod, nulla facta distinctione, nomine rectorum et vice-rectorum in paroeciis vel vice-paroeciis contineantur etiam Oeconomi spirituales, et quod praelatio in óbtinendis canonicatibus tantum commensuretur longaevitati in curae animarum actuali exercitio. Quod etiam clarius erumpit, prosequuntur ipsi, si spectetur causa motiva Brevis Apostolici, quo privilegium quoddam seu iuspatronatus passivum ad consequendos canonicatus in Collegiata Balernae fuit invectum ad alacriores efficiendos praesertim illos qui curam gererent in pauperibus paroeciis, et deinde ad eos praemio donandos concessione optionis ad canonicatum vacantem. Iam vero Oeconomi spirituales cum parochis et vice-parochis in munere prorsus aequiparantur, ac proinde praeferendi sunt simplicibus presbyteris et clericis praesertim Plebaniae extraneis.

Quoad vero praevii examinis impositionem expendi potest, quod haec non invenitur taxata in Brevi Apostolico.

**Deductiones Curiae.** E contra Administrator Apostolicus Ticinensis contendit nomine rectorum et vice-rectorum paroeciarum intelligi posse tantum parochi et vice-parochi, non autem Oeconomi spirituales. Quod confirmat innumeris Bullis collationis canonicatus in Collegiata, ex quibus apparet ea-

nonicatu investitos semper fuisse parochos et vice-parochos, qui praevio examine canonicam institutionem iam obtinuerant. Deinde consuetudinem ex adverso invocatam réfutât, nonnulla adducens exempla Oeconomorum spiritualium, qui ideo reiecti fuerunt a consecutione canonicatus quia non erant parochi vel vice-parochi. Admittit tamen huic generali regulae aliquando aliquam exceptionem factam fuisse a S. Sede ob infaustas leges civiles. Testimonia ex adverso adducta militant contra dispositiones Bullae Pii VII et praxim hucusque servatam, et nonnisi ad paucos Syndicos spectant. Disserens autem de praelatione danda illis, qui in exercitio curae animarum longaevitate aliis praestant, concedit quidem hoc esse unum ex titulis ab Ordinario prae oculis habendum in collatione canonicatuum, sed non constituere unicum et indispensabile praelationis titulum.

Tandem Administrator Apostolicus circa impositam praevii examinis obligationem Oeconomis spiritualibus aliisque presbyteris, addit quod Breve Pii VII ideo mentionem non fecit de praevio examine, quia ius praelationis ad canonicatus concessit tantum parochis et vice-parochis, qui praevium examen subierunt; quod proinde facere tenentur coeteri- clerici in canonicatu eligendi.

**Dubia.** I. *An Oeconomi spirituales accenseantur inter eos qui, utpote rectores et vice-rectores paroeciarum, ius habent praelativum ad canonicatus in casu.* — Et quatenus negative:

II. *An iidem Oeconomi praeferendi saltem sint ceteris presbyteris et clericis qui ad eosdem canonicatus concurrunt.*

III. *An antiquitas in exercitio curae animarum habenda sit qua potissima ratio in praelatione ad consequendum canonicatum in casu.*

**Decisiones.** S. Congregatio Concilii, omnibus mature pensatis, die 17 Iunii 1905 respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad IL *Caeteris paribus, praevio examine idoneitatis et facto verbo cum SSmo, affirmative.*

Ad III. *Negative.*

**Colliges.** i°. Parochi aliis etiam nominibus designantur, ita dicuntur archipresbyteri, praepositi, curati, rectores, plebani, etc.

**2°.** Distinctio quaedam inter parochos et Oeconomos spirituales innuitur a Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.),* ubi mandat ut parochi vacantibus paroeciis non renuntientur nisi praevio concursu, Oeconomi vero spirituales ad arbitrium Ordinarii, etiam sine examine, deputentur.

3°. In casu agitur de privilegio proprie dicto, quod strictam interpretationem admittit; hinc tantum ex speciali gratia Oeconomis curatis ius praelationis prae aliis clericis et presbyteris, coeteris paribus, indulgetur.

4°. Antiquitas in exercitio curae animarum, quamvis in themate ratio unica esse nequeat quoad pfaelationem canonicatus; tamen, si cum diligentia et assiduitate est coniuncta, inter candidatorum titulos merito recensetur.

## DECRETUM

### Circa Normam pro causis quae agitantur ante S. Congregationem Concilii, iuris ordine servato.

Ad evitare che le giuste e provvide disposizioni del *Regolamento* del 27 Settembre 1847, modificato e confermato il 10 Dicembre 1884, non vengano violate e cadano in disuso, gli Emi Padri della S. C. del Concilio nella generale adunanza del 26 Agosto p. p. hanno ordinato al sottoscritto Segretario di richiamare i Signori Avvocati e Procuratori alla piena e perfetta osservanza del medesimo, e di esigerla da essi in tutti i suoi punti. In particolare poi hanno disposto che siano esattamente e da tutti osservati i seguenti articoli nel modo e termini qui appresso stabiliti.

i°. Le allegazioni o difese, e le analoghe risposte debbono essere scritte *in lingua latina* e sottoscritte da avvocati o procuratori autorizzati dalla S. Congregazione. E interdetta la pubblicazione di difese in italiano sotto qualunque forma, anche di memorie firmate dalla parte e controfirmate da un avvocato riconosciuto.

**2°.** Le allegazioni, qualunque sia il "numero dei dubbi, *non debbono superare cinque fogli di stampa;* cioè pagine venti; e le risposte *fogli due,* cioè pagine otto.

Che se l'importanza della causa il richieda, col permesso di Mons. Segretario o del suo Uditore le allegazioni potranno aumentarsi finó a sette fogli, e le risposte fino a tre.

3°. Il formato dei fogli di stampa ed il tipo dei caratteri devono essere quelli ordinari, come nei fogli d'officio della S. Congregazione.

4°. Tutte le scritture dovranno portare in prima pagina il *poterit impyrimi* di Mons. Segretario o del suo Uditore : ed a tale effetto le difese dovranno essere presentate alla Segreteria *in bozze di stampa* un mese innanzi alla proposizione della causa ; e le risposte quattro giorni innanzi, cioè il martedì.

5°. Le allegazioni o difese dovranno essere immancabilmente distribuite agli Emi Patri, ed a Mons. Segretario in doppia copia, ed agli altri come di diritto, il mercoledì, dieci giorni innanzi all'adunanza plenaria; e le risposte il mercoledì seguente, tre giorni innanzi alla medesima.

6°. Dopo esibite le risposte non si potrà presentare alcun altro documénto, nè distribuire qualsiasi altra scrittura, o foglio, o controrisposta.

E qualora ciò avvenisse, gli Emi Padri dichiarano, che, in conformità del *Regolamennto,* non terranno assolutamente conto veruno di queste irregolari produzioni e decideranno la causa in base ai documenti e ragioni precedentemente esposti.

7°. A sanzione delle precedenti disposizioni gli Emi Padri hanno stabilito, e col presente decreto proclamano, che quindi innanzi qualsiasi avvocato o procuratore il quale si permetta violare alcuno degli articoli sopra descritti *resterà senz'altro sospeso per un mese* dall' esercizio delle sue attribuzioni innanzi alla S. C. del Concilio, senza potersi far rappresentare da altri nell'adempimento delle medesime.

In esecuzione degli ordini degli Emi Padri il sottoscritto rende tutto ciò di pubblica ragione per norma e regola degli interessati.

Dato dalla Segreteria del Concilio, 3 Novembre 1905.

L. ✠ S. G. De Lai, *Segretario.*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

**In Absolutione generali a Regularibus modo privato impertienda adhiberi valet formula brevior.**

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens humillimis precibus Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in Absolutione generali modo privato, id est immediate post sacramentalem Absolutionem a Regularibus impertienda, adhiberi valeat formula brevior, quae pro Tertiariis saecularibus concessa fuit (1). Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. † D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Leo XIII in Brevi *Quo universi* 7 Iulii 1882 decrevit ut in posterum duae tantum praescriptae formulae, quarum prima incipiens verbis *Ne remini-*

## TUNQUINEN.

**Decretum beatificationis seu declarationis martyrii VV. Servorum Dei Ord. Praedicatorum Hieronymi Hermosilla Episcopi Miletopoiitani, Vic. Ap. Tunquini orientalis, Valentini Berrio-Ochoa Episcopi Centuriensis, Vic. Ap. Tunquini centralis, Petri Almato sacerdotis missionarii, et Ven. Servi Dei Iosephi Khang indigenae.**

Super dubio: *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus, in casu et ad effectum de quo agitur.*

In teterrima illa contra catholicam fidem insectatione, quae medio saeculo xix per Tunquinum desaeviit, complures ex omni hominum conditione *pro testamento Dei sua corpora tradiderunt et laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Strenuos inter huiusmodi púgiles virtute ac dignitate sua emicuerunt ex inclyta Dominiciana Familia, iis palmis iamdudum assueta, evangelii praecones tres, "iidemque praenobilis Hispanorum gentis Filii dignissimi, Hieronymus Hermosilla,

*scaris* pro Regularibus, necnon ex decreto S. C. Indulgentiarum diei 11 Nov. igo3 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 498) pro Tertiariis Regularibus; altera vero incipiens *Intret oratio* pro solis Tertiariis saecularibus, in absolutione generali impertienda adhibeatur. Hae formulae prostant in Appendice ad Rituale Romanum, in Collectione authentica S. C. R., n. 355o, atque in *Actis S. Sedis,* vol. 15, pag. 49. Verum sub fine citati Brevis Apostolici et immediate post formulam Absolutionis generalis pro Tertiariis saecularibus sequentia leguntur: « Si haec indulgentia immediate post sacramentalem Absolutionem impertiatur, reliquis omissis, sacerdos absolute incipiat a verbis *Dominus Noster Iesus Christus* etc., et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato ». Quibus verbis Pontifex concessit ut ad impertiendam Absolutionem generalem Tertiariis saecularibus modo privato, idest immediate post sacramentalem Confessionem adhibeatur formula brevior, nempe a citatis verbis *Dominus Noster Iesus Christus,* etc. Modo autem eadem concessio extenditur ad Regulares. In Rituali praeterea Ordinis Minorum Capuccinorum haec adduntur: « Si adiuncta vetent integram adhibere formulam, sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit: *Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum iudulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen » (N. R.).*

Episcopus Miletopolitanus, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, et Petrus Almato sacerdos eiusdem Ordinis ; quibus adiunctus est Hermosillae famulus, Iosephus Khang, Tunquinensis.

Hieronymus Hermosilla, natus pridie Cal. Oct. a. MDCCC in civitate S. Dominici Calciatensis, primum, studiorum causa ad Philippinas insulas transmigravit; deinde sacerdotio auctus in Tunquinum missus est, ubi aspera multa sustinuit, ut nequissimi illius regis furorem et satellitum insidias vitaret. Vicarius Apostolicus Tunquini orientalis, ac deinceps Miletopolitanus Episcopus, post apostolicos labores plurimos, quum ad naviculas quasdam piscatorum fidelium confugisset, per proditionem comprehensus est una cum alumno famuloque suo Iosepho Khang, et in provinciae orientalis principem urbem traductus. Cuius ad limina distentam Christi Cruci adfixi imaginem conspicatus, ultra progredi, nisi illa, ne profanaretur, sublata, recusavit. Tum cavea inclusus, ac non ita multo post capite caesus est Calendis Nov. anno MDCCCLXI, aetatis suae sexagesimo primo.

Eodem die, haud absimili martyrio iisdemque fere adiunctis vitam nitide actam nobilitarunt Valentinus Berrio-Ochoa et Petrus Almato. Horum prior, natus XVI Cal. Mart. anno MDCCCXXVII in oppido Elorrio Cantabriae provinciae, et ipse Philippinis ab insulis in Tunquinum centralem transmeavit, ubi, eius cognita sanctitate, Centuriensis Episcopus universaeque missionis moderator est renuntiatus. Recrudescente vero in eius Vicariatu persecutione ita ut ibi iam nullus refugii locus superesset ad orientalem Tunquini partem appulsus in horrido antro delituit, ubi pro viribus ministerio suo functus est. Inde, pagum petiturus Van-Dinh, quum se ad eas navículas recepisset, ubi quatriduo ante memorati sodales eius fuerant comprehensi, ethnici cuiusdam proditione in satellitum incidit manus una cum Petro Almato. Uterque canga et catenis onusti ad urbem provinciae caput deducuntur, cui

non succedunt, nisi adorata prius ac deinde remota Cruce ad calcandum proiecta. Prope caveam Hermosillae, Valentinus inclusus, eodem, quo ille, die trahitur ad supplicii locum, ubi, stipiti alligatus, capitalem pro Christo poenam fortiter subiit. Eidem neci datus est Petrus Almato, sacerdos, ortus in pago Saserra Cal. Nov. an. MDCCCXXX, vitae intemeratae et apostolici ministerii laude plane dignus qui suas cum sociis palmas intexeret anno aetatis suae xxxi.

Quartus in gloriosum certamen venit Iosephus Khang e pago Tra-Vi provinciae Nam-Dinh, christianis parentibus editus an. MDCCCXXXII. Hic, Hermosillae alumnus et famulus, quum in fidelium piscatorum cymbis cum suo praesule delitesceret, a militibus, quorum e manibus victum illum eripere nitebatur, tres ictus ensis accepit, cum eoque ad provinciae principem urbem traductus est. Ac primum quaesitus de apostolicis viris, reticuit; iteratis deinde verberibus compulsus, interrogantibus prudenter satisfecit. Mox ad Crucem proterendam, proposita libertate, invitatus, maluit viginti supra centum perferre vulnera, quam a fide desciscere. Quare et ipse ad supplicium raptus est et optatam coronam una cum tribus Dominicianis athletis est consequutus, annum agens vicesimum nonum.

Splendidum hunc fortissimorum virorum exitum quum vulgata etiam prodigia illustrassent, agitata causa est de ipsorum martyrio et institutae de more inquisitiones quum ordinaria tum apostolica auctoritate. Quibus accurate perpensis validisque recognitis fel. rec. Pontifex Leo XIII causae introductionis Commissionem sua manu signavit Cal. Maii an. MDCCCcii. Denuo causa instaurata est, ac de SSmi Domini Nostri Pii Papae X venia, peculiari Emorum Patrum ordini commissa cum voto quoque Consultorum Officialium qui de ipsa iudicarent. Quo in conventu, habito pridie Nonas Iunii labentis anni, proposito a Rmo Cardinali Dominico Ferrata dubio: *An constet de martyrio eiusque causa, itemque*

*de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus, in casu et ad effectum de quo agitur;* Rmi Cardinales et Officiales Consultores suffragio suo constare censuerunt. Nihilominus SSmus Pater a supremo edendo iudicio abstinuit, ad caeleste lumen in tam gravi negotio impetrandum.

Hodierno autem die, dum nativitatem Ioannis Baptistae recolimus, qui virtutis iura fuso etiam sanguine invicte affirmavit, idem SSmus Dominus Eucharistico Sacrificio religiosissime litato, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus est, ac pontificio solio assidens ad se accivit Rmos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. Congregationi Pro-Praefectum, loco etiam et vice Rmi Card. Seraphini Cretoni causae Relatoris, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus edixit: *Constare de martyrio eiusque causa VV. Servorum Dei Hieronymi Hermosilla Episcopi Miletopo titani, Valentini Berrio-Ochoa Episcopi Centuriensis, Petri Almato Sacerdotis missionarii et Iosephi Khang indigenae, itemque de signis seu miraculis horum quatuor Servorum Dei martyrium illustrantibus, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc vero Decretum publici iuris fieri et in acta Sacrorum Rituum Congregationis inseri iussit octavo Cal. Iulias anno MDCCCCV.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DECRETUM

**Quo editio Vaticana librorum cantus gregoriani typica declaratur.**

Post Apostolicas litteras SS. D. N. Pii divina Providentia PP. X *Motu proprio* datas die xxv Aprilis MCMIV, quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum,

cantum gregorianum S. R. Ecclesiae proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontificia, mandata et desideria eiusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

Haec vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiae gregorianae, in futuris huiusmodi librorum editionibus contentae, praedictae typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, adamussim sint conformandae, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

Nulli tamen fas erit librorum cantus gregoriani sic restituii in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis et instructionibus, quae in Decreto S. R. C. diei xi Augusti MCMV continentur.

Denique haec eadem S. Rituum Congregatio de mandato SSmi declarat vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen, ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta normas supradictas compositi, huic typicae editioni plane fuerint conformes.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# BURDIGALEN.

**Decretum canonizationis B. Ioannae De Lestjpnnac Viduae, fundatricis Ordinis Filiarum B. Mariae Virginis.**

Burdigalensis civitas seu dioecesis aeque ac religiosa Filiarum B. Mariae Virginis Familia quarum prima veluti filiam dilectam instar aurorae e suo sinu egressam, et altera uti matrem egregiam gloriosamque institutricem Beatam Ioannam De Lestonnac agnoscunt et venerantur, uno fere sensu Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X humillimas enixasque preces porrexerunt, ut huiusmodi Causa penes Sacrorum Rituum Congregationem ad tramites iuris introducta, progressa atque solemniis beatificationis in Patriarchali Basilica Vaticana anno 1900 peractis feliciter coronata, novis nunc aucta signis atque prodigiis quae post indultam eidem Beatae venerationem, ipsa interveniente, divinitus patrata feruntur, de Apostolica benignitate per signaturam Commissionis resumi valeat. Hinc instante Rmo Dno Raphaele Maria Virili Episcopo tit. Troadensi et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis plurium Rmorum Archiepiscoporum et Episcoporum Galliae, praeeuntibus Emis et Rmis Dñis Cardinalibus Victore Luciano Lécot Archiepiscopo Burdigalensi et Francisco Richard Archiepiscopo Parisiensi, necnon universi Ordinis Filiarum B. Mariae Virginis per suas moderatrices e diversis domibus communia vota depromentis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Porro Emi ac Rrîii Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, reque sedulo perpensa rescribendum censuerunt:

*Affirmative seu Commissionem esse signandam si Sanctissimo placuerit.* Die 8 Augusti 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacri Consilii ratum habens, Commissionem Reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Ioannae De Lestonnac Viduae, Fundatricis Ordinis Filiarum B. M. V. propria manu signare dignata est, die 23, eisdem mense et anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUMET SS. RELIQUIARUM

## ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

**Superior Regularis Absolutionem generalem propriae Communitati impertiens et sibi impertit.**

Fr. Iucundus a Montonio, Ordinis Minorum Capuccinorum Procurator Generalis, Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia solvenda proposuit:

I. Quaenam sit formula adhibenda ad impertiendam Absolutionem generalem Regularibus modo privato, id est immediate post sacramentalem Confessionem?

II. Utrum Superior Regularis, aut eius delegatus, cum Absolutionem generalem propriae Communitati impertit, et ipsemet eamdem recipiat, an alius sacerdos ei impertire debeat?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondendum censuit:

Ad I. Ad S. Rituum Congregationem (1).

Ad II. Affirmative ad i^am^ partem; Negative ad 2^am^.

Datum Romae, ë Secretaria eiusdem S. C, die i Febr. 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

(i) **Cfr. responsio S. R. C. relata in** *Actis S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 236 *(N. R.).*

# APPENDIX

## MATRIMONIALIS - DE PAROCHO PROPRIO

Doctissimus Canonista, qui hac in re de suo voto exquisitus fuit, nempe Rmus P. Pius a Langonio, praemisso postulato Emi Cardinalis Kopp (quod retulimus in *Actis S. Sedis,* vol. 38, pag. **208),** addit quod in civitate Berolinensi, matrimonia invalida ex capite clandestinitatis erunt praecise matrimonia *catholica,* non autem *haeretica,* nec *mixta,* quia ibi Tridentina lex solos afficit catholicos *(De Becker,* edit. **1903,** pag. **133).** Deinde relatis sub n. i et **2** altero postulato Emi Archiepiscopi Parisiensis et relativa responsione S. C. S. Officii, subdit :

**3.** De ista responsione, paulo fusius infra; heic tantum videtur adnotandum quod Emus Wratislaviensis attenta sedulitate preces exaravit iuxta textum Parisiensis indulti praecitatum, allegans nimirum eamdem causam nempe frequentissimum advenarum concursum in civitatem Berolinensem, easdemque praevias conditiones, scilicet primo anteriorem de facto permanentiam *semestrem,* secundo permanentiam in aliqua paroecia civitatis Berolinensis, tertio dispensationem super exploratione animi: e quibus plane infertur eumdem pariter esse finem intentum, procul dubio tutiorem contra catholicorum invalida connubia securitatem, ut supra legitur. Quare, quum haec Sacra Congregatio Concilii sit competens, ut puto, in elargiendis indultis huiusmodi, nihil prorsus obesse videtur quominus Emi Patres, ita si placitum fuerit, hic et nunc, id est nequaquam expectata decisione generali seu resolutione, ut dicitur, *di massima,* concedant exoptatum indultum in terminis suprarelatis servataque finali clausula *facto verbo cum SSmo,* quae etsi forte non absolute necessaria, opportune tamen et absque ullo damno, ni fallor, addi poterit.

**4.** Verum enim vero supplex libellus Emi Kopp plagam veterem, ita si loqui liceat, magis ac magis exacerbavit, id est in aprico posuit evidentius difficultatem iam dudum observatam, quae nostris hisce temporibus oritur ex hodierna iurisprudentia circa matrimonia quae contrahuntur ab advenis coram parocho quasi-domicilii, rite vel non acquisiti.

Quum igitur de venmo mandato D. Secretarii H. S. Congñis, illo de themate scribere debeam, omnia quae non tam dicturus sum quam tentaturus, triplici quaesito constringi posse censeo, nimirum:

I. *Qualis hodie sit iurisprudentia canonica circa quasi-domicilium et simplicem commorationem respectu matrimoniorum iuxta formam Tridentinam ineundorum ?*

II. *An, et quibus de causis, expediat dictam iurisprudentiam tantisper immutare seu, rectius, moderare ?*

III. *Quonam opportuniori sive securiori modo statui posset dicta moderatio ?*

I.

## Qualis sit hodie iurisprudentia canonica de quasi-domicilio et commoratione.

Ut propositae quaestioni plenius aptiusque respondeatur, haud inopportunum erit praevie inquirere qualis *antea* fuerit haec iurisprudentia, seu (quod idem est) breviter exponere progressivam evolutionem iuridicae notionis quasi-domicilii; deindeque dictae notionis elementa substantialia paulo intimius perscrutari.

### § **i.** *Conspectus historicus circa progressivam iurisprudentiam.*

**5.** Supervacaneum foret adnotare quod ius canonicum a iure romano substantialem ipsius domicilii notionem desumpserit et, ut ita dicam, *canoni^averit,* inquantum scilicet domicilium importat commorationem in loco cum voluntate ibidem perpetuo remanendi, si nihil inde avocet. Pronum utique fuit, et adhuc nunc permanet iuristis et casuistis per longum et latum disceptare de conditionibus in concreto translatae commorationis, necnon de voluntate satis vel non satis comprobata, tali talive loco, perpetuo vel obiter tantum inhabitandi; sed in iure speculativo tum romano tum canonico, ubi adest factum commorationis et voluntas perpetuo commorandi, ibi habetur certe domicilium.

At vero non sic de quasi-domicilio. « Leges romanae quasi-domicilium ignorant », ait d'Annibale *(Summula,* part. i, tract, i, n. 84, nota 23); et quidem nientissime, quum una alterave lex romani codicis, in qua pauci canonistae fundamentum vel saltem vestigium quasi-domicilii reperire volunt, loquatur tantum de relegatis aut de militibus in praesidiis stabilibus aut aliis huiusmodi personis, quibus non quasi-domicilium agnoscitur, sed domicilium imponitur *necessarium, coactum,* quod plerumque domicilium *imperfectum* audit, per oppositionem ad perfectum et verum, minime vero per similitudinem cum illo, quamvis etiam imperfecto, quod dicimus hodie quasi-domicilium. Istud ultimum a iure canonico, eoque solo, fuisse inductum ambigi non posse videtur.

Haud tamen excogitare debet quod in iure ecclesiastico quasi-domicilium inductum fuerit immediate, ex abrupto, per modum v. g. cuiusdam legis seu canonis peculiaris : e contra notio quasi-domicilii nonnisi pedetentim (et hodiedum incomplete) stabilita fuit, per modum exege-

seos seu practicae iurisprudentiae circa decretum Tridentinum de matrimoniis coram parocho contrahendis.

6. Omnibus notum est quot et quantae disceptationes intercesserint, durante Concilio, priusquam Tridentini Patres legem illam in sua forma definitiva statuerent. Primum schema Patribus propositum (quod transcribo ex *secunda* editione Pallavicini, qui dictam editionem ipse reviserat) nullam proferebat de quopiam sacerdote mentionem: « Questo santo Concilio.... determina che per innanzi que' matrimoni i quali farannosi occultamente senza tre testimoni, saranno nulli, come col presente decreto gli annulla » *(Storia del Conc. di Trento,* lib. xxii, cap. 4, n. 3).

Item, et in secundo schemate die 7 Augusti 1563 discusso, ne verbum quidem de parocho, nec de sacerdote; sed textui proposito, Cardinalis Lotharingius exoptavit, ut adderetur « che oltre alle altre solennità si richiedesse, anche al valore, la benedizione del sacerdote : si che uno dei tre testimoni avesse il grado sacerdotale » ; ideoque sacerdos, in voto praelaudati Cardinalis, non praecise qua parochus sed potius qua minister benedictionis, in futuro decreto proponebatur inducendus. Re vera successivis (et quidem multiplicibus) deliberationibus, variis varie opinantibus, decretum constabilitum est communi suffragio firmatum, quo scilicet praesentia *parochi* (non sacerdotis simpliciter) tamquam auctorati testis iniungitur.

7. Et haec praelibanda censui, ad clarius definiendum terminum *a quo* subsecutarum exegeseum et interpretationum : videlicet Concilium Trid. requisivit praesentiam parochi *contrahentium,* quin praecisius specificarci quis esse debeat parochus iste; practica iurisprudentia tum ex logico nexu tum ex parte decreti expositoria parochum induxit *proprium.* Item ex decreto remanebat incertum uternam parochus esset proprius, sponsi scilicet vel sponsae : practica iurisprudentia nientissime determinavit parochum *alterutrius* contrahentis esse vere proprium in sensu Tridentini. Iam anno 1573 (et proinde decennio post promulgationem nondum elapso) et iterum anno 1589 in una *Tornacen.* (i), haec S. Congregatio « validum declaravit matrimonium contractum coram parocho unius ex contrahentibus ».

Item Concilium Trident, requisivit parochum sponsorum, id est parochum domicilii stabilis, familiaris, prout tunc in facto et in iure agnoscebatur: iurisprudentia practica, ne quamplura matrimonia forent inva-

(1) Hanc et istam resolutionem cito in fide R. Pallottini, diligentissimi Collectons, qui eas desumpsit e libro i° (pag. i25) et 6° (pag. 89) Decretorum penes Tabularía S. C. - V°. *Matrimon.,* § xv, n. 163, 164.

lida, neve forma Tridentina nimis onerosa saepe saepius evaderet, tenorem decreti paulisper ampliavit, et habitationi fixae ac perpetuae (qua constituitur verum domicilium) commorationem in loco gradatim assimilavit, commorationem dico non vagam, non perfunctoriam, sed aiiquali duratione protrahendam, qua, respectu saltem ineundi connubii, parochus fit proprius, etsi stricto iure non vere proprius, nupturiensque fit quási-domiciliatus, etsi non vere domiciliatus.

8. Iurisprudentia *gradatim,* inquam, assimilavit: deciperetur enim qui notionem quasi-domicilii, prout nunc obtinet, fuisse ab origine fixam et in suis conditionibus plene delimitatami existimaret. Immo vox ipsamet *quasi-domicilium,* ut notat Feije *(De dispens, matrim.,* n. 209, edit. **4,** pag. **i** 3o) « non occurrit apud antiquiores auctores : voce habitationis hi uti solebant », et citat ad rem Fagnan. G. *Significavit.* Sane paulisper a vero deflectit haec assertio elmi Canonistae Lovaniensis: siquidem verbum istud id est *quasi-domicilium* expresse usurpant, inter antiquiores, v. g. *Laymann* (i **63*5)** in sua Theol. Morali (lib. v, tract, vi, c. x, n. **6),** ubi : « Porro ad domicilium vel *quasi-domicilium,* eiusque ratione dioecesim vel parochiam acquirendam, cum animus requiritur tum factum. Animus consistit in proposito voluntatis permanendi perpetuo, vel ad tempus anni non modicum; factum consistit in actuali habitatione.... »; *Pirhing* (1679) qui perbelle conditiones acquirendi *quasi-domicilii* specificat (lib. **II**, tit. n, De Foro comp., n. xvni, vol. 2, edit. Venetae 1759, pag. 3o); *Reiffenstuel* (1703) semel et iterum ac ex professo, ubi de Foro competenti (edit. Vives-Pelletier, vol. 2, pag. 208) et ubi De clandest. Desponsatione (vol. **5,** pag. 4o5) (i); *Schmalzgrueber,* ubi de Foro comp, (edit. Cameralis, vol. 11, part. i, pag. 79, n. 16); *Ferraris,* saltem in additionibus sic dictis Cassinensibus, v. *Matrimonium* art. vi, n. 97, (edit. Migne, vol. 5, col. 487 et seqq.) etc. etc.

Nihilo tamen minus, sensum facessit quod quamplures optimae notae Theologi et Canonistae quasi-domicilii mentionem non fecerint, etsi de iure parochialitatis adipiscendo prolixe disseruerint, ut v. g. iuxta ordinem antiquioritatis, Sánchez (16io), Card. Tuschus (1620), Barbosa (1649), Card. De Lugo (1660) qui tamen in suis Responsis moralibus quemdam pertractat casum quasi-domicilio maxime affinem, Pignatelli (1675), Fagnanus (1678) qui doctissimis commentariis illustrat C. *Signifi-*

(1) Quum suspicatus fuissem terminologiam de quasi-domicilio maxime praecisam non ipsi Reiffenstuel esse attribuendam sed forte novissimo ipsius editori supralaudato, ultimam illam editionem conferri curavi cum antiquiori, nempe Veneta anni 1734, quae pariter de *quasi-domicilio* expresse loquitur.

*cavit* (De parochiis et alienis parochianis) ut infra dicetur, De Justis (i691), Card. de Luca (i683), Clericatus (1717), Haberi (1718), Matthaeucci (1722), Sabellius (1724), Tournely (1729), Ursaya (1736), Coscius (1779) et alii permulti.

9. Non quod isti Canonistae Theologive quamlibet habitationem seu incolatum, ut ipsi loquuntur, autumaverint esse quasi-domicilio nostro aequivalentem, ut Feije (loc. cit.) innuere videtur; sed quod, ni fallor, mire dissentiebant circa conditiones requisitas ut incolatus in loco reputantur sufficiens aut insufficiens ad acquirendam in dicto loco *parochialitatem* cum omnibus omnino iuribus et oneribus, aut saltem cum iure ibidem matrimonium contrahendi. Dissensiones porro et opinationes necnon opinionum consectaria practica, nemo mirabitur si velit attendere nullam tunc adfuisse decisionem *auctoritativam* de conditionibus ad quasi-domicilium canonice constituendum. Iurisprudentia, quae paulatim efformatur iuxta deductiones Iuristarum, nequit non esse plus minusve nutans et incerta quoadusque interveniat competentis Auctoritatis decretorum aut saltem directivum oraculum. Fastidiosum certe foret ac prorsus inane memoratas dissensiones prolixius indigitare : quasdam tantum *particularitates,* ut dicitur, brevi calamo notabo, quae iuris hac de re progressus et oscitantias satis revelant.

10. Sánchez (lib. **III**, disp. xxin) conclusionem profert, ac tuetur tamquam veriorem, hodiernae notioni quasi-domicilii plene consonam; at vero pfobabilissimam dicit adversam sententiam, a plurimis AA. propugnatam variisque rotalibus Dec. firmatam (? ?), quae negabat quempiam, si domicilium retineat in una, fieri unquam posse parochianum in altera, « alias dicendum est (illum) habere duplicem parochiam habitationis, quod manifeste falsum videtur » (loc. cit., n. 11), nisi forte (ut Card. Tuschus et alii) animum habuerit a prima paroecia definitive recedendi, dummodo talem animum formiter vel aequivalenter, v. g. per translationem « maximae partis fortunarum suarum », expresserit, seu (penes De Luca, *De matr.*, part. n, disc, n, n. 11) cum expressione verbali vel saltem cum inditiis et actibus facti, aut in nova paroecia commoratus fuerit per *triginta* annos, et quidem de praevia licentia proprii parochi (varii apud Sánchez), aut per decennium, (Tuschus); attamen sufficit « habitatio annalis vel saltem pro maiore parte anni » (De Luca) respectu aliorum sacramentorum in nova paroecia suscipiendorum non autem respectu matrimonii contrahendi vel Ordinis suscipiendi... etc. etc.

Haec est enim quorumdam Canonistarum, respectu parochialitatis adipiscendae, sat singularis distinctio, scilicet inter sacramenta *necessaria* et sacramenta *voluntaria,* nimirum, ut suppono, hinc sacramenta quae

christianus quilibet recipere tenetur, illinc quae propria voluntate peroptat; et quoad ista vel illa variatur brevior longiorve commoratio ad parochialitatem acquirendam.

Talem distinctionem parvipendit Fagnanus dicens: « Neque enim constituenda est differentia inter Sacram. Poenitentiae et matrimonii, cum saepe non minor sit necessitas nubendi quam confitendi, ut contingit in his qui continere non possunt: ideoque communiter is dicitur proprius parochus, ad coniungendos aliquos, qui in cap. *Omnis utriusque* appellatur proprius sacerdos ad confessiones audiendas » *(III Decret.,* de parochis, cap. v, n. **2**3).

Si vero per sacramenta *necessaria* debemus ea tantum intelligere quae solus parochus administrare potest, mutatur ex toto quaestionis aspectus: solum enim sacramentum matrimonii, vi promulgationis Tridentinae, requirit praesentiam parochi proprii *sub poena invaliditatis;* ideoque maximi momenti prorsus est parochi proprii notionem, respectu matrimonii, non flaccidis et arbitrariis conditionibus, sed tutis firmisque notis determinare; quae certe desunt in praelibatis auctorum scholas.

Reiffenstuel et nomen et notionem genuinam quasi-domicilii tradit, eamque solidat super quadam paritate cum domicilio: « Sicut ad acquirendum verum domicilium sufficit unius diei habitatio cum animo ibidem constanter permanendi, ita etiam ad acquirendum quasi-domicilium sufficit una aut altera dies cum animo ibidem habitandi per maiorem anni partem... Ratio est quia non apparet, cur quis possit acquirere verum domicilium per unum diem cum animo ibidem perpetuo manendi, et non quasi-dom. per unum diem cum animo per maiorem saltem anni partem ibidem manendi, quod temporis spatium pro quasi-domicilio requiritur » (lib. iv Decr., tit. **III**, n. 60). De illa paritate fusius dicetur infra.

De Iustis (lib. n, cap. xix, n. 5o) verum habet quasi-domicilii conceptum, et genuinas inde eruit conclusiones, sed illud vocat *domicilium,* prout coeterum quamplures alii Canonistae.

Clericatus, in suis optimis *Decisionibus,* rem absolvit sequenti modo: « Tria esse requisita necessaria, ut quis dicatur contrahere matrim, coram suo parocho: *Unum* est quod contrahentes actualiter habitent sub parochia illius parochi. *Alterum* est quod ex aliquo honesto motivo intendant ibi habitare (inferius addit huic secundo requisito: et ibi per aliquod notabile tempus [sint] habitaturi). *Tertium* quod non se transtulerint ad habitandum in illa parochia, hac determinata intentione defraudandi proprium parochum et *statim discedendi* a ficta habitatione, inito coniugio » *(De Sacr. matr.,* Decis, xxxv, n. **1**3).

Verba *statim discedendi* sublineavi, quia non intentio fraudandi proprium parochum, bene vero properus discessus, ut inferius notat auctor, matrimonium invalidavit in Rotalibus decisionibus ibidem (n. **1**8) recensitis.

Pro Theologis Sorbonicis sint in specimen Habert (Ludov.) et Tournely: iste *(De matrim.,* edit. Parisien. **1753,** pag. **457)** prompto calamo difficultatem amovet et, excluso parocho originis et loci contractus, parochum *domicilii* tantum ponit esse proprium, quippe qui banna proclamare debet et facilius impedimenta, st quae sint, detegere potest: ille diversam affert responsionem, tantillo sale gallicano conspersam: « Iuxta consuetudinem in Galliam receptam et edicto regio confirmatam (i), extraneus, si sit eiusdem dioeceseos, per sex menses in paroecia sedem fixisse debuit; et per annum, si diversae dioeceseos, priusquam ibi ad sacramentum matr. admittatur » *(Theol. Mor.,* De matr., cap. vi, pag. **475).**

**II**. De facili praesumitur quod auctores sua commentaria, in isto sicut et in aliis thematibus, tentaverint solidare super assertis huius Sacrae Congregationis resolutionibus, fúndate vel irifundate allegatis. Citantur, ut plurimum, resolutiones quas Benedictus XIV seu rectius Lambertinius in sua notissima *Institutione can. XXXIII* commemorat, quasque Sac. Pelella, decretorum Tridentini accuratissimus Editor, textui Sess. **XXIV** De Reform., p. **226** oculate subnexuit. Ne vero tempus et atramentum incassum insumantur, hisce resolutionibus, quae validitatem sententiant matrimonii contracti propter solum factum commorationis, absque domicilio vel quasi-dom., debent applicari praelaudati Lambertini animadversiones : « Non inficiamur eamdem Congregationem non semel decrevisse valida illorum matrimonia qui ad evitandas cum parentibus altercationes, ex parochia domicilii in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt. Advertendum tamen est matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco vel quasidomic. assecutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt ut primam sedem ac domicilium répétèrent, quemadmodum Clericatus recte perpendit ». Attamen haud una citari potest Resolutio pro validitate, quamvis non verificaretur, in factispecie subiecta, conditio praefata: *diu morati ibidem ante matrimonium.* Sic in una *Senensi* **17** Maii **1600,** quam allegant Barbosa *(Collect,* in Conc. Trid., edit. Venetae **1709,** pag. **277,** n. **12),** Fagnanus (ut supra) aliique « validum fuisse (censuit S. Congr.) cuiusdam iuvenis (Senensis) coniugium cum meretrice, qui dubitaverat illud in propria

**(i) Edictum istud frustra perquisivi in** *Mémoires du Clergé.*

civitate contrahere adhibendo Conc. Trid. solemnitates, eo quod iuvenis parentes eis impedimentum de facili facturi erant, et propterea Romam venerunt, et coram testibus et parocho in paroecia, *in qua aliquantulum permorati erant,* matrimonium contraxerunt de praesenti ». Fagnanus (**1.** c, n. 36) decisionem istam explicat quia « is est proprius parochus in cuius parochia habitabant contrahentes tempore contractus »; Clericatus (**1.** c.) validum fuisse matrimonium edicit quia nupturientes fixam sedem Romae stabilire condixerant. At huiusmodi condictio nullatenus ex factispecie, prout penes auctores exponitur, apparet.

Ita et in alia *Patavina,* iuvenis scholaris meretricem sibi copulans, Patavii per quinque vel sex menses (? ?) iam commoratus fuerat, et inde iure praesumebatur intentio protrahendi commorationem, ideoque matrimonii validitas.

**12.** Quare tenuitati meae maxime persuasum est apparentes in his aliisque Resolutionibus, tum ante tum post incoeptam (1718) *Thesauri* compilationem, oscitantias ac dubietates perbelle componi posse si quis attente perpendat, in unaquaque factispecie, genuinam decidendi rationem. Haec autem ratio decidendi non praecise desumebatur e Iuristarum placitis et conclusionibus, haud parum nutantibus et variis, ut supra delibatum est, neque ex longiori breviorive commoratione, neque etiam ex fraudulento vel non fraudulento discessu respectu parochi domicilii, nec etiam ex sacramentis necessariis vel voluntariis, neque tandem ex notione quasi-domicilii nondum satis fixa neque competenter declarata ; sed ex concretis subiectae causae conditionibus et adiunctis, quae, si revelabant intentionem contrahendi sine parocho et testibus, invaliditatem matrimonii, secus vero validitatem satis demonstrabant.

Sane, si nondum stabilita fuerant principia tuta fixaque circa *proprium* parochum, aut circa specificas conditiones, in acquirenda parochialitate relate ad matrimonium secundum debitam formam ineundum, illogicum foret e dissimilibus factispeciebus multoque magis e discrepantibus auctorum scholiis, normam deducere generalem et uniformem. Audiantur ad rem aurea verba praeclari De Luca: « Circa quam (id est circa quaestionem de sufficienti vel insufficienti domicilio intuitu matrimonii) dicendum est ut illa sit quaestio facti potius ac probationis etiam adminiculativae, quam iuris ; -ideoque iuxta regularem huiusmodi quaestionum facti naturam certa regula generalis desuper constitui non potest cuicumque casui applicabilis, cum probationum materia, praesertim ubi de adminiculativis agitur, iudicis arbitrio reposita sit, ex singulorum casuum qualitate ac circumstantiis regulando. Et de consequenti erroneum, pro meo iudicio, est procedere cum propositionibus generalibus, vel cum

decisionibus quae in diversis casibusv prodierint, quoniam stant bene simul, *ut in uno casu, aliquae probationes vel argumenta sufficiant, in altero autem eadem ac longe* maiora insufficientia sint, quia nempe ita locorum ac temporum et personarum aliarumque circumstantiarum qualitas, uno vel altero modo, exigat » *(De Luca,* libr. xiv, part. n, *De matrim.,* Disc, i, n. 12, edit. Venerae 1706, vol. 14, pag. 2).

Similiter Bened. XIV in praecitata *Institut. XXXIII* tradit regulam non generalem sed potius, ita si dici possit, classificativam, id est varias distinguit advenarum classes, vagorum, studentium, carceratorum, relegatorum, infirmantium in xenodochiis, puellarum expositarum, educandarum in monasteriis, famularumque, et conditiones praefinit quibus *in dioecesi sua Bononiensi* dictae classes nupturientium parochialitatem, vel secus adipiscuntur. Attamen in opere *Quaestion. Canonicarum et Mor.* eruditissimus Pontifex praecisiorem et generalem profert quasi-domicilii notionem hisce verbis : « domicilium non acquiritur sine animo perpetuo habitandi; nec quasi-domicilium acquiritur, nisi concurrat animus habitandi per maiorem anni partem » (Quaest, CLXXXII, edit. Praten., part. n, pag. 2 31).

S. Alphonsus *(Theol. Moral.)* tum in Tract, de matrimonio, n. 1091, tum et plenius in Tract, de baptismo, n. 11 5 varias sententias commemorat (non semper exacte quoad Auctores ibi recensitos) et cum sententia secunda tenet: « advenas posse recipere sacramenta a parocho loci, ubi iam contraxerint quasi-domicilium. *Contrahitur autem quasi-dom. ab eo qui habitat alicubi non per transitum, sed per maiorem anni partem,* aut cum animo permanendi ibi per maiorem partem anni. Imo aiunt Laymann etc...., ex communi *sufficere* ad contrahendum quasi-dom. *habitationem per aliquam notabilem anni partem, causa alicuius negotii.... Ratio huius secundae sententiae est* quia, per quasi-domicilium quisque iam fit parochianus loci ubi habitat, ut habetur ex *cap. finali de parochis,* ubi confugientes ad aliquam parochiam causa belli, iam dicuntur illius parochiani » *(De Bapt.* n. 115).

Omissa porro clausula *per maiorem,* vel *per notabilem anni partem* (de qua iamiam dicendum erit' paulo fusius) duo videntur adnotanda. *Primo* S. Doctor in verbis suprascriptis explicationem dat quae reapse parum aut nullatenus explicat; etenim genuina quaestio non est: utrum ille , qui quasi-domicilium acquisivit in loco , fiat parochianus illius loci (quod nemo cordatus inficias ibit), sed utrum advena per hanc aut illam in loco commorationem acquirat quasi-domicilium et quanam de causa. *Secundo* caput iuris finale de parochis (id est c. *Significavit* quod est revera ultimum De parochiis et alienis parochianis, lib. in Decret.,

tit. xxix) intelligi nequit de quasi-domicilio, prout hodie accipitur, sed tantum, prout Fagnanus aliique bene multi, de illo domicilio quod per discessum a loco et translationem plus minusve totalem in alio censeri debet acquisitum, respectu saltem *spiritualium iurium* (i).

Quare minus fúndate, meo quidem humili iudicio, S. Doctor et post eum d'Annibale *(Summula,* De personis, n. 84, nota 20) cum aliis paucis praecitatum caput ad rem invocant. Pergratum utique foret sive in Decretalibus sive in Tridentino aut etiam in consensione Doctorum, vel saltem in praestabilitis iuris Regulis et practica iurisprudentia, quoddam detegere caput decisionemve auctoritativam, qua tute ac generaliter satis firmarentur tum notio tum conditiones quasi-domicilii; sed nulla, ni fallor, huiusmodi decisio reperitur usque ad annum 1867, tribus proinde saeculis post decretum *Tametsi* iam elapsis (2).

(1) Agitur in dicto capite de fidelibus in Terra Sancta domiciliatis, qui propter turcicam invasionem aufugerant in civitatem Aconensem. Praelati Terrae Sanctae requirebant ab ipsis, prout si permansissent sub sua iurisdictione, omnia onera decimasque. Coelestinus III eos *significavit* subiacere iurisdictioni Aconensi, reservatis tantum, favore Praelatorum Terrae Sanctae, decimis praediorum fructiferorum quae dicti transfugae in derelicto domicilio forte servaverant. Multo minus invocari potest, tanquam vestigium hodierni quasi-domicilii, distinctio quam ponit Honorius (f 1227) inter domicilium *principale* et domicilium *secundarium;* necnon *assidua commoratio* qua Innocentius IV (1254) censuit, potiusquam *intentione,* domicilium adquirí posse.

(2) Immo, non desunt qui quasi-domicilium etiam nunc edicunt nullo iure scripto fundatum sed tantum consuetudinario; ita praeclarus *Lombardi (Carolus)* qui: « haud in usu fuisse penes Romanos, inquit, imo et in legislationem nostram non iure scripto sed consuetudinario transiisse » ( *Iuris Can. privati Institutiones,* Romae 1901, vol. rn, pag. 187).

Revera perperam adduceretur Breve Urbani VIII *Exponi Nobis* diei 14 August. 1 627 ad Archiepiscopum Colonien., aut Epistola (sic dicta) Benedicti XIV *Paucis abhinc* diei 19 Martii 1758 ad Archiep. Goanum, de quibus infra n. 26; nec etiam alia responsio supremae S. Congruis S. Officii diei 7 Maii 1804 pro *catholicis* matrimoniis Hollandiae edita, qua decernitur « parochum proprium catholicorum in Hollandia commorantium, ibique matrimonium *inter se* contrahere volentium, esse *pastorem* vel *compastorem* illius civitatis vel loci in quo alteruter ex contrahentibus domicilium vel quasi-domicilium habet; ideoque nonnisi coram isto vel coram alio sacerdote de illius licentia valide posse matrimonio copulari ». Heic enim determinatur (propter celeberrimam declarationem Benedictinam de matrimoniis haereticis et mixtis) quis sit parochus proprius catholicorum, non vero quid sit quasi-domicilium. Haec responsio desideratur in *Collectanea* S. C. de P. F., sed penes ephemeridem *La Nouvelle Revue Theol.,* tom. xn, pag. 577 legitur.

13. Anno praefato, die vero 7 Iunii, emanavit Instructio seu Encyclica S. C. S. Officii *(ad Episcop. Angliae et Stat. Foed. Amer.)* circa quasi-domicilium rite constituendum et praesumendum: « Ad constituendum vero quasi-domicilium.... duo haec simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die quo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum ». Et iterum: «.... Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasi-dom. pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent » *{Collect.* S. C. de P. F., n. 1407) (i).

Praelaudata Supremae S. Congregationis instructio, prout et alia maximi momenti documenta, penes Tabularía secreta remansit, et nonnisi tandem elapso uno circiter vicennio, publici iuris effecta fuit (2). Hinc de plano potest explicari qua ratione quidam auctores recentiores et hodierni, quibus nondum nota fuit Instructio, perantiquas et obsoletas refricarint disceptationes circa notionem et acquisitionem quasi-domicilii ; sed multo difficilius intelligitur quo fundamento quidam auctores nuperrime et quidem haud infimi subsellii, suas hac de re protulerint notiones seu definitiones, dictae Instructioni non satis consonas. Scitissime Reverendissimus P. Wernz, in suo voto vere magistrali, in una *Parisien.* 1898 *{Thesaur.,* vol. 157, pag. 588 etc.) edicit: « Doctrina canonica in allegatis Instruct. S. Congr. Inq. proposita.... habetur *nunc* tamquam

**(1) Textus Instructionis dimidiate citatur penes** *Collectanea,* **nempe quoad partem practicam tantum ; alterius partis quae legitur penes Zitelli, et André** *(Dict. de Droit can.,* **tom.** 11, **p.** 61 3) **mentio fiet inferius.**

(2) **Hac de re Feije (in** 4ª **editione, Lovanii** 1893) **refert se dictam Instructionem novisse, sed sub secreto, tempore Concilii Vaticani, utpote qui addictus erat Commissioni pro rebus disciplinaribus, et addit: Iamdiu autem secretum S. O. amplius non obstat integrae citationi, quum in publicam notitiam illud documentum devenerit, tum apud De Angelis, tom. III, part. i, pag.** 94 **(revera De Angelis citata pagina mentionem facit instructionis, textum vero non exscribit), Zitelli (De Dispens., app. iv); tum in actis et Decr. Concilii Baltimoren, III; tum denique, addam ego, in Collectanea P. F. et alibi.**

absolute certa, non tantum in theoria, sed, quod maioris momenti est, etiam *in praxi.* Nam secundum hanc doctrinam non tantum matrimonia declarantur nulla, sed, declaratione nullitatis facta, etiam nova matrimonia indubitanter permittuntur. Id quod fieri non posset, nisi doctrina ista esset omnino certa; secus SS. CC. manifesto sese exponerent periculo violandi ius divinum de impedimento ligaminis constitutum.... ».

14. *Habetur nunc,* ait praeclarus Consultor, *tamquam absolute certa;* et quidem, meo humili sensu, certa tali certitudine quae omnem tollat exegesibus aut sententiis vere adversis probabilitatem. Instructiones Sacrarum Congregationum nequaquam haberi possunt tamquam opinationes, sed tanquam decretoriae decisiones quibus ius ipsummet constituitur vel authentice declaratur. Opinationibus et oscitantiis anteactorum saeculorum finem, etsi partialiter tantum, apposuit Instructio supralaudata, non per modum simplicis decisionis ad casum, nec etiam per modum merae confirmationis iurisprudentiae vigentis, sed potius per modum normae generalis quae tamquam caput iuris in themate retineri debet. Hoc sensu, ni fallor, accipienda videtur animadversio praelaudati Consultoris: « Ecclesiam quasi-domicilii notionem mutuasse ex iure Romanorum est res usque in hodiernum diem *(et verosimilius usque in postremos dies)* non satis probata; *canones* vero expressi de quasi-dom. in antiquo iure ecclesiastico omnino non existunt, imo etiam nostra aetate expressa et universalis lex pontificia de quasi-domicilio nondum reperitur lata. Notio quasi-domicilii est potius inventum quoddam fori ecclesiastici, theoriis virorum doctorum, praxi iudiciali paulatim introducta, et tandem per sententias et Instructiones SS. CC. confirmata ». Huic deductioni, ut liquet ex his quae superius exposui, plene adsentio, nisi quod Instructionem praecitatam S. C. Inquis. retinendam censeo, non tanquam legem proprie dictam et formiter edictam, bene vero tanquam normam vere directivam, in qua scilicet notio quasi-domicilii traditur authentica, cuique proinde in iure vim legis, saltem secundum quid agnoscere debemus.

15. Quod autem, in mente S. Inquisitionis, haec Instructio sit habenda tamquam norma seu regula practica, plane liquet, ni fallor, ex altera posteriori eiusdem Supremae (2 Maii 1877; Collect., n. 1049) re* sponsione ad postulata Synodi Mainutinae (Maynooth) in Hibernia circa parochum proprium, videlicet: « Parochum proprium habendum esse parochum domicilii vel quasi-domicilii contrahentium. Ad dignoscendum vero quasi domicilium, *attendendam esse regulam traditam* in Instr, fer. IV, diei 7 Iunii 1867 ».

**16.** Praelucente igitur illa Instructione, notio quasi-domicilii paulo clarius quoad substantialia saltem stabilita fuit, et a pluribus hodiernis exprimitur sequenti vel aequivalenti formula : *habitatio in loco cum animo ibi permanendi per maiorem anni partem.*

Haec definitio inquantum includit utrumque simul elementum, id est *factum* et *animum* commorandi, satis communiter admittitur, haud exclusis illis et non paucis Theologis et Canonistis, qui hodiedum dubia movent tum circa interpretationem facti, tum et maxime circa maiorem anni partem. Item eadem definitio de plano currit sub aspectu *negativo,* quatenus scilicet vi clausulae *per maiorem anni partem,* tum domicilium -proprie dictum, tum perfunctoriam aut casualem commorationem excludit. Si vero consideretur sub- aspectu *positivo,* id est in suis elementis intrinsecis, tantum abest ut haec definitio plene perspicua sit et indiscussa, quod e contra cuique paulo penitius intuenti, difficultates hinc inde prosiliunt et dubietates, ut nunc venit exponendum.

*(Sequitur).*

**Fr. Pius a Langonio,** O. M. C, *Consultor.*

# Diarium Curiae Romanae

*Pius PP. X litteris Secretariae Status:*

i°. Emum ac Rmum Card. Franciscum Segna adnumerare dignatus est inter Apostolicos Convisitatores in piis Locis Catechumenorum.

2°. Emum et Rmum Card. Sebastianum Martinelli nominavit Protectorem Venerabilis Collegiatae Lucanae S. Paulini.

3°. Rmos P. Thomam Rodríguez, Priorem Generalem Romitarum S. Augustini, necnon P. Rinaldum Mariam a S. Iusto, Praepositum Generalem Carmelitarum Excalceatorum, benigniter dignatus est adnumerare inter Consultores S. C. Episcoporum et Regularium.

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE

**Quibus Pius PP. X, occasione Conventus catholicorum Austriae, eos ad religionem ac patriam tuendam hortatur.**

DILECTO FILIO NOSTRO ANTONIO IOSEPHO
TIT. S. MARIAE ANGELORUM S. R. E. PRESB. CARD. GRUSCHA
ARCHIEPISCOPO VÌNDOBONENSIUM. —VINDOBONAM.

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Qui apparando proximo catholicorum totius Austriae conventui egregiam, ut est exploratae eorum virtutis, operam navant, aperiere Nobis quam gravia insideant religioni apud vos et patriae discrimina, nisi opportuna a fidelibus ac tempestiva remedia adhibeantur, quantique propterea intersit ut consilia istic viresque ab optimis quibusque conferantur, patrocinium defensionemque rei catholicae suscepturis. Defensionem in praesens dicimus, eheu quanta cum aegritudine animi, assueti antea exhortari non tam ad mala prohibenda, quam ad lectissima quaeque fidei nostrae incrementa comparanda. Vere quippe congressionem hanc vestram non provehendae rei nostrae ardor, sed protegendae officium coegit, parituram tamen et ipsam cum tuitione progressum. Nam si adnitentibus impie inimicis, desidia vos atque ignavia occupant, quid non fidei, quid non patriae metuendum? Exploratum equidem vobis est catholicae osores rei omni ope in Austria contendere, ut avitum fidei thesaurum vestris e cordibus extrahant, populisque tandem persuadeanc christianam veritatem humanitatemque iam non congruere civili huius aetatis cultui, nec legitimae curationi tenuium. Haec certe deviarum commenta mentium, etsi vi sua propriaque efficacitate neminem movent, permovent tamen et percellunt specie ipsa novitatis, evenitque passim ut multos decipiant perdantque hac una de causa, quia non quidem vetus, sed recens illa tempus invexit.

Et quoniam ad imbuendos errore aut pravitate animos contraria veris sufficere, edocendo mos est, vel illud hodie indignissime spectandum praebetur, ut sub liberae scholae signis, quae, si nobili significationi nominis exprimendae studeret, ad eam foret informanda libertatem qua Christus nos liberavit, conatum sit nuper ;nfensissimos quosque religionis nostrae colligere, disciplinamque educandorum recte iuvenum manibus nostris eripere. Opus porro vobis non est, ut id Nos, edicamus, quo tempore adventent aut immineant hostes, tunc esse ad arma conclamandum. Vobis autem non modo insident hostes, sed intra seu imperium, seu civitates, seu denique pagos versantur, cogendique propterea in unum fideles populi sunt, atque e populis fortissimi praecipue viri. Advocatos igitur in coetum, voluntate vos summa adhortamur, velitis necessitates vestras fidenter inspicere communesque inimicos contra et animose intueri : deliberantibus vobis atque agentibus, nec illis providentia deerit, neque istis repugnatis. Haec autem creare patriae vestrae commoda nunquam aliter licebit quam concordia atque unitate duce. Concordes propterea ac iuncti ut in exemplum vos sitis, vehementissime cupimus, illudque per vos universo orbi Austria commonstret, ubi catholici disserunt, ibi unum cor unamque existere animam. Quamobrem, ceteris posthabitis omnibus, quae forte privatim intersint, hoc unum persuasum alte habetote, prosperitatem vestram patriaeque tunc solum iri comparatum, quum rei catholicae rationes reliquis anteponendas curaveritis. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, atque Episcopis ceterisque, qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 Septembris a. 1905, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

# EX SECRETARIA BREVIUM

**Sodales pii Operis a " Praeservatione Fidei „ pluribus indulgentiis ac privilegiis ditantur.**

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Opus a *Praeservatione Fidei,* optimo et peropportuno consilio Nostri decessoris incliti institutum, quam valde Nobis cordi sit, nihil attinet dicere. Etenim, quum eo pertineat, ut populum romanum praestet ab haereticae pravitatis contagione liberum, rem persequitur eiusmodi, quae vigilantiae studioque Pontificis Maximi proposita esse in primis debeat. Nequit similiter dubitari quin hoc ipsum provehere ac sospitare opus catholicos omnes deceat. Profecto quisquis catholicum digne nomen gerit, commoveatur necesse est hoc maximo acerrimoque bello quod adversum christianam sapientiam ideoque contra Pontificem Romanum, utpote summum traditae a Christo veritatis custodem, ardet. Iam hic de ipsa sacra potestate Pontificis agitur; quam quidem acatholicarum coniurati asseclae sectarum funditus evertere non dissimulanter contendunt. Iamvero nihil volunt studentve aliud Novatores, summe hi quidem inter se haeresum varietate discordes, in hoc autem uno coniunctissimi, ut Beati Petri Cathedram impugnent. Itaque iamdudum, Romae multo magis quam usquam alibi, postquam scilicet in Urbe catholici orbis principe veritati et errori promiscua sunt publice attributa iura, nituntur, quibus valent opibus, pravisque omne genus artibus, imperitos praesertim egentesque capere: confisi, se posse aliquando in ipso Ecclesiae centro labefactare Pontificis auctoritatem, quo deinceps usquequaque facilius ipsa concidat. Utique haec sunt, Dei beneficio, vota peritura; siquidem *portae inferi* adversus Ecclesiam, quae in Petro et suc-

cessoribus eius fundata est, Sponsore Christo, *non praevalebunt.* Sed tamen haud frustra inimicorum fidei est opera, quod ad perniciem spectat animarum. Quod si dolori Nobis est, quempiam a fide sancta deficere, multo est magis paene in conspectu Nostro id fieri, praesertim quia non sine gravi multorum offensione fit. Quotquot igitur cum proximorum salute honorem Ecclesiae communis omnium parentis diligunt, et Iesu Christi Vicarium colunt atque observant, consentaneum est velle Operi, de quo loquimur, adiumenti aliquid afferre. Equidem novimus in hac re neque studium, nec largitatem usque adhuc nostrorum defuisse ; fructusque gratulamur extitisse his paucis annis non exiguos. Verum quia multum etiam conandum restat, ut par sit necessitati remedium, idcirco bonorum magis excitari atque inflammari studia intelligimus oportere ; eiusque rei gratia caelestes Ecclesiae thesauros, quorum penes Nos dispensatio est, libentissime reseramus. —• Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu, qui tam frugifero pio Operi nomen suum dederint, die prima eorum adscriptionis vel alio quolibet die intra mensem proximum, ad cuiusque lubitum eligendo, si admissorum confessione rite expiati, quovis in templo sive publico Oratorio ad sacram synaxim accedant, et addita salutatione angelica, quocumque idiomate dummodo versio fidelis sit, piam hanc precem devote recitent : *O Maria Immaculata, vosque Apostolorum Principes in vera nos fide retinete :* indulgentiam plenariam ; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis eodem in pio Opere sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti quatenus id agere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, ac tanquam peccati stipendium mortem susceperint, etiam plenariam ; tandem iisdem nunc et in posterum pariter ipsum

in Opus rite adlectis sodalibus, qui item sacramentali admissorum confessione expiati atque angelorum pane refecti, quotannis diebus: VIII mensis Decembris festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, Operis patronae caelestis; XXIX Iunii festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, item patronorum Operis; VI Ianuarii, in Epiphania Domini; XIX Martii festo S. Ioseph B. M. V. Sponsi ; XXVI Maii festo S. Philippi Nerii ; ac XXIX Septembris quo festum agitur S. Michaelis Archangeli, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, et similiter in utroque festo septem dolorum B. M. V. ab ortu usque ad solis occasum dierum ipsorum, templum aliquod publicumve sacellum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ad Deum preces effundant, et orationem de qua supra habita mentio est, ad veram fidem retinendam, salutatione angelica praemissa, recitent, quo ex praefatis die id agant, similiter plenariam admissorum omnium indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper iisdem sodalibus dicti pii Operis nunc et in posterum existentibus, quoties conventibus aut communibus Sodalitii aut privatis Comitatus interfuerint, dummodo contrito saltem corde ibi recitent supra memoratam precem cum salutatione angelica, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas ; quoties autem pro fidei praeservatione aut eamdem precem cum salutatione angelica recitent, aut iuxta Sodalitii tabulas pietatis quodvis sive caritatis opus exerceant, toties de poenalium similiter dierum numero in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus. Porro largimur sociis ipsis, si malint, licere plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functorum vita labes poenasque expiare. — Sacerdotibus autem qui eiusdem fuerint Operis nunc et in posterum participes illud concedimus, ut quandocumque sacrosanctum

Missae sacrificium pro animabus christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare celebrabunt, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae sive animabus pro qua vel quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare peractum, dummodo tamen alio simili indulto non fruantur. — Sacerdotibus vero qui sint, vel in posterum erunt de sodalium *zelatorum* numero, haec quae infra scripta sunt privilegia tribuimus, modo tamen a suo quisque Ordinario, et bene de Opere meriti reapse habiti sint, et licentiam in scriptis acceperint, quae quidem si desit, horum privilegiorum concessionem nullam esse volumus. His igitur damus et concedimus:

I. Ut, si tamen sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite adprobati, possint ex ritu praescripto, privatim extra Urbem benedicere Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias et parvas Domini nostri Iesu Christi, Bmae Virginis Mariae, Sanctorumque ex metallo statuas, cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quae in elencho, typis edito S. Congregationis de Propaganda fide die xxviii Augusti anno MDCCCCIII, continentur, et quod ad coronas precatorias attinet, non excepta indulgentiarum applicatione quae a S. Birgitta nomen habent.

II. Ut, si pariter sint confessarii ab Ordinario adprobati, consueto ritu benedicere et fidelibus imponere possint scapularia Confraternitatum SSmae Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, et Immaculatae Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, atque etiam scapulare Mariae Salutiferae, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent, dummodo vero scapularia confecta sint ad normam a Sancta Sede probatam, et iis tantum in locis, ubi non extent domus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali concessione Sedis Apostolicae pertinet dicta scapularia benedicere et imponere.

III. Ut christifidelibus, in mortis instantis discrimine versantibus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti, aut si id facere nequiverint saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, benedictionem Apostolicam Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione impertire possint, servatis tamen ritu et formula a f. r. Benedicto PP. XIV decessore Nostro praescriptis.

Haec ad incrementum saluberrimi Instituti valere posse confidimus, quod ipsum de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus et declaramus esse in suo genere primarium. Propterea dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Consilium seu Commissionem Operis constituunt, potestatem iam ipsis a Nobis adtributam confirmamus similia ex toto orbe Instituta eidem primario Operi, cum communicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quae sint communicabilia, aggregandi; servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII praedecessoris Nostri f. r. aliisque Apostolicis ordinationibus desuper editis. Non obstantibus constitutione Apostolica de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die i Novembris festo Sanctorum Omnium anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri tertio.

L. % S. A. Card. MACCHI

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### AGENNEN.

SOLUTIONIS

**Curia Agennen. eximitur a solutione debiti ab alio contracti.**

**Compendium facti.** Rmus Fonteneau, dum Agennensem dioecesim regeret, debitum libellarum 62.000 pro novae ecclesiae S. Cordis Iesu cum schola aedificatione ac pro se suaque familia contraxit, atque eiusdem summae loco syngraphas ab ipso subscriptas in arca dioecesana Agennen. substituit. Vacata deinde a. 1885 dioecesi Agennensi per translationem Episcopi Fonteneau ad Albiensem Archidioecesim, ad illam promotus fuit Rmus Cceuret - Varin qui, statim ac praefatas syngraphas in sua arca dioecesana invenerit, de re certiorem fecit Archiepiscopum Fonteneau, qui per quatuor Status schedulas proprium debitum extinxit.

Interea a. 1899 Archiepiscopo Albiensi e vivis erepto, eius successor Rmus Mignot rescivit in arca Associationis presbyterorum pauperum Albiensium, civiliter tantum erectae, non inveniri quasdam Status schedulas, earumque vice chirographum defuncti Archiepiscopi adesse, quo ipse, consentiente Can. Puel eiusdem Associationis thesaurario sed irrequisita Commissione administrativa, fidem suam pro summa libell. 65.000 obligavit, et hoc modo suum debitum cum dioecesana arca Agennensi contractum solvit. Postquam vero haec omnia et ipsa Associatio cognovit, quum suum creditum ab haeredibus defunctorum Archiepiscopi et arcarii utpote insolvibilibus exigere nequiret, ad H. S. C. recursum obtulit, petens ut Curia Agennen. sibi restituere cogeretur dictas Status schedulas, vel saltem aequipollentem summam, quas indebite et fraudulenter ab Archiepiscopo Fonteneau ipsa accepit.

**Allegationes Associationis.** Eiusdem advocatus tan-

quam fundamentum suae ratiocinationis duas ponit facti circumstantias, videlicet tum schedularum Status traditionem Curiae Agennensi quin prius in pecuniam illae converterentur, ut ipsa Curia admittit, tum syngrapham debiti ab Archiepiscopo Fonteneau confectam, quae schedularum amissioni ex parte Associationis respondet, quemadmodum constat ex eo quod dicta debiti declaratio facta fuit eadem die traditionis schedularum Curiae Agennensi, ac perfecte aequivalet illarum valori. Igitur syngrapha debiti et subductio schedularum inter se necessario connectuntur, et illae schedulae ab arca Associationis ad Curiam Agennen. directe transierunt.

Hisce positis patronus contendit substitutionem syngraphae debiti in locum schedularum Status earumque cessionem fuisse actum iuridice nullum et fortasse etiam dolosum. Deest enim consensum mutuantis seu Associationis, quae imo schedularum cessionem prorsus ignoravit. Archiepiscopus Albiensis vero sciebat schedulas in casu accepisse absque domini consensu et cum dubitatione imo, iudicando in foro externo, cum voluntate non amplius restituendi. Schedulae igitur tamquam res furtivae adiudicandae sunt, quum res furtiva latissimo sensu accipiatur pro re qualibet, quam citra domini voluntatem quis, alienam sciens, contrectaverit seu alienaverit. Hinc Associatio, utpote re propria expoliata, illam ubique repetere valet, quin debitor se' reficere possit pretio soluto seu, ut habet D Annibale *(Summ, theol, mor., part. 2, n. 234),* « si rem emerat, non repetit quanti emit ». Quapropter Curia Agennen. tenetur ad restitutionem schedularum, quae in casu res alienae sunt, quin inspiciatur, veluti tradit DAnnibale *(loc. cit., n. 232),* « a quo rem possideat, nec... utrum bona an mala fide ».

Quod affirmandum est, etiamsi Agennensis Curia pretium schedularum in operas pias erogaverit ; possessor enim tunc solum a restitutione liberatur, quando neque directe neque indirecte aliquod emolumentum traxerit; ait enim D'Annibale

*(loc. cit., n. 2ßß):* « Restitutio competit ab eo qui ex re aliena, v. g. a se distracta, consumpta factus est locupletior. Porro locupietior seu ditior ex re aliena factus is dicitur, qui ex ea aliquid lucri fecit, idest qui ex ea patrimonium suum auxit...; vel illud non diminuii, idest si ex re aliena erogavit, impendit quod alias de suo impensurus erogaturus fuisset ». Cfr. quoque Gury-Ballerini *(Comp, theol, mor., tom. I, n. 6jj)* et Scavini *(Theol, mor., lib. 2, n. jSp).* Iamvero Curia Agennen. pretium erogavit pro aedificatione ecclesiae S. Cordis Iesu, atque hoc est utile indirectum, quum ipsa non amplius impendit quod alias fuisset de suo impensura vel erogatura.

Sed praeterea advocatus sustinet Curiam Agennensem in dubia saltem fide extitisse, quia dubitare debuit de vitioso possessionis initio. Ipsa enim schedulas ab Archiepiscopo Fonteneau accepit, sciens modum habitualem illius immittendi manus in arca dioecesana necnon praxim operarum piarum convertendi pecunias in schedulas Status, atque sibi explicare nesciens ubinam tanta pecunia subito inventa sit; et tamen nullam inquisitionem fecit. Iamvero possessor dubiae fidei, iuxta Ballerini *(loc. cit., n. 652 et 654)* « serio inquirere tenetur, ut dubium deponat...; secus enim tractandus est ut possessor malae fidei, et obligandus est non solum ad rem domino reddendam sed etiam ad omnia damna ei resarcienda ». Igitur et Curia Agennen. tenetur non modo ad
o o
schedulas vel aequipollentern pecuniam reddendam, sed etiam ad damna Associationi resarcienda.

Ultimo patronus respondet quibusdam obiectionibus, denegans imprimis schedulas traditas fuisse ad extinguendum debitum stricte personale Archiepiscopi ; quia hic se obligavit non tantum ut persona sed ut Episcopus. Asserit deinde quod, quamvis procedi possit contra administratores Associationis actione personali, tamen haec non impedit actionem realem contra possessorem. Demum addit in casu locum non esse praescriptioni; sive quia deest bona fides; sive quia agitur

de rebus furtivis, quae nunquam praescribuntur ; sive quia non modo non habetur praescriptio quadragenaria, quae requireretur ut praescribi possit contra piam ecclesiasticorum Associationem, sed neque decennalis vel triennalis, quum ipsa computanda sit a die habitae notitiae subreptionis schedularum nempe a. 1899 post mortem Archiepiscopi Fonteneau.

**Allegationes Curiae.** Advocatus e contra Curiae Agennensis contendit hanc ad nihil teneri erga Associationem sacerdotum pauperum dioecesis Albiensis. Cumque patronus partis adversae orationem suam in duobus suppositis fundet, in fraude nempe Archiepiscopi Fonteneau necnon in dubia saltem fide Curiae Agennensis, orator utrumque reiicit.

Quoad primum asserit omnia ab adversariis prolata, praeter declarationem debiti ab eodem Archiepiscopo confectam, nonnisi suppositiones et inductiones esse ; idque confirmat pluribus adductis testibus, qui negant Archiepiscopum Fonteneau in diocesi Agennen. fuisse aeris alieni onustum, ipsumque incapacem contrahendi aliquod mutuum et in impossibilitate constitutum illud restituendi, quinimo fatentur eum pium, irreprehensibilem et gloriae Dei zelatorem, eiusque privatam vitam exemplarem et modestam fuisse. Fraus et dolus praeterea etiam ex eo excluditur quod ipse declarationem arcario Associationis reliquerat, qua summam libell. 65.000 quotannis gradatim una cum foenoribus solvere sese obligabat.

Quoad secundum advocatus observat quod, posita perfecta bona fide ex parte Archiepiscopi in schedulis Status subtrahendis, nulla adest ratio cur eadem bona fides non admittatur etiam ex parte Curiae Agennensis in illis accipiendis, adeoque valet principium : « Possessor bonae fidei ille est, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam ». Curia enim Agennensis non immerito credidit Archiepiscopum summam ab aliquo amico accepisse ; nec ex alia parte ab eodem exquirere tenebatur originem illarum schedularum, eo vel magis quod Episcopi sunt omnium ope-

rarum piarum administratores nati. Unde in casu verificatur id quod tradit De Angelis *(Prael. iur. can., tom. ult., lib. 2, tit. 26, § 3, pag. i c/6):* « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit tradentem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet erret in facto ». Cfr. De Luca *(De donat., disc. j<8, n. 12).*

Concludit igitur orator Curiam Agennensem nullimode teneri ad praedictam summam tradendam, sive quia non aliud accepit nisi quod ei debitum erat, sive quia illud bona fide accepit, sive quia absque ullo emolumento illud consumpsit in aedificatione ecclesiae S. Cordis Iesu, sive quia contra Associationem stat praescriptio. In casu enim locum habet axioma quod : « Possessor bonae fidei ad nihil prorsus tenetur si, durante bona fide, rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, modo ditior inde non evaserit ». Et quoad praescriptionem De Angelis *(loc. cit., §6)* ait quod « ad res mobiles refertur numerata pecunia.... ; res autem mobiles cum titulo et bona fide praescribuntur per triennium»; in casu autem pacifica plus quam 14 annorum possessio habetur.

**Dubia.** I. *Se la Cassa dei preti poveri di Alby può rivendicare dalla Curia di Agen una somma di lire 62.000 ricevute dall' Arcivescovo Fonteneau in soddisfazione di un suo debito, 0 piuttosto debba rivendicarla dagli eredi dell' Arcivescovo defunto 0 dagli amministratori della Cassa stessa.*

II. *Se la Cassa dei preti poveri di Alby possa, oltre il capitale, rivendicare gl'interessi per le annate nelle quali non furono soddisfatti.*

**Resolutio.** S. C. Episcoporum et Regularium reformatis dubiis hoc modo : *Se la Curia di Agen sia in obbligo di pagare alla Cassa dei preti poveri di Alby la somma di L. 62.000 nel caso?* (1), die 5 Maii 1905 respondendum censuit : *Negative.*

**(i)** *An Curia Agennen. solvere teneatur arcae presbyterorum pauperum dioecesis Albiensis summam lib U. 02.000 in casu? (V. R.).*

**Colliges.** i°. Validus dici nequit contractus nisi constet de consensu utriusque contrahentis legitime praestito.

2°. Dubia vel mala fides praesumi non debet sed evidenter probanda est.

**3°.** Mala fides non censetur in eo adesse qui. rem alienas mutuo accipiens, restituere eam vult et potest.

4°. Possessor dubiae fidei non censetur qui seriam rationem de re alterius dubitandi non habet.

5°. Bonae fidei possessor a restitutione rei alienae liberatur, si ex ea neque directe neque indirecte aliquod emolumentum traxerit, seu ditior factus non sit.

6°. In themate tam acceptio schedularum Status ab Archiepiscopo Fonteneau peracta quam earumdem cessio Curiae Agennensi facta uti invalida est habenda, defuit enim consensus Associationis inter sacerdotes pauperes Albienses.

**7°.** At nullimode constat sive de mala fide praefati Archiepiscopi sive de dubia saltem fide Curiae Agennensis.

**8°.** Denique Curia Agennen. ab omni restitutionis onere liberatur erga dictam Associationem ecclesiasticam, quia acceptam pecuniam consumpsit, quin ullum ex ea reportaverit lucrum.

---

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## DE POUSO ALEGRE

### DUBIORUM CIRCA ORATORIA PRIVATA

**Suspensionis poena inflicta contra sacerdotes Brasiiienses sine Apostolico indulto in oratoriis privatis celebrantes non amplius viget.**

**Supplices Preces.** Archiepiscopus Rochus Cocchia, Internuntius in Brasilia, Uteris circularibus diei 14 Septembris 1886 celebrationem interdixit in oratoriis privatis, sub

poena sospensionis *ipso facto* incurrendae et sibi reservatae, iis sacerdotibus qui tali indulto non fruerentur. Die autem 14 Maii 1904 Episcopus de Pouso Alegre sequentia dubia proposuit, quae a S. C. de Propaganda Fide ad hanc S. Congregationem remissa fuere :

I. *An adhuc vigeat suspensio, ab Internuntio Brasiliensi anno 1886 inflicta sibique reservata, contra sacerdotes absque Apostolico indulto celebrantes in privatis oratoriis?*

II. Et quatenus affirmative : *Utrum conveniens sit eam abrogare vel saltem relaxare?*

III. *Dictufh Internuntii decretum coarctatne facultatem Episcopis a S. C. C. die 23 Ianuarii 1847 concessam, Missam nempe permittendi in oratoriis privatis per modum actus transeuntis, ita ut v. g. Ordinario licitum non sit eam permittere, ne causa quidem ministrandi Viaticum morti proximis?*

IV. *Data hac Internuntii prohibitione•, an sacerdos unquam possit in peculiaribus adiunctis de difficili ad Ordinarium recursu, celebrare in oratorio privato, quin incurrat suspensionis poenam?*

**Disceptatio Synoptica.** Quoad primum dubium observari posse videtur praefatum interdictum adhuc in suo robore permanere. Quamvis enim ex hodiernis moribus, quidquid sit de iure scripto, potestas Legatorum sive a latere sive simpliciter talium, v. g. Nuntiorum, Internuntiorum praecipue aestimari debeat ex litteris, per quas in munere ii constituuntur, firmum tamen omnino est eos a Romano Pontifice in aliquam provinciam mitti, recensita negotia administrandi cum potestate ordinaria. Cuius proinde vi Legati a latere et Nuntii Apostolici statuta perpetua condere valent, iuxta *caput io, tit. ßo, lib. i Decretalium* ita se habens : « Nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicae statuta, edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi ». Hinc

Ferraris *(Bibl. can., v.* Lex, *art. i, n. 32)* ait: « Legatus Pontificis potest leges ecclesiasticas ferre intra fines suae legationis »; et *(loc. cit., v.* Legatus, *n. f i)* tradit quod « Legati Papae statuta durant etiam finita legatione ». Hoc autem inniti videtur eo iuris principio quia, ut ait citatus auctor *(loc. cit., v.* Lex, *n. ij),* « Lex quantum est de sui natura, nisi postmodum legitime revocetur, obligat in perpetuum..., cum ea quae ad ius pertinent, perpetua esse debeant; *leg.* Falso, *Cod., de diversis rescriptis* ». Ulterius hoc confirmatur ex *Observationibus* Card. Iacobini a Secretis Status S. Sedis ad Nuntium Apostolicum Hispaniarum transmissis, in quibus declaratur Nuntios Apostolicos, tamquam Delegatos et Vicesgerentes Summi Pontificis, non solum diplomaticam sed etiam auctoritativam missionem habere in fideles et Episcopos, eorumque acta per se esse perpetua (i).

Ex altera vero parte animadverti posset quod sicut morte Episcopi cessant statuta ab eodem extra Synodum facta et per simplex edictum promulgata, iuxta ea quae tenent nonnulli doctores, ut Bertacchini *(tract, de Episc, part. 2, lib. 4),* Sperelli *(Decis, fori eccles., dec. 14),* et Barbosa *(De offic, et potest. Episc, part. 3, alleg. 93)* inde inferentes per Episcopi obitum cessare casuum reservationem nisi facta fuerit in Synodo ; idem videretur dici posse de statutis factis ab Internuntio Apostolico, eius iurisdictione cessante per factam ipsius revocationem a Papa. Quae sententia in casu etiam suas vires acquirit ex eo quod Internuntii successores dictum interdictum non confirmarunt ; quod profecto portendit finem legis iam cessasse seu abusus, ad quos reprimendos illud latum fuerat, de medio prorsus ablatos fuisse.

Deinde quoad secundum dubium haec videntur posse reponi. Quamvis ex Episcopi expositis nullatenus cognitus sit memorati decreti tenor, ac proinde nec circumstantia ipsa,

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 17, pag. 561 — 3Gq.

qua illud editum fuit, nihilominus, cum ex communibus contingentibus praesumi liceat eam legem ad tollendos abusus, circa celebrationem Missarum in oratoriis privatis irrepentes, prolatam fuisse, hinc dici posset, si de medio iidem hodie plene ablati sint, non videri curnam haud deveniendum sit ad sanctionem illam poenalem abrogandam vel saltem mitigandam; praeterquamquod circumstantiae temporum vel locorum aliud hodie omnino expostulent atque suadeant. Equidem factum quod Internuntii successores illud decretum non renovarunt, vel illi non institerunt, praesumptionem infert, quod eius applicatio non est amplius necessaria, vel quod illud in desuetudinem abiit.

Quoad tertium et quartum dubium haec recoli possunt. Ante Conc. Tridentinum Episcopi ordinaria et amplissima facultate gaudebant permittendi celebrationem Missae in oratoriis privatis, et hanc dabant nedum per modum actus, sed etiam per modum habitus seu indefinite et in perpetuum. Verum haec facultas a Conc. Trid. *(Sess. 22, de observ. in celeb. Missae)* adempia eis fuit. Insuper haec Concilii dispositio a. 1615 confirmata fuit per literas eiusdem S. C. ad omnes Episcopos datas iussu Pauli V, ubi haec leguntur: « Illmi Patres, SSmi D. N. iussu, significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Romano Pontifici esse reservatam ». Cfr. Benedictus XIV *(De sacri/. Missae, lib. i, cap. i, n. I i , et lib. ß, cap. 6, n. i et 2),* Many *(Prael. de locis sacris, n. So).*

Hisce tamen non obstantibus plures et magnae notae doctores sustinent non totaliter ademptam fuisse Episcopis antiquam facultatem, sed eis relictam esse potestatem *ex gravi causa* et tantum *per modum actus* concedendi privatum oratorium. Hanc sententiam tuentur Barbosa, Suarez, Schmalzgrueber, S. Alphonsus et alii, uti videre est apud Many *(loc. cit.),* et quorum rationes refert. Sed quod magis est,

haec sententia roboratur recenti resolutione H. S. C. in una *Calatayeronen.* diei 7 Iulii 1855 et 20 Dec. 1856. In hac causa cum quaereretur: « An Episcopus possit, iusta interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu », re maturius et longius discussa propositisque doctorum supra allegatorum testimoniis, respondit S. Congregatio : « *Negative,* nisi tamen magnae et urgentes adsint causae et per modum actus tantum ». Et ad hanc forsan Episcopus orator sese refert in tertio proposito dubio ; quum inibi citata decisio nempe *Monaslerien.* ei prorsus contraria sit, eaque postea per subsequentem supra relatam resolutionem temperata fuerit.

Hae autem magnae et urgentes causae theoretice determinari non possunt et pendent a circumstantiis, quae vel ex regione, vel tempore, vel provincia desumuntur; ut habet Gattico *(De Orat. dornest., cap. ij, n. io);* Cfr. etiam Many *(loc. cit., n. 82).* Quapropter responderi posse videtur, quod, etiamsi enunciatum interdictum Apostolici Internuntii adhuc in robore persistat, casus concessionis oratorii privati per modum actus transeuntis inibi non comprehendatur, dummodo tamen de eo non fuerit facta expressa mentio. Ratio est quia interdictum est restrictio antiquae nativae facultatis episcopalis, postea per Trid. Conc. moderatae; hinc applicanda est interpretatio restrictiva et non extensiva.

Item quoad quartum dubium eius solutio pariter pendet a responso dando ad primum dubium. Interim notandum est quod nulla unquam succurrere potest speciosa ratio, vi cuius sacerdoti liceat marte proprio domesticum erigere oratorium, ut inibi Missam celebret. Quo vero ad suspensionis poenam incurrendam pro hac arbitraria oratorii erectione, in casu res pendet a perduratione, vel non, praefatae prohibitionis Internuntii Brasiliensis.

Proposita igitur quaestione in plenariis comitiis diei 25 Februarii 1905 haec S. Congregatio respondere censuit: *Dilata.*

Interim vero scribi mandavit Internuntio Apostolico Brasiliensi « ut exemplar decreti Internuntii Cocchia transmitteret, atque, Nuntiaturae archiviis examinatis desumptisque necessariis ac congruis informationibus, referret, an dici possit Rmum Cocchia facultates tanquam Internuntium acceptas in praefato decreto edendo praetergressum fuisse, et quaenam fuerint motiva eiusdem condendi decreti, an nempe graves et extensi abusus fuerint in casu. Referat demum an huiusmodi decretum nunc in desuetudinem desierit, aut adhuc observetur, et an congruum sit illud in vigore servandi ».

Litterae autem circulares praedefuncti Internuntii Cocchia ad Episcopos Brasilienses, prout eas remisit actualis Internuntius Apostolicus, sunt sequentis tenoris: *«Omissis etc...* Alterum est incommodum sive abusus, qui in aliquot dioeceses irrepsit, Missam scilicet ubique celebrandi etiam in privatorum domibus. Quidam enim parochi non solum hanc inter suas ordinarias facultates numerandam esse arbitrantur, sed aliis etiam sacerdotibus permittunt ut, sub tectis modo huius modo illius familiae solo plerumque moti lucro, Sacrum faciant. Gravis profecto abusus hic est, nullo fundamento, ne tolerantiae quidem innixus, quem S. Sedes semper condemnavit nostrique praedecessores diversis temporibus reclamantes tollere conati sunt. Ut autem penitus evellatur, declaramus: praeter ecclesias oratoriaque publica, praeter oratoria privata vel S. Sedis vel Internuntii Apostolici auctoritate rite erecta, praeter facultates particulares quas Ordinarii poterunt parocho vel cuilibet certo sacerdoti concedere *toties quoties*, ut altaria ad tempus constituenda, publica tamen, occasione visitationis vel missionis peragendae, hoc vel illo loco a parochiali ecclesia remoto erigant; omnes qui extra praedicta loca vel in privatorum domibus, etsi parochi munere fungantur, Missam celebrent, incurrere in poenam suspensionis a Missae celebratione Apostolici Internuntii auctoritati reservatam.... ».

Praeterea litterae informativae hodierni Internuntii Apostolici Brasiliensis ad haec reducuntur: « Poena suspensionis inflicta fuit in illos tantum sacerdotes, qui absque legitima auctorizatione et sine gravi motivo, sed ad libitum et propter fines profanos Missam in oratoriis privatis celebrabant. Non constat an Rmus Cocchia specialem a S. Sede facultatem obtinuerit ad hanc suspensionis poenam comminandam, quae tamen suum sortita est effectum, quum praedictus abusus, tunc temporis frequentissimus, pedetentim cessaverit. Circularem ipsam diversimode et aliquando minus recte interpretati sunt Praesules Brasiliani ob adnexam suspensionis poenam, quam nunc desiisse generatim retinent. Ipse Rmus Spolverini successor Rmi Cocchia, quamvis instructionem hac de re die 13 Februarii 1888 a S. Sede petierit, non constat ullam habuisse responsionem, quinimo in suis litteris declarant dictam Circularem cum adnexa suspensione non amplius vigere. Caeterum hodie causae sufficientes non existunt pro censura ipsa in suo robore servanda ».

**Responsum.** S. C. Concilii, hisce omnibus rationum momentis sedulo perpensis, die 29 Iulii 1905 rescripsit:

*Ad I. Negative, firmis tamen in reliquo dispositionibus contentis in prefatis litteris ad tramitem iuris communis, et onerata super eorum observantia, omnium ad quos spectat, conscientia ; et in reliquis provisum in primo.*

**Colliges.** i°. Statuta a Legatis Apostolicis edita in vim suae potestatis ordinariae uti perpetua habenda sunt, ideoque durant etiam finita legatione, nisi expresse vel tacite revocata fuerint aut in desuetudinem abierint.

2°. Ex hodierna praxi Episcopi, magnis et urgentibus de causis, *per modum actus transeuntis* facultatem concedere valent celebrandi Missam in oratoriis privatis.

3°. Quaenam sint huiusmodi causae in abstracto determinari nequit, quum hoc pendeat a circumstantiis temporum, locorum et personarum.

**4°.** In casu declaratur poenam suspensionis ab Internuntio Apostolico Brasiliensi latam non amplius vigere ; attamen in pleno suo robore permanere eiusdem prohibitionem in oratoriis domesticis absque indulto celebrandi.

## MARIANNEN. IN BRASILIA

### SYNODI DIOECESANAE

**Conceditur indultum celebrandi Synodum dioecesanam absque solemnitatibus a iure praescriptis.**

**Supplices Preces.** Episcopus Mariannensis, attenta vastitate suae dioecesis, petit ut aliquoties absque pontificalibus solemnitatibus Synodum dioecesanam cogere ac celebrare possit, reservando eas quibusdam convocationibus longiori intervallo faciendis. Hae autem solemnitates inveniuntur praescriptae in Caeremoniali Episcoporum *(lib. I, cap. 31)* et in Pontificali Romano *(part. 3, Ordo ad Synodum)*, respiciuntque tum praeviam Synodi indictionem, tum eius celebrationem, uti sunt solemnis annuntiatio futurae Synodi in die festo Epiphaniae, processio solemnis die prima Synodi, allocutiones ab Episcopo habendae et alia huiusmodi, prout etiam explicantur a Gavanto *(Praxis Synodi dioecesanae).*

**Disceptatio Synoptica.** In primis preces Episcopi reficiendae videntur, quia observantia praescriptarum solemnitatum tam in cogenda quam in celebranda Synodo dioecesana urgetur. Potius et melius posset Episcopus celebrationem Synodi differre, quam eam cogere et celebrare spretis solemnitatibus. Quin ex hoc adsit periculum incurrendi in censuram Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 2 de Reform.)*, in quo iubentur Ordinarii quotannis Synodum celebrare sub poenis a sacris canonibus statutis; hoc enim caput, ut ex contextu eruitur, tangit tantum Episcopos ignavos, non vero iusto impedimento detentos.

Ex altera vero parte animadverti potest inter doctores receptum esse quod Episcopus non tenetur Synodum cogere ac celebrare in ipsa civitate episcopali, sed valet eam in quolibet suae dioecesis loco cogere; Cfr. Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib. i, cap. j, n. 2).* Si itaque locus ordinarius convocationis Synodi, idest Cathedralis ecclesiae, censeatur ab Episcopo ut una ex solemnitatibus a iure praescriptis, patet hanc conditionem non esse ita praecisam et strictam, ut ab ea derogare Episcopus non valeat, posita iusta causa ab eodem Episcopo aestimanda. Quo vero ad rituales solemnitates tum in convocatione tum in celebratione Synodi, profecto non desunt exempla apud H. S. C. talium derogationum. Ita Episcopo Baionensi die 16 Febr. 1889 facultas facta fuit ad decennium habendi conferentiam dioecesanam loco Synodi, cum potestate ut nomen ac vigorem Synodi indueret; quia ob vastitatem dioecesis vocare non poterat omnes de iure vocandos, ac praecipue parochos propter defectum sacerdotum. Eamdem facultatem obtinuit Archiepiscopus Mechliniensis a. 1872, et Episcopus Quinque Ecclesiarum die II Iunii 1860.

**Rescriptum.** S. Congr. Concilii, die 29 Iulii 1905, petitum indultum concessit rescribens:

*Pro gratia ad decennium, ad tramitem resolutionis in* Baionensi *diei 16 Februarii 188'p aliarumque similium* (1).

## GAUDISIEN.

### UNIONIS PAROECIAE ET ERECTIONIS COLLEGII

**Denegatur erectio Capituli Regularis Canonicorum Lateranensium ad honorem in ecclesia S. Georgii.**

Per decretum Episcopi Melevitani a paroeciali et collegiata matrice ecclesia sub titulo B. Mariae V. sideribus re-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 726.

ceptae in insula Gaudisiensi existenti, et serius a. 1864 ad Cathedralis honorem evecta, dismembratae fuerunt quatuor regiones seu ecclesiae propter earum distantiam ab archipresbyterali ecclesia, et in proprias respectivas paroecias fuerunt erectae. Ut autem damnum allatum praefatae ecclesiae matrici per huiusmodi dismembrationem compensaretur, in eodem decreto cautum est, ut contigua ecclesia paroecialis S. Georgii eidem Collegiatae et archipresbyterali ecclesiae uniretur, etiam ad iurgia et contentiones ex tali propinquitate devitandas. Decernitur enim : « Postquam praefata ecclesia paroecialis S. Georgii per cessum sive decessum actualis eius parochi, vel aliter quomodocumque et qualitercumque vacaverit ex nunc pro tunc eamdem parochialem S. Georgii, parochialitatis statu tamen prout in praesentiarum reperitur firmo semper remanente, eoque minime suppresso nec immutato, unico contextu eidem archipresbyteratui matricis ecclesiae unimus, sive verius subrogamus ac subiicimus curae, gubernio, rectoratui, regimini hodierni Rñdi archipresbyteri eiusque successorum in perpetuum et cunctis futuris temporibus.... ». Huiusmodi unio die 26 Maii 1689 etiam Apostolico beneplacito fuit munita.

Res ita processerunt usque ad an. 1895, quo vertente clerus paroeciae S. Georgii, praehabito consensu sui parochi archipresbyteri, coepit inire tractatus, ut in hac ecclesia institueretur Collegium honorarium Canonicorum Regularium Lateranensium. Verum, quamvis non deesset consensus praefati archipresbyteri, nec etiam Abbatis Generalis dictae Congregationis, qui iam declaraverat totum negotium remittere arbitrio S. Sedis, tamen clerus S. Georgii magnum obicem expertus est a Capitulo Cathedrali, quod contendebat id absque eius consensu effici non posse. Episcopus Gaudisiensis pro huiusmodi negotio expediendo duos deputavit viros, qui votum favorabile institutioni Collegii Canonicorum ad honorem emiserunt; hinc idem Episcopus die 13 Nov. 1901 de-

cretum erectionis edidit. At contra hoc rescriptum Canonici Cathedralis ad hanc S. C. provocarunt.

**Deductiones cleri S. Georgii.** Quoad primum propositum dubium advocatus probare satagit consensum Capituli Cathedralis non esse necessarium in electione novi Collegii in ecclesia S. Georgii facienda, ex eo quod haec ecclesia Cathedrali unita fuit unione aeque principali seu per exaequationem. Expendens imprimis decretum unionis ait notum esse in iure tunc unionem aeque principalem haberi cum duo beneficia vel ecclesiae ita uniuntur « ut ambae propriam naturam, qualitates et privilegia sua retineant, et neutra ecclesia alteri subiiciatur vel adhaereat, sed utraque proprios reditus habeat et titulum suum retineat sub eodem rectore, qui ecclesiae utrique praeficitur, et in utraque intitulatur ». Cfr. Schmalzgrueber *(Ius eccl,, lib. i, part. i, tit. 3, n. 136)* aliique ab eo citati. Atqui unio ecclesiae S. Georgii fit tantum in persona archipresbyteri *pro tempore* ut patet ex decreto unionis : « Minime tamen immutato neque suppresso eius statu parochialitatis, sed eo expresse praeservato et in suo robore relicto ». Si itaque unio fit tantum ratione personae, et beneficii status non immutatur, haec unio npn tituli extinctiva seu minus principalis sed aeque principalis dici debet.

Hoc autem eruere etiam nititur tum ex duplici unionis scopo, qui fuit dumtaxat tollere contentiones inter rectores utriusque ecclesiae, et compensare damnum allatum Collegiatae ob factam dismembrationem; tum ex eo quod pro dicta unione peragenda exquisitus tantum fuit consensus archipresbyteri et parochi S. Georgii. Sed quod magis determinat unionis naturam, pergit advocatus, sunt effectus exinde secuti iuxta tradita a Gonzalez *(ad Reg. 12 Cancell., glos. 3, § 2, n. 43 et 44).* Atqui ex unione ecclesiae S. Georgii tales promanant effectus qui nonnisi unioni aeque principali conveniunt. Sane post unionem ipsa retinet titulum paroeciae ; proprios ac distinctos habet reditus, qui ab archipresbytero

personaliter administrantur et non a canonicis Collegiatae, uti evenit de bonis archipresbyteratus una cum bonis massae communis Capituli ; suos parochiales fines distinctos conservat ac ante unionem, et proprios pariter retinet libros animarum. Plura alia deinde advocatus cumulat ad probandam perfectam autonomiam ecclesiae S. Georgii a Capitulo Collegiatae nunc Cathedralis ecclesiae.

E contra, ait advocatus, alii prorsus sunt effectus, quando locum habet unio minus principalis. Ecclesia unita appellatur ecclesia filialis, cessat in ea beneficii titulus, et consideratur ceu pars alterius cui accessorie est unita, uti tradit Santi *(Prael. can., lib. ß, tit. j, n. 92)* ; insuper beneficium unitum uti extinctum consideratur cum qualitates et naturam principalis assumat; item unione minus principali aufertur collatio beneficii et potestas illud conferendi; Schmalzgrueber *(loc. cit., n. Ißß et IJ4)',* De Luca *(De parocho, disc. 12, n. i ß )*. Unde apud auctores commune est nil magis repugnare unioni, quam suppositio collativi status. Sed haec omnia deficere ait in themate.

Caeterum, etiamsi aliquod dubium permanere possit circa naturam factae unionis advocatus propugnat, eam uti aeque principalem esse recognoscendam ; primo quia licet beneficiorum uniones in iure odiosae habeantur, tamen in dubio unio praesumitur facta aeque principaliter, quia minus est praeiudicialis, et id quoadusque contrarium probetur; Gonzalez *(ad Regni. 8 Cancell., glos. 6, §* 7, *n. 1^4)* et Schmalzgrueber *(loc. cit., n. 160);* secundo ecclesia S. Georgii per plus quam 215 annos independenter se gessit a Capitulo ecclesiae Collegiatae nunc Cathedralis.

Sed prosequitur patronus quod, data etiam et non concessa unione minus principali, non ideo sequitur pro erectione novi Collegii in ecclesia S. Georgii esse necessarium consensum Capituli Cathedralis. Capitulum enim fere nulla iura exercet super ipsam paroeciam Cathedralis. Sic parochus

archipresbyter neque a Capitulo eligitur, neque est eius Vicarius, sed fit praevio concursu et est inamovibilis; regit ipse paroeciam independenter a Capitulo neque eidem de paroeciae reditibus rationem reddere tenetur. A fortiori igitur idem Capitulum sua iura exercere non potest super ecclesiam S. Georgii, quae eidem unita est irrequisito Capituli consensu.

Demum, postquam advocatus nonnullis adversariorum difficultatibus occurrerit, quoad secundum dubium animadvertit huius solutionem circa valorem decreti episcopalis diei 13 Novembris 1901 pendere a primi dubii resolutione ; et cum probatum fuerit Capituli consensum in erectione Collegii non requiri; hinc, ait, non videtur fieri posse locus dubitandi, quod illud penitus sit sustinendum.

**Deductiones Capituli.** Patronus relate ad primum propositum dubium probare satagit unionem in casu esse minus principalem seu secundariam sive in iure sive in facto. Quoad ius enim hoc constare dicit ex verbis *unire, subrogare* et *subiicere,* quae in ipso unionis decreto leguntur, quaeque ostendunt dependentiam et subiectionem ecclesiae S. Georgii erga ecclesiam matricem, prout talis erat unio quatuor ecclesiarum dismembratarum et quibus subrogatur ecclesia S. Georgii. Haec autem subiectio et unio ecclesiae S. Georgii minime intelligenda est relate ad archipresbyterum personaliter et exclusive, sed relate ad archipresbyteratum seu ecclesiam matricem, quum archipresbyter ecclesiam S. Georgii habeat non ut privata persona sed prout est caput Collegii ; Pignatelli enim *(Cons. can., tom. p, cons. Ijo, n. ß)* docet: «Nec dicas quod cura animarum potius spectet ad archipresbyterum, vel ad aliam Dignitatem ; nam id recte procedit in illis ecclesiis in quibus presbyteri divina ministrantes non faciunt Collegium, secus vero in ecclesiis Collegiatis. In istis enim ecclesiis archipresbyter, Prior, sive Decanus, aliusve, est non uti parochus, sed uti caput Collegii ».

Idem desumit advocatus sive ex actis S. Visitationis a. 1685,

in qua innuitur diminutio dotis ecclesiae S. Georgii eiusdemque applicatio novis erectis paroeciis, quod non intelligeretur si unio esset tantum aeque principalis; sive ex publico instrumento diei 13 Ian. 1688, quo Capitulum matricis ecclesiae per archipresbyterum dismembrationi et unioni consentit, ac proinde etiam per ipsum consentit unioni ecclesiae S. Georgii ; sive ex absurdo, quia archipresbyter praeter curam archipresbyteratus ius haberet ad aliam paroeciam distinctam, ab archipresbyteratu diversam et a Capitulo independentem ; quod est contra Tridentinum prohibentem unionem parochiarum Collegiatis *(Sess. 24, c. 13 de Reform.);* sive demum ex eo quod pro collatione archipresbyteratus, utpote cum ecclesia S. Georgii uniti, unus adhibitus est concursus; secus enim alius concursus pro collatione ecclesiae S. Georgii habitus fuisset: « Non adhibendus concursus quando parochia unita est accessorie alicui canonicatui, vel Dignitati... secus vero si parochia unita sit aeque principaliter »; Leurenius *(For. benef, part. i, quaest. 206, n. j).*

Deinde patronus probare studet dictam unionem ut minus principalem in facto semper habitam fuisse, in medium afferens iuratum testimonium archipresbyteri matricis ecclesiae necnon Caeremoniarii episcopalis, qui talia deponunt facta ex quibus constare videtur ecclesiam matricem et ecclesiam S. Georgii constituere unam tantum paroeciam. Tandem suum assertum confirmat patronus ex ipso casu *(dativo),* qui in unionis decreto adhibitus est. Nam ut advertit Reclusius : «. Si Summus Pontifex vel Ordinarius usus fuerit hisce verbis : *ecclesia* A *et* B *unitas esse volumus,* tunc unio erit cumulativa seu aeque principalis... At e contrario si una ecclesia alteri ecclesiae unitur hisce aut similibus verbis: *ecclesiam* A *ecclesiae* B *in perpetuum unimus,* erit unio subiectiva, ut observat Rota coram Molina, *decis. j8j, n. 13 ».*

Difficultatibus deinde repulsis, quoad secundum dubium probare nititur advocatus decretum Episcopi diei 13 Nov. 1901

haud sustineri in casu, idque triplici ex capite, tum quia sine consensu Capituli, imo eo opponente et renuente prolatum, tum quia falso factorum et iuris supposito nititur, et insuper obreptitium et subreptitium est, tum denique quia pendente controversia super natura unionis editum.

**Dubia.** I. *An constet de unione aeque principali vel minus principali inter ecclesiam parochialem S. Georgii et ecclesiam parochialem et Cathedralem Gaudisiensem in casu.*

II. *An Decretum Episcopi Gaudisiensis diei iß Novembris ipoi sustineatur in casu.*

**Responsum.** S. Congregatio Concilii, post maturam deliberationem, die 29 Iulii 1905 rescribendum censuit:

*Ad I. et II. Attentis omnibtis, non esse locum erectioni Capituli Regularis Canonicorum Lateranensium ad honorem in ecclesia S. Georgii* (i).

## BARCINONEN.

### IURIUM PAROCHIALIUM

**Decernitur in casu primam funebrem Missam post obitum fieri aut in propria defuncti paroecia aut in Cathedrali.**

**Species facti.** Haec causa acta fuit in generalibus comitiis diei 27 Augusti 1904 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 527-538). Controversia vertebatur primo inter parochos civitatis Barcinonensis et Capitulum illius Cathedralis ecclesiae ob exercitium nonnullorum iurium parochialium, et secundo inter eosdem parochos atque rectores aliarum ecclesiarum minorum non parochialium et praesertim piae domus a charitate. Decisione autem edita, parochi beneficium novae audientiae expostularunt et obtinuerunt.

**Novae animadversiones.** Advocatus parochorum in primis evertere nititur duo praecipua argumenta, quibus Ca-

ii) Uti patet, S. Congregatio iudicium proferre noluit circa naturam unionis inter ecclesiam Cathedralem et ecclesiam S. Georgii *(N. R.).*

pitulum Cathedrale iura sua tuetur, nempe Constitutionem Gregorianam a. 1572 et factum possessionis. Quoad Constitutionem observat quod, quum ipsa neque in actis neque aliunde inveniatur, applicari posset principium : *quod non est in actis, non est in mundo;* eo vel magis quod iura Capituli ibidem enunciativo tantum modo memorantur, et notum est quod: « Enunciativae Apostolicae.... nullam constituunt probationem, praesertim ubi sunt ad partis supplicationem » ; Card. De Luca *(De benef., disc. **12**, n. 8),* Rota coram Remboldo in *Papien.-Fructuum* 21 Febr. 1622. Factum vero possessionis ex duplici capite impetere nititur patronus, sive nempe ex Concordato inter S. Sedem et Hispaniam a. 1851 inito, sive ex incommodis ab hoc privilegiato iurium exercitio profitentibus. Inefficacia consuetudinis in casu ob superventum Concordatum necnon praefata incommoda deducuntur ex iisdem fere, quamvis melius ac latius evolutis, rationibus, quae in prima causae propositione adductae fuerunt, quaeque proinde heic omittuntur.

Ex adverso patronus Canonicorum immoratur in ostendendo privilegia Capituli Barcinonensis non fuisse per Concordatum abrogata, et in refellendis praefatis incommodis, quae vel falsa vel saltem ampliata esse contendit.

Revera novae observationes sunt illae quae contra rectores ecclesiarum non parochialium, praesertim vero piae domus a charitate proponuntur. Nam patronus parochorum adnotat peculiarem vigere in Hispania legem civilem, vi cuius cadavera defunctorum vetantur in ecclesiam introduci, sed tantum benedicuntur aqua lustrali ante ecclesiae ianuam et mox ad coemeterium deferuntur. Ibidem praeterea receptum est ut funera non peragantur die depositionis, tertia, septima, vel trigesima, aut anniversaria, sed tantum die quo praescriptum rubricae seu ecclesiae permittat; hinc fit ut, facta prius inter parochum et defuncti haeredes vel propinquos de funere conventione, funus differatur ad secundam, tertiam, vel

quartam diem, vel etiam ad longius tempus a die obitus. Haec profecto funera sunt in locum illorum funerum, quae vel praesente cadavere, vel aliis praefixis diebus fiunt. Huiusmodi autem funera recenseri inter iura stricte parochialia probat advocatus auctoritate Pignatelli *(Cons. can., tom. 6, n. i p),* qui tradit: « Celebratio anniversarium confraternitatibus regulariter non permittitur, nisi dumtaxat in die commemorationis omnium defunctorum : non vero in tertia et trigesima die, quod proprie spectat ad parochum » ; et idem confirmat resolutione H. S. C. in *Galtellinoren.,* ubi ad dubium: « An eidem parocho competat ius celebrandi Missas praesente corpore et illas *dei termini,* et omnia emolumenta percipiendi », die 22 Iulii 1899 responsum fuit: « Affirmative ».

Aptans hanc doctrinam ad propositum casum advocatus contendit in memoratis ecclesiis ea. tantum funera peragi posse quae stricte parochialia non sunt. Sed in Hispania funera praesente cadavere non fiunt, sed tantum lustrationes aqua piaculari cadaverum ante ianuam, quae nec funera appellari, neque multo minus eorum locum tenere valent, cum fideles ob id nullam parocho tradant mercedem. Si itaque dilata funera quae appellantur solemniores exsequiae, et locum tenent funerum praesente cadavere, dici debent paroecialia, aequum profecto est ut ea a proprio parocho, non autem a rectoribus ecclesiarum non parochialium persolvantur.

**Dubium.** *An sit standum vel recedendum, a decisis in casu?*

**Responsum.** S. Congr. Concilii, re iterum ad trutinam revocata, die 29 Iulii 1905 rescribendum putavit:

*In decisis et amplius, et iuxta modum. Modus est ut in posterum prima funebris Missa post obitum fiat aut in propria defuncti paroecia aut in Cathedrali et, quatenus in alia ecclesia legitime celebretur, parocho proprio solvatur quarta funeraria* (i).

(i) Praesens resolutio, uti liquet, respicit dumtaxat Hispaniam, ubi speciales extant circumstantiae a lege civili inductae. In iure autem communi firma

# NICOSIEN.

## CONCURSUS

**Sustinetur validitas concursus, in quo adhibiti sunt duo Examinatores Pro-synodales et unus Synodalis, neque constat de mala ipsorum relatione.**

**Factispecies.** Vacata per titularis obitum paroecia oppidi Regalbuti, dioecesis Nicosiensis, die 9 Iulii 1904 habitus est concursus, cui duo tantum interfuerunt candidati, nempe

semper remanet regula generalis, vi cuius, persolutis primis funebribus etiam absque Missa exequiali *praesente cadavere,* in propria defuncti paroecia, exequialis Missa die depositionis, tertia, septima, trigesima et anniversaria in quibusvis ecclesiis etiam Regularium celebrari valet. Hoc enim eruitur ex resolutione S. C. EE. et RR. in una *Tusculana-Exemptionis ac iurium* diei i 3 Maii 1904 ad 4, necnon ex resolutione S. Congr. C. in prima propositione hodiernae causae *Barcinonen,* diei 24 Aug. 1904 ad 2; (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. *3y,* pag. 536 et 584). Item reposuit S. R. C in una *Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci* diei 13 Maii 1879 ad i, n. 3494, prouti videre est in *Actis S. Sedis,* vol. 3,, pag. 381-382. Nuper in lucem prodiere duo nova rescripta S. R. C. , sub titulo *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum,* quorum primum respicit diem tertiam, septimam et trigesimam, et ita se habet:

« Admodum Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae « Navarrensis in Hispania, ad quietem et tranquillitatem suorum Religiosorum « procurandam et ad omnem dubietatem de medio tollendam, de consensu sui « Rmi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium « pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum : *An liceat in ecclesiis « Regularium, permittente ritu, Officia et Missas de Requie celebrare diebus « 3,* 7 *et 3o a depositione, iuxta Rubricas Missalis Romani ? »*

« Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito « etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum esse cen- « suit: *Detur decretum 34ç4* Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci *« diei i3 Maii iSyg ad I.* Atque ita rescripsit, die 29 Novembris 1901 ».

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Secundum vero rescriptum dies anniversarius respiciens est sequentis tenoris :

« Admodum Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae « Navarrae in Hispania, accepto responso per decretum Sacrorum Rituum Con- ti gregationis datum die 29 Novembris 1901 super Officiis et Missis de Requie « permissis in ecclesiis Regularium diebus 3, 7 et 3o a depositione, iteratis pre-

Sac. Salvator Piemonte, frater praedefuncti parochi et eiusdem paroeciae Oeconomus spiritualis, necnon Sac. Ioseph Campione. A tribus accitis Examinatoribus, quorum unus Synodalis alii vero duo Pro-synodales erant, hic reprobatas, ille approbatus fuit, cui proinde beneficium ab Ordinario est collatum. Hoc aegre ferens Sac. Campione ad hanc S. C. contra malam Examinatorum relationem appellavit.

**Animadversiones appellantis.** Advocatus a Sac. Campione adlectus, praeter malam Examinatorum relationem, impetit etiam concursus validitatem ob non servatam formam a sacris canonibus praescriptam. Contendit ipse ex commixtione unius Examinatoris Synodalis cum duobus Pro-synodalibus concursum esse nullum. Nam vel Examinatores in postrema Synodo electi in numero saltem senario remanebant, et tunc cum eorum facultas non esset expirata, iure vetante, locus non erat indulto Apostolico deputandi Examinatores Pro-synodales; vel seni non remanebant, et tunc Episcopus facultatem ab H. S. C. obtinere poterat eos nominandi loco Synodalium, in ipsorum numero accensendo etiam illos quorum facultas erat expirata, sed hi Examinatores non uti Synodales erant retinendi sed ut Pro-synodales. Hanc doctrinam confirmari ait a Benedicto XIV *(De Syn. dioec, lib. 4, cap. y, n. 8-10)* (i).

« cibus eamdem S. Congregationem pro sequentis dubii declaratione humillime « exoravit, nimirum : *An praefatum responsum seu iudicium extendi possit etiam « ad dies anniversarius ?*

« Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito « etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Affirmative ex « identitate rationis iuxta* **Decretum generale** *3 y 53 datum die* **2** *Decembris* **1**8*qi.* « Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1902 ».

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ^( S. f D. Panici Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(i) Benedictus XIV in loco citato habet: « Quid autem fiet, si annus dabatur, et nova Synodus non celebretur? Certum est, statim ac effluxit annus ab ultima Synodo, cessare officium Examinatorum, qui intra eiusdem anni in-

Iamvero tempore concursus adhuc supererant sex Examinatores in postrema Synodo a. 1893 habita renunciati, et Episcopus, quamvis obtinuerit facultatem nominandi 12 Examinatores Pro-synodales de consensu Capituli, tamen in iisdem proponendis nullum ex superstitibus recensuit. Quare Ordinarius in dicto concursu Examinatoribus ex postrema Synodo superextantibus uti debebat, iuxta ea quae tradit Ferraris *(Bibl. can., v.* Examen, *n. 62),* nec ei fas erat recurrere ad H. S. C. pro obtinenda facultate novos deputandi loco Synodalium, quae non conceditur, nisi quando Episcopus exponit sex ex electis in postrema Synodo non amplius extare.

Quin ex adverso oggeratur hanc facultatem obtinere ideo necessarium fuisse, quia quum unus ex iis Cataniae domicilium fixisset, in dioecesi Nicosiensi de facto quinque tantum Examinatores remanserant. Hoc enim reiicit advocatus, utpote non legitimum ad statuendam superstitum Examinatorum expiratam facultatem, et consequentem necessitatem deputandi seu subrogandi Examinatores Pro-synodales, cum resolutio S. C. a Benedicto XIV relata taxative loquatur de decessu

**tervallum in demortuorum seu absentium locum forte fuerint ab Episcopo suffecta... Quoad alios porro non subrogatos sed in ultima Synodo electos, hoc censuit S. C. Concilii : quamdiu sex illorum superstites sunt, omnes perseverant in munere, et Episcopus in concursibus ad ecclesias parochiales illis uti poterit; sed si vel unus ex illis decesserit, ita ut ex electis in Synodo sex non remaneant, omnium officium expirat, et nullus adhiberi poterit in concursibus ad parochiales; neque post annum datum est Episcopo in demortui locum quemquam sufficere.,... Quapropter ut, elapso anno et non existentibus sex Examinatoribus in Synodo electis, institui valeat validum experimentum concurrentium ad vacantes ecclesias parochiales, necesse est ut Episcopus vel novam Synodum cogat vel facultatem petat a S. C. Concilii novos Examinatores extra Synodum deputandi.... Nec S. Congregatio facultatem, de qua loquimur, renuit unquam petentibus concedere; quoniam cum probe noverit, non facile esse Episcopis, singulis prorsus annis, suas Synodos cogere..., statim ac Episcopus eidem exponit, sex ex electis in postrema Synodo amplius non extare, potestatem ei facit novos eligendi, a maiori parte Capituli approbandos, quorum tamen officium duraturum decernit tantum ad annum; quo elapso iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in annum iisdem prorogai ».**

alterius ex sex Examinatoribus, quod longe differt a casu discessus a dioecesi. Caeterum in themate absentia unius Examinatoris non est in longinqua sed potius in finitima, quia civitas Cataniae est contermina dioecesi Nicosiensi. Cfr. etiam Ferraris *(loc. cit., n. 6ß)* et Giraldi *(Deparocho, p. 24, n. 60).*

Praeterea ait patronus, cum superstitum ex postrema Synodo facultas expiraverit, Episcopus et eos accensere potuerat inter Examinatores Pro-synodales; sed ad hoc faciendum erat necessarius Capituli consensus. E contra Episcopus novos quidem 12 Examinatores Pro-synodales cum consensu Capituli deputavit, sed inter hos non comprehendit, veteres Examinatores Synodales, quorum iam facultas erat expirata. Ergo hi nullam facultatem habent, non vi Synodi cum iam ab ea concessa expiraverit, non vi indulti ab Episcopo obtenu, cum inter novos Examinatores non fuerint recensiti.

Ex praemissis autem deducit fluere habitum concursum nullum esse, cum iuxta Reclusium *(De re paroec, lib. ß, n. jó)* et Giraldi *(loc. cit., n. ji)* concursus, factus vel coram uno ex tribus Examinatoribus non legitimo, nullitatis vitio inficiatur; et quaecumque inde secuta collatio vel possessio beneficii ceu nulla retinenda, etiam extante bona fide, ad ea quae tradit Pyrrhus Corradus *(Prax. benef., lib. ß, cap. ß, n. 24)* ob decretum irritans. In praesentiarum igitur quaevis hypothesis admittatur, semper eadem recurreret nullitas; nam in prima hypothesi Episcopus uti non potuisset Examinatoribus Pro-synodalibus tantum, Synodalibus existentibus, in secunda uti debuisset tantum tribus Examinatoribus Pro-synodalibus, et non uno Synodali et duobus Pro-synodalibus.

Deinde advocatus nullitatem concursus ex alio etiam capite deducit, nempe a mala relatione Examinatorum. Praemittit in genere idoneum ad ecclesiastica beneficia illum reputari , qui habet requisitas qualitates ad illa, et praecisius iuxta Wernz *(Ius Decr., tom. 2, n. ßop):* « ille in quo nulla qualitas vel ex natura officii ecclesiastici vel iure communi

vel iure speciali sive vi fundationis sive privilegii sive consuetudinis sive statuti requisita est ». Iam vero Examinatorum munus in expendendis actis concursus est tantum referre de idoneitate absoluta, non vero de maiori vel minori idoneitate unius concurrentis comparative ad alterum, cum id unice ad Episcopum spectet. Patet id tum ex Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.)* tum ex Const. Benedicti XIV *Cum illud* ita aientis : « Examinatores, postquam libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis..., parem ni forte maiorem solertiam adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis...; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant et idoneos Episcopo renuntient ».

In themate vero advocatus contendit Examinatores, si non quoad literam et formam, saltem quoad spiritum legem violasse. Et quoad idoneitatem in scientia notat hanc praesumptive deduci ex duplici laurea, qua Sac. Campione donatus fuit in philosophicis et theologicis disciplinis; quam praesumptionem ipse Episcopus admisit cum triduo ante concursum inter Examinatores Pro-synodales eum recensuit. Patronus praeterea sustinet Sac. Campione satis sufficienter respondisse propositis moralis theologiae quaestionibus, et probe docteque evolvisse assignatum Evangelii textum pro exaranda conciuncula. Addit suum clientem habere aetatem canonicam pro beneficio parochiali obtinendo, quum 26 aetatis annum agat; nec deficere tum experientia quae acquiritur in munere parochiali exercendo, tum illa quae ex aliis qualitatibus coalescit et prudentia audit. Et quamvis prima absolute non requiratur, quia iuxta *cap. 24 de elect. in 6* etiam clericus intra annum ordinandus ad paroeciam eligi potest, tamen ea destitutus non est Sac. Campione, qui a tribus annis inter Cooperatores paroeciae Regalbutensis erat adscriptus. Etiam prudentia habetur in Sac. Campione, quia ipse nedum de societate civili sed de ipsa ecclesia Regalbutensi est bene meritus.

Post haec advocatus nonnulla disceptatur de adversario Sac. Piemonte eum incusans de inferioritate scientiae, de non laudabili servitio praestito deque eius adversa valetudine. Concludit igitur urgens ut ab H. S. C. decernatur novum concursum esse faciendum, actis ad Apost. Datariam transmissis.

**Votum Consultoris.** Adlectus vir praemittit appellationem factam fuisse tantummodo a mala relatione Examinatorum, et nullum motum esse ab appellante dubium circa validitatem concursus. Neque in actis productis aliquid invenitur, quo nullitas solide probetur, dum ex adverso fatendum est probari ex iisdem actis adamussim observatas fuisse praescriptiones Conc. Tridentini *(Sess. 24, cap. 18 de Reform.),* S. Pii V Const. *In conferendis,* Instr. S. C. C. d. io Ian. 1721, et Benedicti XIV Const. *Cum illud.*

Insuper quia Examinatores iurare debuerunt sese, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus esse executuros, in eorumdem favorem est iudicandum, donec contrarium probetur. Iamvero si considerentur et expendantur scriptae solutiones trium casuum, Sac. Campione ad i casum *vix sufficienter,* ad 2 *insufficienter,* ad 3 *vix sufficienter* respondit; Sac. Piemonte autem, ad i casum *sufficienter,* ad 2 *sufficienter,* ad 3 *sufficienter* respondit. Conciuncula a Sac. Piemonte bene fuit confecta et accommodata textui ab Ordinario proposito; e contra a Sac. Campione, ratione habita textus propositi, vix sufficiens est, etsi sufficiens videatur ad ostendendam idoneitatem concionandi.

Hinc eruitur Sac. Campione debere praesto esse eximias qualitates morales, ut possit defectus doctrinae rite compensari, iuxta ea quae tradit Benedictus XIV Const. *Cum illud;* quibus e contra Sac. Campione, uti ex documentis ab ipso exhibitis, non ita instructus apparet ut magnam ecclesiam Regalbutensem rite administrare valeat.

Item ex elencho documentorum Sac. Piemonte nihil deducitur, quo probetur Examinatores defuisse muneri suo, imo

suspicio mali iudicii magis excluditur facto quod Episcopus dictum sacerdotem iam instituit Oeconomum curatum vacantis illius beneficii. Proinde egregius Consultor concludit: *Non constare de mala relatione Examinatorum.*

**Animadversiones ex officio.** Forma concursus in facta deputatione Examinatorum ab Episcopo Nicosiensi non videtur irregularis. Nam rescripti formula, qua H. S. C. Episcopis indulgere solet facultatem deputandi Examinatores Prosynodales, ita se habet: « Cum Episcopus N... facultatem expetierit aliquos ecclesiasticos viros deputandi, qui Examinatorum Synodalium locum ac vices tenerent, eo quod in praesenti Synodum convocare nequeat, SSmus Dnus Noster hisce S. C. C. litteris benigne indulget, ut Episcopus N... duodecim Examinatores pro N... dioecesi de consensu ipsius Cathedralis Capituli constituat, quibus uti possit perinde ac si in Synodo dioecesana essent electi; ita tamen ut si qui ex deputatis in ultima Synodo adhuc supersint, hi aliis a se nuncupandis accenseantur, eorumque omnium potestas post annum expiret, vel etiam prius si dioecesanam Synodum interim congregan contigerit ». Iamvero in hoc rescripto ne verbum quidem fit de senario numero, neque hucusque ullum documentum fuit exhibitum ad probandum tempore habiti concursus sex extitisse Examinatores Synodales. At quidquid sit, non videtur posse denegari quod obiectus senarius Examinatorum Synodalium numerus in casu moraliter non amplius existebat, eo quia unus ex iis in civitatem Cataniae domicilium transtulerat; quae absentia sufficiens censetur, quum impediat muneris exercitium in Examinatore, et de hoc iudicare tantum ad Episcopum pertineat, qui melius prae aliis suae dioecesis necessitates noscit.

Neque item consistere valet altera difficultas scilicet quod veteres Examinatores numerati non sunt inter 12 noviter electos, neque super illis Capituli consensus expetitus fuit. Hoc enim non requiritur ex tenore rescripti, sed tantum edicitur

ut veteres cumulantur cum noviter rite electis quemadmodum habetur etiam in antiquiori formula rescripti : « ita tamen ut si qui ex deputatis in ultima Synodo supersint iis etiam una cum a se electis *(Episcopus)* utatur». Non exigitur praeterea consensus Capituli pro veteribus Examinatoribus, cum perseverare censeatur consensus iam alias datus in ultima Synodo ; ad eamdem profecto rationem qua censetur idem permanere, cum Examinatoribus durante anno a celebratione Synodi reductis infra numerum senarium, Episcopus ex indulto Clementis VIII procedere valet ad subrogandos deficientes vel legitime impeditos Synodales Examinatores, et tantum super novis nuncupatis Examinatoribus Capituli consensum interpellat. Cfr. Benedictus XIV *(loc. cit., n. y);* Ferraris *(Bibl. can., v.* Concursus, *art. ß, n. 34).*

**Dubium.** *An constet de mala relatione Examinatorum in casu.*

**Decisio.** Emi Patres S. Congr. C., re sedulo discussa, die 29 Iulii 1905 rescribendum censuerunt:

*Confirmandam esse electionem ab Episcopo factam.*

**Colliges.** i°. Elapso anno a postrema Synodo nec amplius extantibus sex saltem Examinatoribus in eadem electis, Ordinarius ad validum concursum parochialem instituendum tenetur vel novam Synodum cogere vel indultum Apostolicum petere Examinatores Pro-synodales deputandi (i).

2°. Veteres Examinatores Synodales novo Capituli consensu non indigent, cum perseverare censeatur idem consensus in ,ultima Synodo pro ipsis datus.

3°. Non solum decessus sed etiam legitimum impedimen-

**(i) Non ideo tamen nullus dicendus est concursus posterius habitus ex eo quod, adhuc sex Examinatoribus Synodalibus in suo munere perseverantibus, Episcopus a S. Congr. Concilii expostulaverit facultatem iisdem no\os alios Examinatores accensendi ; nulla enim extat clausula, quae hunc casum irritet. Nam hoc tantum valet, ut habet Wernz** *(Ius Decret., tom. 2, n. 827 ad 7)* **« de illis conditionibus concursus, de quibus expresse et specialiter per clausulam irritantem nullitas concursus statuta est »** *(N. R.).*

tum exercendi munus sibi commissum causa sufficiens reputatur ad expiratam facultatem superstitum Examinatorum statuendam.

**4°.** In themate ex una parte senarius Examinatorum Synodalium numerus tempore petiti indulti non amplius moraliter extabat, ex altera vero parte minime constat de relatione substantialiter mala Examinatorum.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## DECLARATIONIS S. R. C. DECRETI N. 4023.

**Vicarius Capitularis Episcopo viciniori thronum aut baculum pastoralem concedere nequit.**

A Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutio expetita fuit, nimirum :

Utrum Vicarius Capitularis, quando aliquem Episcopum viciniorem invitat ad Missam et Vesperas ut pontificali ritu concelebret, possit illi concedere thronum aut saltem baculum pastoralem?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam suffragio Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondendum censuit:

*Negative* ad primam partem, prouti eruitur ex decreto generali n. 4023 d.d. 12 Iunii 1899 *Super iure Episcoporum dioecesanorum cedendi thronum alteri Episcopo.* Item *negative* ad secundam; nisi usus baculi requiratur ex Rubrica, uti in consecratione ecclesiarum (i).

Atque ita rescripsit. Die 4 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

**(i) Hanc quaestionem nuper praeoccupavit noster eximius Collaborator Doct. Petrus Piacenza ad eamdem conclusionem deveniens. Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 12.5-128 *(N. R.).*

## URGELLEN.

### Circa praecedentiam Tertii Ordinis in Processionibus.

Rifius Dnus Episcopus Urgellensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit ; nimirum:

Iuxta decretum S. R. C. 28 Maii 1886 n. 3664, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque alias laicas sodalitates.

Praeterea ex decreto S. C. EE. et RR. 6 Aprilis 1900 Emi Patres declarandum esse censuerunt : « Tertiarios S. Francisci, necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habere ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria cruce ac veste uniformi induti vulgo *sacco* ».

Iam vero in Hispania generatim nec Tertiarii nec alii confratres utuntur *sacco,* sed tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., iuxta cuiusdam Tertii Ordinis aut sodalitatis diversa statuta aut praxim.

His praemissis idem Rmus Episcopus expostulavit:

I. An cum nec Tertii Ordines nec confraternitates aut sodalitates *sacco* utantur, ius praecedentiae competat Tertiariis super quascumque sodalitates laicas?

II. An etiam tunc ius praecedentiae competat confraternitati SS. Sacramenti super alias sodalitates in Processionibus, in quibus defertur SSma Eucharistia, non autem super Tertios Ordines?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* in casu («); sed Tertiarii cuiusque Ordinis et confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem

**(i) Quia nempe in themate, nedum Tertiarii sed etiam confratres laici** *sacco* **non utuntur. Secus enim non incedentes cum** *sacco,* **nulla gaudent praecedentia in Processionibus. Cfr. Benedictus XIV** *(Inst. eccl. io5, n. 85),* **Bassi** *(De sodalitiis, quaest.* ***11,*** *n.* ***2)*** **aliique ab ipso citati** *(N. R.).*

integram vulgo *saccum* in Processionibus ex antiquo et laudabili Ecclesiae more velint assumere.

Ad II. *Affirmative;* reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis (i).

Atque ita rescripsit, die io Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «!• **S.** f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## DUBIORUM

**Circa sacra paramenta in Missis defunctorum et circa pailam calicis.**

I. Quum in Caeremoniali Episcoporum lib. 11, cap. xi, n. i legatur: «Omnia paramenta, tam altaris, quam celebrantis, et ministrorum, librorum, et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum, vel cruces albae ponantur », quaeritur : An in dictis paramentis repraesentari possint calvaria cum ossibus decussatis defunctorum?

II. Ex decreto **S.** R. C. n. 3832 *Dubiorum resolutio* 17 Iulii 1894 ad iv permittitur ut palla calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pars superior non sit nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo. Quaeritur: An huiusmodi palla subnexa possit esse linum cruce munitum et subsutum, ad modum pallae, nec amovibile ?

Et Sacra Rituum Congregatio pro solutione horum dubiorum rogata, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit:

**(i) De iure praecedentiae Confraternitatis SSmi Sacramenti in Processionibus eucharisticis super omnes alias sodalitates laicas iam diximus in** *Actis S. Sedis,* **vol.** 37, **pag.** 341 **in nota. Sed Tertiarii saeculares praecedentiam habent super ipsam Confraternitatem SSmi Sacramenti etiam in Processionibus eucharisticis. Cfr. Ferraris** *(Bibl. can., v.* **Tertiarii,** *n. 55) (N. R).*

Ad I. *Negative,* et servetur Caeremoniale Episcoporum, *loc. cit.*

Ad II. *Negative,* et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «J» S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## BUSCODUCEN.

**Quoad celebrationem Missae exequialis translatae die non impedita.**

Quum quaedam difformitas reperiatur in interpretandis Decretis S. R. C, nempe n. 3755 *Missae exequialis pro die obitus* 2 Decembris 1891 ad III, et *Labacen.* 28 Aprilis 1902 ad x, hodiernus Kalendarista dioecesis Buscoducensis in Hollandia, professor in Instituto Surdo-mutorum parochiae *Gestel* S. Michaelis de consensu Rmi sui Episcopi a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit:

I. Caius mortuus feria iv in Maiori Hebdomada sepelitur feria vi in Parasceve Domini. Quaenam est prima dies liturgice non impedita, qua eius Missa exequialis solemniter peragi potest : utrum feria iv Hebdomadae Paschalis, an vero feria 11 post Dominicam in Albis, in qua non occurrit duplex i vel ii classis aut festum de praecepto ?

II. An Missa exequialis solemnis vel cum cantu, ob impedimentum liturgicum ultra biduum a sepultura translata, celebrari possit in diebus duplicia n classis excludentibus ?

III. An Missa de Requie pro prima vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, de qua in Decreto n. 3755 ad III, celebrari possit: i°, infra Octavam Epiphaniae ; 2°. infra

Octavas Nativitatis Domini et SSmi Corporis Christi in locis, ubi haec non est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae rescribendum censuit:

Ad I. Prima dies libera est in casu feria 11 post Dominicam in Albis, iuxta Decretum *Labacen.* 28 Aprilis 1902 ad x.

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, excepta tamen die Octava Corporis Christi, uti ex Decreto supra citato.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «|. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

**Indulgentia conceditur recitantibus orationem ad Cor Iesu pro conversione peccatorum.**

*Beatissime Pater,*

Franciscus Episcopus Erythrarum et Auxiliaris dioecesis Argentinensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes maxima cum reverentia provolutus, enixe petit, ut omnibus christifidelibus indulgentiam trecentorum dierum toties quoties concedere benignissime dignetur, qui pie ac devote recitant orationem sequentem :

*Oremus*

*Domine Iesu, clementissime Salvator mundi, Te per Sacratissimum Cor Tuum, supplices exoramus, ut omnes oves errantes*

*nunc ad Te Pastorem et Episcopum animarum suarum convertantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.*

IUXTA PRECES

Die 26 Octobris 1905

PIUS PP. X

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 22 Nov. 1905.

L. ✠ S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# APPENDIX I

**De matrimonio per procuratorem, nuncium, interpretem, litteras, telegraphum et telephonium [1].**

QUAESTIO VI

*Quomodo mandatum ad coniugium ineundum sit implendum.*

119. Plures quaestiones heic nobis se enodandas exhibent, seu: *a)* num sit implendum personaliter; *b)* num ubi viget C. *Tametsi,* necessario sit exhibendum parocho et testibus ; *c)* quibus verbis matrimonium ex mandato sit celebrandum; *d)* quo tempore sit mandatum executioni demandandum; *e)* an mandans et procurator teneantur esse in statu gratiae, dum mandatum committitur vel dum matrimonium contrahitur; *f)* quid iuris si procurator neglexerit vel excesserit fines mandati; *g)* num, impleto a procuratore mandato

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 37, **pag.** 410, **6o3 et** 736, **necnon vol. 38, pag.** 58 **et** 18S.

per celebrationem coniugii, teneantur postea sponsi ad renovandum inter se consensum.

120. Primae quaestioni, seu num mandatum huiusmodi sit implendum personaliter, respondendum est affirmative (ni forsan mandans aliud caverit) ex expressa dispositione iuris. « Quamvis alias (ait Bonif. VIII, C. IX *De procur.* in VI) is, qui constituitur ad negocia procurator, alium dare possit; in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum ».

121. Quaestioni secundae, seu num mandatum sit exhibendum parocho et testibus, respondendum negative. Nam, quum mandatum huiusmodi possit dari etiam oretenus, perperam urgeretur necessitas exhibitionis eiusdem per scriptum peragendae. Unde rectissime Sánchez reprobans nonnullos, qui inepte contendebant necesse esse, ut conditio v. gr. de futuro contingenti matrimonio adposita impleatur coram parocho et testibus haec habet. « Verum pro contraria parte, ut sufficiat parochum et testes interesse illi matrimonio de praesenti sive conditio sit de praesenti, sive de futuro, nec sit necessarium, ut praesentes sint conditionis verificationi, quae mihi valde probabilis est; vehementissime urget - nam quando aliqui contrahunt per procuratorem non est opus ut parochus et testes videant litteras in quibus continetur potestas procuratoris, ut praxis totius Ecclesiae recepit, alias deberent esse viri docti ut scirent an ea potestas sit sufficiens, necne : at non possunt plene testificari de matrimonio, nisi supposita veritate illius potestatis procuratoris ».

122. Nec urgeatur parochum et testes seclusa mandati exhibitione haud sufficienter testari posse de legitime contracto matrimonio, quum contingere possit ut procurator mandato reapse careat... Nam ut scitissime monet Schmalzgrueber (Tit. *De spons. et matr.*, n. 283): « etsi ad tollendos scrupulos et dubietatem de consensu principalis contrahentis per

procuratorem consultum sit, ut coram parocho et testibus exhibeatur mandatum procuratorium non tamen necessarium est, ut notat Sánchez, 1. 5, d. 8, n. 24 et pro hoc allegat praxim totius Ecclesiae ; et ratio est quia etsi hoc casu testes et parochus deponere nequeant de valore mandati, utpote quod non viderunt, possunt tamen deponere de matrimonio contractu exteriori; quod si fiat, iam evitantur incommoda, ob quae Trid. matrimonia clandestina sustulit; neque enim qui ita per procuratorem contraxit permittetur transire ad alia vota nisi postquam mandati nullitatem ostenderit ».

123. Quaestioni tertiae, seu quibus verbis et quo ritu matrimonium sit celebrandum intercedente mandato, respondendum nihil expresse in iure quoad verba caveri. Solent tamen doctores aliquas normas hac in re constituere. Sic v. g. Sánchez *De matrim.* 1. n, D. xr, n. 16: *Septima conclusio, verba procuratoris contrahentis matrimonium debere esse haec : Talis consentit in te, vel accipit te in virum vel uxorem, me mediante. Sic Hostiensis, etc... Valebit etiam matrimonium, si dicat, recipio te in virum vel uxorem nomine talis personae.* — Et Bonacina (De natura et prop. matr. in Operibus*: q, 11, p. v, n. 11): *Quaeres secundo, quaenam verba adhibenda sint a procuratore, quando contrahit matrimonium nomine alterius. Respondeo adhibenda esse ista verba: Recipio te in uxorem nomine Titii, vel Titius accipit te in uxorem me mediante. Similiter foemina respondere debet : Ego te mediante duco Titium, hoc enim pacto sufficienter exprimitur consensus de praesenti. Ita Covarruvias* etc. — Quoad ritum autem attendenda sunt quae monet Feje {*De imp. et disp. matr.*, n. 300): *Benedictio autem nuptialis, proprie dicta, seu solemnis quae sub missa dari debet, datur postea praesentibus coniugibus.*

124. Quaestioni quartae, seu quo tempore mandatum ad matrimonium ineundum sit executioni mandandum, respondendum cum distinctione. Nam vel nihil vel aliquid de tempore in mandato cautum est. Si aliquid, tunc attendendi

termini mandati, seu ex die (ita ut matrimonium celebres post kalendas próximas iulias) vel in diem (ita ut matrimonium contrahas intra biennium). Quo secundo in casu inspiciendum item ulterius num terminus fuerit adpositus ad obligationem finiendam vel ad obligationem urgendam. Si vero nihil quoad tempus constitutum est, tunc dicendum nullum temporis intervallum officere quominus matrimonium valide celebretur. Nam ut recte monet Henriquez (penes Sánchez *De matr.* 1. II, D. xxxn, n. 7): *in eo quod procurator non revocatus facit, manet virtute consensus illius, qui procuratorem constituit.* — Hoc tamen intelligendum ea sub conditione, ne quid interim fecerit mandans, quo saltem tacite mandatum revocaverit. Nam hoc in casu licet non ex temporis lapsu, alio tamen ex capite, seu ex revocatione mandatum desineret.

125. Quaestioni quintae, seu an tum procurator tum mandans teneantur esse in statu gratiae vel dum mandatum committitur vel dum matrimonium perficitur, negandum omnino in utraque hypothesi quoad procuratorem, quum nullatenus ipse matrimonium ineat, sed solummodo praebeat illud celebranti ministerium. Relate ad mandantem vero negandum quoad tempus commissi mandati, affirmandum quoad tempus celebrati coniugii, nam primo in casu nullo modo sacramentum perficitur. Vix autem notare oportet minime officere receptioni gratiae ex sacramento consequenti, et tanto minus valori sacramenti statum somni, quo forsan versabitur momento celebrati coniugii: dummodo enim matrimonialis contractus vere fiat (et certissime vere fit) valet quoque ipse contractus sub ratione sacramenti.

126. Unde dicendum dato v. g. hodie mandato de coniugio ineundo in crastinum hora decima, sat esse ut eo tempore mandans sit in gratia: dato vero mandato de matrimonio celebrando intra mensem, teneri mandantem eo tempore

esse in statu gratiae, quo verosimiliter credere potest mandatum exsequendum iri.

127. Quantum ad sextam quaestionem, seu quid iuris casu contingente ut procurator fines mandati neglexerit vel excesserit, notandum in primis regulae ad instar in mandato servari, ut conditiones adpositae seu leges dictae a mandante fideliter custodiantur. Hisce enim conditionibus seu legibus spretis ac neglectis, iam aliud a commisso negocium gestum videtur. Unde Paulus (Fr. 5 D. *Mandati vel contra) : Diligenter igitur unes mandati custodiendi sunt ; nam qui excessit, aliud quid facere videtur.*

128. Hoc ex principio sequitur: *a)* Teneri procuratorem ad mandatum implendum prouti sibi commissum fuit, et hinc v. g. teneri ad matrimonium celebrandum tali tempore, tali loco, pure vel, aut sub conditione, aut sub demonstratione, aut sub modo etc. *b)* Procuratorem aliter agentem contra mandantis voluntatem venire, et saltem persaepe ipsam matrimonii validitatem in discrimen adducere, *c)* Saltem *persaepe* dictum fuisse, quia non omnis neglectus legum a mandante dictarum actum inficit, at solummodo is qui fuerit substantialis, ut en si dictum fuerit : mando ut ducas pro me Liviam, dummodo ante nobilem eam esse omnino constiterit.

129. Incidimus autem heic in quaestionem valde elegantem , seu quid dicendum si, adposita expresse a mandante conditione seu lege de qua iam in iure constituitur, eaque a procuratore neglecta, matrimonium nihilosecius sustineatur. Sic v. gr. supposito mandantem commisisse celebrationem Caio, expressa lege de praemittendis bannis, hisce neglectis quaeritur num matrimonium sustineatur. Et respondendum sustineri, nam clausula illa non ad modum verae proprieque dictae conditionis, sed potius ad modum exhortationis et admonitionis est aestimanda interposita.

130. Unde scite v. g. Gasparri *De matr.*, vol. 11, n. 838: *Si in mandato addita fuit aliqua vera conditio, e. g. quod*

*matrimonium fiat sed cum tali dote, haec conditio servari sedulo debet: secus nihil est actum, deficiente consensu.* Vera conditio, *quia si id quod in mandato indicatur est simplex desiderium, aut iam requiritur a iure non sub poena nullitatis, e. g. quod matrimonium fiat praemissis publicationibus, censetur appositum ad meram instructionem pro actu rite faciendo, non uti vera conditio* sine qua non; *ac proinde matrimonium est validum, dispensationibus e. g. neglectis, est quoque licitum, illis dispensatis.*

131. Tandem quoad quaestionem septimam, seu, an expleto a procuratore mandato per celeb. matrimonii, teneantur postea sponsi ad renovandum inter se consensum. Huic quaestioni omnino negativo modo est respondendum. Quidquid enim olim forsan visum fuerit aliquibus, dubitantibus de vera efficacia consensus praestiti per procuratorem et de valore coniugii in eius vim celebrati, hodie quum minime ambigendum sit matrimonium per procuratorem statim ab exordio, seu celebrationis momento, eodem prorsus modo valere (et sub ratione contractus et sub ratione sacramenti) ac si miretur ab ipsis sponsis praesentibus, concludendum nullam consensus renovationem ex parte sponsorum esse necessariam.

132. Quando vero excludimus necessitatem, ut consensus renovetur, minime intendimus adseverare id quatenus fieri contigerit esse illicitum, imo e contrario intendimus adfirmàre illud maioris cuiusdam moralis firmitatis recte fieri posse. Utrumque autem hoc punctum, seu non esse vere necessarium consensum renovare, at, si placuerit, recte hunc renovari, iuvat firmare auctoritate Bened. XIV *De Synodo* 1. xins c. XXII, n. 9. Asserit nempe ibi Benedictus: *Theologos quidem prudenter consulere, ut qui matrimonio per procuratorem* con-*iuncti sunt vel iterum ipsimet coram parocho et testibvf matrimonio iungantur, vel saltem, quod, ipsis absentibus, actum est, praesentes ipsi coram Ecclesia ratum habere dd tarent....*

*At hoc minime necessarium reputari, sed maioris dumtaxat cautelae gratia faciendum suaderi etc.*

133. Quod si quis nobis obiiceret auctoritatem Feje scribentis *{De imp. et disp. matr.* n. 300): *Novus consensus necessarius non est, nec etiam ratihabitio gestorum; imo novus consensus permittendus non est, sed mera ratihabitio gestorum a quibusdam auctoribus consulitur,* ei respondebimus: *a)* consensus renovationem nobis probari non proprie, ut vult Bened. XIV maioris cautelae gratia, (nam omnino ut verum habemus matrimonium per procuratorem celebratum iam esse undequaque firmissimum) sed solum, ut diximus, maioris cuiusdam moralis firmitatis gratia, seu ad melius conglutinandos coniugum animos; *b)* casu hinc contingente, ut periculum sit, ne illa renovatio ex ignorantia habeatur ut necessaria, eam magis esse reprobandam quam adprobandam.

Carolus Lombardi
*Prof. in Pont. Seminario Romano.*

*(Sequitur)*

# APPENDIX II

## MATRIMONIALIS - DE PAROCHO PROPRIO (i)

§ 2. *Perpenditur intrinseca notio quasi-domicilii.*

17. **Superius adnotata fuit paritas, a pluribus AA. adducta, domicilium inter et quasi-domicilium, videlicet: sicut domicilium acquiritur per commorationem cum animo ibi perpetuo habitandi, ita quasi-domicilium acquiritur per commorationem cum animo per maiorem anni partem habitandi. Paritas illa non plene quietat mentem; etenim, si domicilium importat factum commorationis et animum** *perpetuo* **commorandi, quasi-domicilium, vi logicae correlationis, importare deberet pariter factum commorationis et animum** *quasi perpetuo* **commorandi, non autem commorandi per maiorem anni partem: nam, specifice non opponuntur, in definitione, hinc** *perpetuo,* **illinc** *maior anni pars,* **bene vero, respectu domicilii et quasi-domicilii, correlative opponuntur et utrumque specificam hinc** *perpetuo,* **illinc** *quasi perpetuo.* **Age vero : si definitionem as-**

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 244.

**sumere velimus logicam et specificativám, id est: quasi-domicilium est commoratio cum animo ibi** *quasi perpetuo* **commorandi, eo ipso quasi-domicilii notio, prout nunc obtinet et auctoritative praefinita fuit, misere corrueret. Hac in re, strictae logicae rigor commodiori interpretationi cedere debuit. Et hinc illatio sequens: nonobstante nominum et utriusque definitionis similitudine, quasi-domicilium nequit haberi tanquam intrinseca reductio notionis veri domicilii, sed rectius tanquam extrinseca determinatio conditionum, quibus primum iuxta iurisprudentiae dictamina, deinque iuxta competentis auctoritatis decisionem, parochus non vere proprius fit, respectu matrimoniorum, sufficienter proprius, ut iam insinuatum est. Quodsi propter anteactorum temporum exigentias et matrimoniorum irritorum pericula, competens auctoritas *notionem parochi proprii prudentissime ampliaverit, nullatenus perspicitur curnam eadem auctoritas, eadem de causa, scilicet propter easdem et frequentiores et graviores temporis nostri necessitates, eamdem notionem quoad iuridicos eifectus respectu matrimonii rursus ampliare legemve clandestinitatis moderare non posset. « Nonnullae (leges) ob immutata temporum adiuncta, prout legitur in** *Motu Proprio* **SSmi Dñi Nostri, diei** 19 **Martii h. a., aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animarum bono minus utiles ».**

18. **Item quidam AA. domicilium a quasi-domicilio contradistinguere videntur ex alio capite, nempe ex eo quod domicilium, denuo acquisitum, importet animum non redeundi ad locum anterioris commorationis; dum econtra quasi-domicilium importet animum revertendi. Quod domicilium acquisitum importet necne animum non revertendi (quod meo iudicio gratis asseritur) quaestio est praesenti themati prorsus aliena ; quantum vero ad quasi-domicilium non inficior animum redeundi nequaquam excludi a notione quasi-domicilii, prout reapse non excluditur a quotidiana praxi; sed animus ille revertendi non includitur nisi implicite et consequenter, ac proinde nequit intrare in ipsa notione quasi-domicilii; secus, quasi-domicilium definiri deberet: Commoratio in loco cum animo commorandi per maiorem anni partem necnon cum animo postea discedendi; parochus vero quasi-domiciliatos explorans de utroque animo, aequali sedulitate, perquirere deberet. Et haec praevie dicta sint ut paulo praecisiori limitatione determinentur elementa quasi-domicilii vera genuinaque, videlicet:** *a)* **factum commorationis;** *b)* **animus commorandi;** *c)* **per maiorem anni partem;** *d)* **in eodem loco.**

**i** 9. *Factum commorationis.* **Amovenda est liminaliter assertio sat singularis eorum qui, finem legis cum ipsa lege confundentes, requirunt, commorationem aliquamdiu protractam, priusquam nupturientes in loca**

quasi-domicilium acquisivisse reputentur, quia necesse est, inquiunt, ut parochus loci aut indigenae prius eosdem noverint (Pezzani, *Codex S.R.E., canon 12g, nota 5, vol. i, pag. 214;* Santi, *IV Decr., tit. 3, n.* 79 *etc.).* E contra non tantum quasi-domicilium sed etiam ipsummet domicilium acquiritur, eo solo quod advena suam reapse fixerit sedem in loco, cum animo ibi perpetuo vel per maiorem anni partem permanendi, quamquam a nemine loci dignoscitur: siquidem in sensu iuris parochus est proprius non quia nupturientes plus minusve noverit, sed quia isti per domicilium vel quasi-domicilium iurisdictioni parochiali subsunt; ad quod sufficit quantumcumque vel breviuscula commoratio de facto (i). Immo factum commorationis post brevissimum tempus cessare potest, quin advenae quasi-domicilii acquisiti iura amittant. Ex. gr. Titius et Bertha iam ritu mere civili copulati Romam adveniunt, ut ibi Titius munere v. g. professoris supplentis usque ad próximas vacationes fungatur. *Biduo* post, parochum paroeciae, in qua sedem fixerunt, adeunt et coram eo, quum in promptu iam habeant necessaria documenta (sine tamen delegatione proprii parochi), matrimonium rite ineunt. Sed, hac eadem die Bertha propter festivales exagitationes febri corripitur, quam edicunt Periti fore perniciosissimam ni cito citius febricitans ad natales convolet auras. Abeunt igitur neo-sponsi v. g. Venetiam, et in Urbem hac illave de causa amplius non redeunt. Huiusmodi matrimonium, vi commorationis fere umbratilis, quis censeret invalidum? Si validum, ergo quasi-domicilium acquisitum fuit in casu per animum commorandi cum tantilla, ita si dici possit, commoratione de facto, quae cessavit quin ideo cessarent aut infirmarentur huius quasi-domicilii effectus; quod caeterum, aequivalenter exprimitur penes plures Auctores per superadditam clausulam: « commorandi, *si nihil inde avocet* ».

20. *Animus commorandi.* Quid sibi velit animus seu intentio seu voluntas habitandi, prout libentius loquuti sunt antiqui Iuristae, meridiana luce clarescit; et pariter liquet necessaria (respectu domicilii vel quasi-domicilii rite acquirendi) *facti voluntatisque copulatio,* ita proinde ut factum sine animo, vicissimque animus sine facto, nihil prorsus effi-

(1) Quidam antiqui Canonistae penes moderniores insimulantur laxismi, perinde ac si statuere voluissent: per brevem imo brevissimam commorationem, *eamque solam,* adquirí parochialitatem ; dum e contra, ni fallor, hi Canonistae loquuntur de commoratione, *praesupponendo* caeteras conditiones esse vel fore commorationi brevissimae connexas; aut ex commoratione dictas conditiones esse praesumendas autumant; aut demum commorationem aliquam requirunt, ut v. g. Natalis Alexander *(De matrim. 2, art. 2)* ad hoc ut in loco dignoscantur, non autem ut ibidem parochialitate gaudeant.

ciant, ut si quis v. g. Romam veniat piae brevisque peregrinationis causa ac deinde commorationem per menses mensesque et forte annos ibi protrahat continuos, quin unquam sedem in Urbe figere intendat; aut vicissim domum in Urbe conducat, suppellectilem transmittat, ac deinde variis irretitus repagulis venire nequeat. Quae adeo perspicua sunt ac trita, quod otiosum foret in his immorari. Hoc tantum videtur addendum, quod respectu domicilii vel quasi-domicilii constituendi factum commorationis sese habeat tamquam *materia,* animus vero commorandi tanquam *forma,* cui proinde potiores adscribendae sunt partes, prout Scholastici loquuntur.

21. Potiores, inquam, partes adscribendae, sed etiam potissimae difficultates, si quis hunc *animum* commorandi paulo pressius stringere pertentet. Re quidem vera constare debet, iuxta praelaudatam Instructionem, de animo permanendi. Sed quonam modo constabit? Per declarationem interesse habentium aut alterutrius? Esto; verum quibus conditionibus et cautelis emittenda erit huiusmodi declaratio? Nulla, ni fallor, emanavit adhuc ea de re competens decisio seu directio. Per indicia quae forte satis révèlent animum, « moraiemque certitudinem pariant »? Atvero, quam arduum et salebrosum sit ex indiciis maxime variabilibus arguere quod abfuerit vel adfuerit animus permanendi, nemo est qui non videat. Titius advenit Urbem, cameram conducit, ibique suam adsportat suppellectilem consuetam : ex talibus indiciis nonne argues eum ibi sedem figere voluisse? Porro Titius nullum habuit animum, nisi res suas et suppellectilem tute collocandi, deindeque suas post aliquot dies vel hebdomadas iterare cursitationes, Romam non reversurus nisi post menses et forte annos, ut res suas iterum recipiat. Si deficit igitur probatio ex ipsis momentosis indiciis, qualem ex levioribus poterimus habere illationem ? (i). Et haec de animo pro nunc, satis, quum de eo fusius infra dicendum sit.

22. *Per maiorem anni partem.* Heic augescit difficultas et scatent

(r) Leges civiles, etsi pariter hac de re satis indecisae, tamen animum commorandi declarationibus aut factis comprobandum edicunt: «Art. 16. Il domicilio civile di una persona è nel luogo in cui essa ha *la sede principale dei proprii affari ed interessi* (? ?). La residenza è nel luogo in cui la persona ha la dimora abituale. - Art. 17. Il trasferimento della residenza in un altro luogo, *coli'intensione* di fissarvi la sede principale, produce cangiamento di domicilio. Tale intenzione si prova colla doppia dichiarazione fatta all' uffizio dello stato civile, che si abbandona ed a quello del comune in cui si fissa il domicilio, o con altri fatti (?) che valgano a dimostrarla ». Consonat italico codex gallicus.

discrepantiae. Quo vero, quantum fas erit, ordinatius clariusque procedatur, sententias distinctam partibor, prout Auctores formulam Instructionis supralaudatae retinent, aut ad eam propinquius accedunt, aut ab ea longius recedunt, aut tandem flaccidam nutantemque formulam usurpant. Igitur :

A) Formulam Instructionis id est: *cum animo commorandi per maiorem anni partem* adamussim retinent (praeter Pirhing, Reiffenstuel, Ferraris, Benedictum XIV aliosque supracitatos) S. Alphonsus (De matrim., n. 1091); Zitelli *{Appar., pag. 38y ;* sed in opere posteriori: *De disp. matrim.,* idem Auctor habet tantum: per *notabilem* anni partem); Scavini (De matr., n. 799, qui tamen citat absque ulla rectificatione sententiam sat singularem cuiusdam Pavone, ut infra); D'Annibale (III, n. 457 [38]); Aichner (Comprend., n. 164); Bucceroni (Inst., de matrim., n. 1026); Deshayes (Memento, n. i 5o3) ; Ojetti (V. *Clandest.);* Bousquet (Thes. conf., n. 5o5, II); De Luca Mar. (In iv, tit. nr, n. 228); Wernz (in Voto praelaud., n. 16, necnon in opere canonico vol. iv, *Ius matrimoniale,* n. 177 et nota [189], ubi etiam *diremptae* et *antiquatae* dicuntur omnes anteriores controversiae de modo quasi-domicilium acquirendi); Ianssens Laur. (Casus Consc, a. 1903, n. 48, p. 511); Card. Vives y Tuto (Theol, mor., n. 61); Emus Auctor operis cui *Consultationi....* (Cons. Lxvi, vol. 2, pag. 328); Ferreres (EI Imped. de clandest., art. iv, § 2, p. **II**); et inter technicas Ephemerides: *Monitore eccles.* (vol. xi, p. 98 et aliis); *Le Canoniste contemporain* (vol. x, 257 et plenius XXII, p. 283, pluriesque in collectione); *La Nouvelle Revue Theol.* (vol. XXIV, p. 220, ubi rectifkat quae paulo aliter, vol. xn et **III** dicta fuerant); item inter alias Synodus Mantuana a. 1888 sub D. I. Sarto nunc SSmo Dno Nostro (Q. D. D. S.) cap. xiv, n. 29 ubi tamen non tam animus commorandi quam factum commorationis attendi videtur, et pro corónide, Concil. Plenar. Amer. Lat., n. 916; etc. etc.

B) Formulam retinent cum aliquali ampliatione: DD. Gasparri «per maiorem *aut aliquot annorum* partem.....» (De matrim., n. 916); Aemil. Berardi: « *saltem* per maiorem.... » *Theol. Pastor,* n. 441 : (sed idem Auctor in alio opere *Praxis Confess.,* post prolixas adnotationes, bifariam concludit, scilicet: « unum mensem requiri pro his qui se conferunt in loca Tridentino non subiecta, iuxta indultum S. O. a. 1886 pro Stat. Foeder.; maiorem vero anni partem, pro aliis iuxta praefatam Instructionem »); Alsina (n. 720: « pro quasi-domicilio, si ex facto deduci debet, pro externo foro (? ?) requiritur saltem unus mensis habitationis cum animo... ad maiorem anni partem »); Mach, hispanico sermone, eodem sensu ac praecedens (Tesoro del Sacerdote, n. 671); Melata (Ma-

nuale theol, mor., n. 41): « saltem per maiorem »; De Becker *«saltem* per maiorem... (De spons. et matrim., edit. 11, p. 94); item et Gasparri iunior (Thesis de domic. et quasi-dom., n. 48); Hilarius a Sexten: « *ultra dimidium* anni » (Theol, mor., n. **83);** Lega : « saltem per fere septem menses » (De Iudic, eccl., part. i, n. **366);** etc. etc.

C) Formulam retinent cum aliquali reductione Gousset, qui requirit habitationem de facto per semestre « depuis six mois ou un an » (Théol. mor., n. **83**1); Grand-Claude: « per maiorem... aut saltem per semestre » (lib. iv, Decr. v, p. 61); Marc iisdem verbis, (n. 2074); Génicot: « per maiorem... seu sex menses » (vol. i, n. 100, 11); Feije: « commorationem per maiorem vel dimidiam anni partem, *vel cum huius intentione »* (n. 227, edit. 4); Lombardi (Car.): « animo tamen... non perpetuo, nam secus haberetur verum domicilium, sed per aliquam *notabilem* anni partem consistendi... Consulto nos *notabilem* anni partem dixisse non vero *maiorem,* prout sat communiter fit, idque ad vitandam gravissimam quaestionem, hucusque quod sciamus nondum authentice definitam, an reapse absolute necessaria sit huiusmodi commoratio, quamvis non diffheamur longe magis Ecclesiae sensui cohaerere videri, qui eam revera necessariam dicunt » (Iur. can. privati, vol. in, pag. 187); etc. etc.

D) A formula recedunt Ballerini-Palmieri : « conformius iuri videntur sentire qui dicunt sufficere propositum habitandi per *aliquot* menses » (Opus theol., de matrim., n. 1186); Mansella (p. 248) qui praecedenti consonat; Alberti probabile censet « sex menses integros aut etiam quinque cum dimidio, non autem minus, sufficere... » (n. 104); Fr. Santi: « acquiritur quasi-domicilium in genere per diuturnam moram (n. *j5) »* et deinde « per moram unius> mensis dummodo commoratio hon facta fuerit rusticationis causa, vel ob alium precarium finem » (iv Decr., tit. in, n. 75 et seqq.); André in suo *Dictionn.* textum Francisci Santi simpliciter fortificat, v. *Mariage;* ast v. *Domicile:* « avec l'intention d'y rester pendant une grande partie de l'année, par ex. pendant six mois ». Et insuper, validum erit matrimonium, etiam « sans l'intention d'y résider pendant une grande partie de l'année, pourvu qu'on y réside déjà depuis au moins un mois, publiquement et sans fraude » ; Lehmkhul : « per magnam anni partem - per notabilem - probabile *est* spatium quatuor mensium pro notabili anni parte sumi » (De matr., n. 775) ; Sabetti: « per maiorem vel, ut aliqui volunt, per notabilem » (n. 91 **3).**

E) Nonnullis Auctoribus praeplacuit responsio quaedam fugax et gossypina, quam quisque valet sensu proprio detorquere. Schmalzgrueber: « non perpetuo sed per annum, vel maiorem, vel saltem notabilem anni partem » (De Foro comp., n, n. 16); Billuart-Lequette praeter pa-

rochum domicilii et quasi-dom. etiam idoneus est ille « qui est proprius loci in quo habent (nupturientes) simplicem habitationem, *quamvis non intendant diu ibi habitare,* modo tamen non sint ibi solius recitationis, vel alia brevi causa » (vol. 7, pag. 498); Moser: « notabili tempore, vel maiore parte anni, quod saepe pro magna parte, moraliter ex circumstantiis, erit colligendum » (De Imped., c. vir, n. vii); Nardi: « tale previa dimora che basti a far noti gli sposi nel paese » (Diritto matr. cattol.. p. 147); Cardini: « per la maggior parte dell'anno, o almeno per una parte notabile » (Dei supremi princip., vol. v, part. u, pag. 289); Frassinetti: « per una notevole parte dell'anno » (Delle Leggi, cap. iv, n. 31); Bouvier: « communiter docent theologi matrimonium celebrari posse coram parocho simplicis habitationis, post unum mensem elapsum et nituntur auctoritate Bened. XIV » (Theol, mor., tom. iv, pag. 358); Carrière iisdem fere verbis docet, praeter parochum quasi-domicilii, proprium pariter esse parochum simplicis habitationis « per tempus sat notabile, idest per spatium saltem unius mensis »; Pavone, citatus apud Scavini (vol. III, adnotat, pag. 801) singularissima exegesi: « Quando poi vi è della vera volontà *(permanendi)* si contrae il necessario domicilio, ancorché si abbia nel tempo istesso la volontà di abitarvi per un solo mese e poi congiungersi in matrimonio, e dopo cambiare abitazione »; Rosset: « cum animo ibi permanendi toto tempore a iure requisito » (De matr., n. 2154); Pezzani: « cum animo ibi diu manendi » (Codex S, R. E., canon 129); Pillet: « per aliquod tempus, v.g. per sex menses » (Ius in articulos distrib., n. 44); etc. etc.; et tandem Instructio Austriaca: « Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad quem asserendum longior commoratio requiritur, ibi quasi-domicilium habet » (§ 40 penes *Collect-Lacen.,* vol. v, col. 1292).

23. Ad quid autem prolixa illa fastidiosissimaque variarum sententiarum nomenclatura mox dicetur: unum heic venit advertendum quod scilicet, etiamsi omnes de re theologica canonicave scriptores unius labii forent, id est unam eamdemque, nempe praelaudatae Instructionis, formulam usurparent, perstaret nihilominus difficultas interpretandi clausulam ;< per maiorem anni partem »; utrum v. g. requiratur *maioritas* unius mensis aut bimestris? Vel e contra sufficiat unius hebdomadis vel unius diei? Nec mirum esset si quis Casuista de maioritate disceptaret quoad annos unisextiles aut bisextiles! Revera iam non defuit qui computaret arithmetice minorem esse anni partem a die i Ianuarii ad 3o Iunii quam a i Iulii ad 31 Decembris.

24. Insuper fatendum est cum egregio De Becker et aliis (quos inter

**R. Boudinhon in accuratissima disceptatione:** *Quelques réflexions sur le domicile et le quasi-domicile),* **vi textus Instructionis « reiiciendam prorsus esse nonnullorum opinionem de sufficientia habitationis per sex menses in aliquo loco** *sine ulla intentione* **ibidem per tale tempus manendi »; quae proinde commoratio per sex et decem et amplius menses mere fortuita seu casualis dicenda foret ; sed pariter cavendum a deductionibus nimium extensis. Equidem Instructio praefinit quasi-domicilium adquirí effectiva commoratione et animo commorandi per maiorem anni partem, ideoque aequivalenter excludit, ni fallor, exégèses iuridicas quae factum quidem commorationis admittunt, sed intentionem commorandi taxative reducunt ad spatium** *infra* **maiorem anni partem; atvero non excluduntur, vi solius Instructionis, exégèses quae praetermittunt (sed non negant) animum commorandi potiusque stant in ipso facto commorationis plus minusve protractae, v. g. semestris, quadrimestris etc., vel etiam exégèses quae ex solo facto commorationis per sex, quinque aliquotve menses, ponunt oriri iuris, imo ex natura rei, praesumptionem quasi-domicilii sufficienter acquisiti. Revera quis vellet oppositionem invenire** *contradictionis* **aut** *contrarietatis* **in istis propositionibus:** *Per factum commorationis vix positum cum animo commorandi sex ultra menses acquisitum censetur quasi-domicilium ;* **et altera :** *Per factum commorationis, a sex vel quinque vel quatuor mensibus iam perdurantis, acquisitum censetur quasi-domicilium}* **In illa factum attenditur cuiuspiam commorationis et copulatim animus ulterioris commorationis ; in ista factum solummodo commorationis** *anterioris* **non autem animus commorationis** *ulterioris:* **et idcirco quum ambae propositiones non sint de eodem ac circa idem, nec contradictoriae nec etiam vere contrariae dici queunt, sed tantum variae. Quare non is ego forem qui vellem, uno tractu calami, falsas et vi textus Instructionis reprobatas edicere sententias Auctorum superius recensitorum, qui scilicet nonobstante Instructione commorationem autumant iam effectivam a sex quinqueve mensibus esse sufficientem ad comparandum in loco quasi-domicilium. Reprobantur forte (saltem theoretice loquendo) ex praxi iudiciali quae, ne fluctuetur hinc inde, consistere nunc videtur in axiomate regulativo, quod penes Emum Gennari sic invenies formulatum : « Quando non si ha l'animo di rimanere nella nuova dimora la maggior parte dell'anno, il matrimonio sarà nullamente celebrato, benché siano trascorsi più mesi dall'arrivo in quel luogo »** *(Consulta^,* **voi.** 2, **pag. 328). Sed quis primo non videt oculo verbum consulto usurpatum** *più mesi* **sensum habere fluctuantem inter tres et sex menses ? Et Emus Auctor usus est verbo vigilanti, praecise quia controversiam dirimere noluerit. Pro-**

fecto si res perpendatur in concreto, durum videtur admittere quod parochus istius loci sit sufficienter proprius respectu Titii qui vix. triduum habitet in parochia cum animo protrahendi permanentiam ad semestre, minime vero respectu Caii qui in eadem paroecia iam a sex vel quinque mensibus commoratur.

25. Praestat hac de re *privilegium* Parisiense supracitatam paulo penitius scrutari, quippe quod a nonnullis obtruditur tanquam apodicticum argumentum contra commorationis effectivae, vel semestralis, sufficientiam. Officialis Curiae casum exposuerat peculiarissimum, et occasione dicti casus a Suprema Congregatione normam efflagitaverat in similibus casibus deinceps asservandam, nullatenus vero dispensationem generalem expetiverat super exploratione animi nupturientium, multo minus delimitationem praecisam ad sex menses ut nupturientes in civitate Parisiensi sufficienter quasi-domiciliati censerentur. Sacra vero Congregatio abstraxit a casu particulari (cui medendo non amplius erat in re) et proprio spontaneoque motu superaddidit textum suprarelatum: « Se conferentes.... etc. ». Apposita fuit utique clausula *facto verbo cum SSmo,* sed dicta clausula, quamquam stricto iure non apponatur nisi novis concessionibus aut novis anterioris concessionis extensionibus, usurpatur etiam, et quidem haud semel, in simplicibus declarationibus et interpretationibus decretorum quae variis et contrariis sententiis ac dubietatibus obnoxia remanent. Prostat in documentis tenuitati meae commissis responsio diei *ib* Ianuarii 1903 D. Assessoris S. O. ad D. Secretarium huius S. C. Concilii qui de genuino sensu Responsi Parisiensis ex officio sciscitatus fuerat: « Presso questo supremo Tribunale, *ait D. Assessor,* non è stata mai accolta, la massima che coloro i quali hanno dimorato sei mesi in una parrocchia possano unirsi validamente in matrimonio senza la esplorazione d*ÛXanimo permanendi;* e le disposizioni emanate per un caso di Parigi furono e devono ritenersi come disposizioni particolari ». Supremum Tribunal igitur normam de commoratione semestrali nunquam excepit, ut testatur oculatissimus Adsessor, qui tamen nequaquam asserit praefatam normam fuisse unquam a Supremo Tribunali reiectam. Verissimum pariter est quod dispositiones praelaudatae sint prorsus peculiares, quum ipse textus Responsi praeseferat clausulam localiter determinativam : « Se conferentes in civitatem *Parisiensem* »; sed pronum est ex ista peculiari responsione (quae formam habet, ut liquet, directivae declarationis) pronum est, inquam, arguere quod Supremum Tribunal eamdem dispositionem pro locis in quibus eaedem forte concurrerint causae, ratam haberet. Nihil igitur ex Parisiensi responso deduci potest contra sententiam commora-

tionis semestralis: « Da questa risposta, inquit *Il Monitore eccl.* (cuius Director munere Adsessoris S. Officii tunc fungebatur) si fa chiaro come la S. C. non ha creduto di definire la quistione se basti ovvero no al matrimonie dimorare materialmente in una parrocchia per sei mesi, senza animo di starvi tanto tempo. Nessuno perciò creda che dal rescritto *Acquiescat* per F Officiale che opinava in senso negativo, e per essersi concessa come grazia in quella città di poter bastare la dimora materiale, debba ricavarsene che da ciò non basti per nulla altrove cotal dimora pel matrimonio ». Et haec quam caute et ponderate dicta sint, nemo est qui non videat.

26. Quid vero de commoratione in loco *per unum mensem* ? Exstat ad rem, ut cuique notum est, celeberrima Bened. XIV ad Goanum Praesulem *Paucis abhinc* diei 19 Martii 1758 Responsio, cuius comma sequens directe thema nostrum attingit: « Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur » *(Collectan.* 1391, pag. 498, A). Porro satis superque insudant Auctores in explicandis quisque suo sensu praecitatis verbis. Hi siquidem sententiam suam de sufficientia mensilis commorationis ante matrimonium firme solidatam autumant super auctoritate Benedicti XIV, ut superius adnotatum est; eo magis quod eruditissimus Pontifex resolutionem invocat, inter alia, S. C. Concilii quae per modum normae statuerat, in una *Traiectensi* quam pariter citat Fagnanus aliique multi: « dandam esse decisionem pro validitate », si commoratio sponsorum in alio loco fuisset saltem unius mensis ante matrimonium. Isti vero animose propugnant mentem Pontificis aliam non fuisse nisi statuendi quod commoratio mensilis habenda sit respectu matrimonii contracti tanquam praesumptio iuridicumve indicium animi diutius permanendi, proindeque quasi-domicilium adipiscenda

Mei certe non est inter tantos componere litem ; attamen cuique textum integrum pacato animo conferenti tertia, ni fallor, sponte prosilit interpretatio forsan planior et fundador, nempe unius mensis commorationem in loco *ante* matrimonium et fortassis aliqualem moram *post* matrimonium fuisse in mente Benedicti XIV, probationem de nulla fraude in transitu ad alium locum, aut saltem de fraude sufficienter purgala. Etenim agitur ibi de Goanensibus sponsis Tridentinae formae certe subiectis, qui pergebant in loco *Sunda* « ubi neque receptum, neque promulgatum fuit Tridentinum », ibidem matrimonium fraudulenter contra-

çturi. Porro doctissimus Pontifex in paragrapho secunda, tertia et quarta praefatae Responsionis, resolutiones huius Sacrae Congr. commemorat (praesertim in una *Coloniensi* ab Urb. VIII confirmatam, ut supra), quibus evincitur matrimonium, cum fraude celebratum, invalidum esse; deinde in paragrapho quinta et sexta « ex sententia communiter hodie recepta atque observata » subnectit, huic decisioni generali de nullitate talium matrimoniorum, quamdam maximi momenti limitationem practicam et concretam videlicet : « dummodo tamen ille qui contrahit (in fraudem utique proprii parochi), antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium vel quasi-domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisse, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur Salmanticenses... ». Age vero: quis supponere vellet Benedictum XIV se sibimetipsi posuisse discordem, in themate praesertim quod saepe pertractaverit, adeo ut praeviam unius mensis in loco moram, imo aliqualem etiam post contractum matrimonium commorationem, requisiverit tanquam adipiscendi domicilii vel quasi-domicilii conditionem necessariam ? Secundo Pontifex allegat Salmanticenses *De matrim,* cap. 8, punct. I I , n. 21. Porro Salmanticenses loco citato (edit. Venetae 1684, tom. II, p. 143) praecise concludunt, circa transitum nupturientium a loco non exempto ad exemptum hisce verbis: « Nisi mavis dicere in dicto casu fraudem aut dolum non adesse, quia utitur (nupturiens) iure suo, qui, eo animo ad alium locum transiit ubi Tridentinum non obligat ». Atvero, fraus in dicto transitu . semper adest, saltem obiective seu materialiter, respectu proprii parochi qui sic matrimonio parochiani sui non adstat; sed non semper adest fraus subiectiva seu dolus, quando scilicet nupturientes transeunt non ut clandestine iungantur, sed ut alibi aliquamdiu commorentur (i). Et hinc est quod Be-

(1) Vix ac ne vix quidem probabilis videtur sententia eorum qui negant in transitu fraudem quampiam adfuisse, si transeuntes non ipsam legem ecclesiasticam sed aliam, puta legem militarem aut civilem, eludere voluerint. Revera, quum lex Tridentina sit territorialis simul et personalis, aegre percipitur fraudem deesse quando personae sese dictae legi de facto subtrahunt et eo pergunt, quo lex non viget, contrahendi causa. Matrimonium huiusmodi S. C. S. O. in una *Parisiensi* 3 Apr. 1895 edixit nullum et quidem nullitatis adeo clarae et constantis, quod Curia factispeciei recte applicare potuerat notissimum decretum 6 Iunii r889 (de solemnitatibus iuris non semper necessariis). Econtra, de plano currit fraudem esse tantum materialem non autem formalem nec culpabilem in his qui transeunt non animo contrahendi sed alia qualibet de causa, etsi forte postea contigerit eosdem ibi praeter Tridentinam formam contrahere: et hinc necessitas praesumptam fraudem purgandi.

ned. XIV responderit irritum habendum esse matrimonium « in fraudem proprii Parochi », *nisi* commoratio mensilis praemissa fuerit, quia videlicet per dictam commorationem praesumptio fraudulenti transitus sufficienter purgata censetur aut censeri potest. Confirmatur insuper haec exegesis, ipsamet Instructione saepelaudata S. Officii ad Episcopos Angliae et Amer. Sept., ad cuius tenorem nupturientes, ut supra transeuntes, « nequeunt valide matrimonium inire in loco (non subdito Tridentinae formae) nisi ibi nedum habitationem sed etiam vere domicilium fixerint, *quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant* ». Et ad dignoscendum utrum necne nupturientes sufficiens domicilium (ad purgandam fraudem, id est ad infirmandam fraudis praesumptionem) ibi figere voluerint, adhibenda est, inquit Instructio, regula a Summo Pontifice Bened. XIV confirmata praecise in ista, de qua agimus, Responsione ad Archiepiscopum Goanum.

27. Caeterum, si iuxta responsionem seu rectius constitutionem Benedictinam, commoratio mensilis sufficiens agnoscatur sive ad quasi-domicilium adipiscendum, ut plures opinantur, sive ad ministrandum indicium efficax animi commorandi ut aliis praeplacet, sive tandem ad praesumptionem fraudulenti transitus satis purgandam, si talis commoratio, inquam, sit per se et ex se sola theoretice saltem sufficiens respectu nupturientium, qui transeunt e loco subdito ad non subditum, non clare perspicitur in ultima analysi curnam commoratio eadem eamdem non haberet sufficientiam respectu eorum, qui de loco subdito transeunt ad locum aeque subditum, quique proinde a praevia fraudulenti transitus suspicione plenius immunes censeri debent.

28. Et haec circa commorationem semestralem, quadrimestrem aut mensilem dicta sint non ad hanc vel illam propugnandam aut impugnandam exegesim, sed tantum ad ostendendum quod iurisprudentia nondum videtur adeo firma perspicuaque circa nupturientium commorationem, ut cito citius hanc aut istam ore rotundo damnemus opinionem. Dissensiones inter optimae notae rectique spiritus Theologos et Canonistas in praecedenti nomenclatura (illa praecipue de causa) compendiatas, libentius autumo non variis cavillationibus, non obstinatis praeiudiciis aut inscitiae, sed intrinsecis gravibusque ipsius thematis dubietatibus esse adscribendas. Sane tantorum Auctorum dissensio correspondet necessario nexu, ni fallor, ipsius iurisprudentiae indecisionibus et obscuritatibus hodiedum perdurantibus, et per eam luculenter explicatur.

29. *In loco.* Circa clausulam istam una est omniom Auctorum, paucis demptis, interpretatio, videlicet: quasi domicilium adquiritur non in urbe, non in municipio, non in districtu seu provincia, sed in paroecia

seu quasi paroecia, nempe in ultima divisione territoriali dioeceseos, aut Vicariatus seu Praefecturae Apostolicae, si tamen paroecias aut quasi-paroecias habeat. Quare si possumus ac debemus, quoad sacras ordinationes, domicilium admittere dioecesanum, non debemus nec possumus, *stante hodierna legislatione,* quoad matrimonium, aliud agnoscere domicilium vel quasi-dom. nisi parochiale, non autem dioecesanum, nec municipale (quanquam a lege civili statutum) nec etiam urbanum, etsi quis in variis eiusdem urbis paroeciis per plures annos successive commoratus fuerit.

3o. Dixi supra: *paucis demptis;* siquidem assertio Sanchezii (i) ab omnibus vel fere omnibus pedetentim derelicta non ita pridem renovata fuit, sive per modum theseos absolutae, sive per modum hypotheseos exoptabilis, scilicet de domicilio vel quasi-domicilio *dioecesano* aut urbano respectu matrimonii tutius contrahendi.

*Laurentius* quasi-domicilium urbanum potiusquam parochiale videtur admittere, nam scribit incunctanter: « Animus manendi de integra urbe vel communitate civili intelligitur, etiamsi ipsa in plures parochias divisa fuerit, et *parochus habitationis* deinde ad assistendum competens fit » *(Inst. Iur. eccl.,* n. **584,** Friburg. Brisg., 1903). Paulo moderatius quoad formam sed, ni fallor, non fundatius quoad substantiam egregius Dechamps (nunc Officialis Curiae Parisiensis) penes *Le Canoniste contemporain* (1900, vol. XXIII, p. 385 et seqq.) retinet, in hisce casibus matrimonium rite celebrari posse, non coram parocho actualis habitationis (et in hoc assertionem Sanchezii praelibatam reiicit) sed coram Ordinario dioecesano vel eius delegato; et rationem affert quia: *a)* « le mot *locus* est un terme canonique, qui a une valeur juridique, qui n'est nullement synonyme de paroisse, qui même ne se réfère pas à une conscription territoriale déterminée *a priori,* mais seulement determinable a *posteriori* » ; *b)* Porro talis determinatio fit tum intentione incolae seu advenae, qui vult utique commorari *in loco* id est in toto loci vel urbis

(i) **Sánchez expresse tenet: « Si quis autem habet animum habitandi maiori anni parte in oppido, quum iam respectu illius fit parochianus, licet** *eo tempore varias mutet parochias et ita in nulla habeat animum habitandi tempore requisito, recipere poterit sacramenta omnia, ab eo parocho cui actu tunc subditur,* **quia non habet alium in oppido ». In hisce verbis Sanchezii, quidam reperiunt, haud improbabiliter, parochialitatem acquisitam ratione domicilii urbani non vero parochialis ; nisi Sanchezius (quod mihi videtur verius) incolas huiusmodi censuerit vagos esse aut vagis aequiparandos** *{De matrim.* **I,** III, **disp.** 22, **n.** 14).

ambitu non vero in tali talive loci paroecia vel puncto peculiari; tum etiam et maxime determinatur domicilium et quasi-dom. per relationem ad iurisdictionem auctoritatis istius loci: si volo Parisios v. g. habitare, eo ipso pariter volo subditus esse auctoritati quae Parisiis praeest, id est Ordinario, non autem huic illive parocho. Quare concludit praelaudatis canonista: « quiconque a un domicile ou quasi-domicile suffisant quant à la durée et à l'intention requises par les canons, partout où s'étend la juridiction de l'évêque, c'est à dire dans les limites du diocèse, est sujet de cet évêque, tant pour la compétence judiciaire que pour l'ordination et le mariage. Ainsi, celui qui s'établit *dans un diocèse* avec l'intention d'y rester toujours, bien qu'il n'ait pas égard à telle ou telle paroisse, ou celui qui vient *dans ce diocèse* pour y passer la plus grande partie de l'année, *mais pendant ce temps réside dans diverses paroisses,* pourra validement et licitement contracter mariage *devant t Ordinaire du lieu* ou son délégué, *comme ayant* domicile ou quasi-dom. *dans le diocèse* » (loc. cit., p. **401).**

31. Plura, fateor, praecaveantur incommoda respectu matrimoniorum, si legislatio canonica domicilium aut quasi-dom. agnosceret in dioecesi, sed reapse secundum iurisprudentiam hodiernam domicilium huiusmodi, nedum admissum, e contra reprobatum existimari debet. Habemus ad rem peremptorium argumentum: ea ipsissima die (g nov. 1898) qua Curia Parisiensis privilegium de quo supra reportavit, S. C. S. Officii eidem Curiae sciscitanti: *An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla paroecia domicilium vel quasi-dom. acquisierunt?;* respondit: *Negative; nisi diligenti inquisitione f acta constet eos, de quibus est quaestio, neque in civitate N...* (id est Parisiensi) *neque alibi, in nulla paroecia verum vel quasi domicilium canonicum habere, sed esse vagos.* Haec responsio S. Officii iurisprudentiam magis ac magis firmavit, ita ut nunc domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, exoptabile certe appareat, non amplius probabile censeatur. De quo rursus infra.

32. Item, disputant Auctores quoad Indultum Baltimorense, id est indultum quod Suprema flagitantibus Concilii plenarii (III) Baltimorensis Patribus, die 6 maii 1886 *(Collectan. P. F.,* n. 1413 et plenius *Act. et Decr. Conc. Baltim. III,* p. cix) concessit, videlicet: « in Statibus Amer. Foed., se transferentes a loco ubi viget *Tametsi* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis et status sui libertatem.... *censendos ibidem habere quasi-domicilium* in ordine ad matrimonium *quin inquisitio facienda sit* de animo ibi permanendi per maiorem anni partem ». Quidam autumant hocce

indulto quasi-domicilium *dioecesanum* pro Statibus Americae Foederatis, aequivalenter saltem, ratihabitum fuisse. Ast, ni me mei decipiant ocelli, satis arbitraria videtur huiusmodi deductio. Patres Baltimorenses utique postulaverat^ ut, pro Foed. A. S., Sedes Ap. dignaretur : « decernere eos qui e *sua dioecesi* ad aliam transeunt, modo in hac per spatium unius saltem mensis commorati sint, eo ipso nulla facta inquisitione de animo manendi per maiorem anni partem censendos esse acquisivisse quasi-domicilium quod sufficiat ad matrimonium contrahendum, eosque subditos constituendos Episcopi in ordine ad dispensationes ab impedimentis, si quae obstent, obtinendas ». Heic certe et perspicue petitur quasi-domicilium dioecesanum. Quid vero Suprema? Nedum decernat *iuxta preces,* textum econtra, pro sueta prudentia, seligit quo primum limitatur coetus futurorum indultariorum per clausulam : *Se transferentes a loco ubi viget...;* deinde, dispensatio conceditur super exploratione animi, propter praeviam unius mensis in loco commorationem, et nil aliud. Unde tenuitati meae persuasum est praefatum indultum apprime, quanquam adverso respectu, correspondere documento Goano Bened. XIV: hic, unus mensis requiritur ad iudicandum pro validitate matrimonii *contracti,* ratione quasi-domicilii praesumptive adepti ; illic, unus pariter mensis ad permittendum matrimonium *contrahendum* ratione quasi domicilii (in loco, non in dioecesi) propter indultum sufficienter adepti.

33. Nec praetereunda videtur ultima consideratio, de quasi-domicilio sufficienter in *paroecia* acquisito *propter locum.* Evolvo mentem: Titius Romam advenit cum intentione commorandi per septem octove menses et amplius, sedemque figit intra paroeciam v. g. S. Andreae, quin unquam de ista paroecia aut de alia cogitaverit. Eo ipso propter factum commorationis in paroecia et intentionem genericam habitandi Romam, quasi-domicilium adquirit in ipsa paroecia, ut patet; sed post mensem elapsum, transit in paroeciam S. Petri, proindeque quasi-dom. amittit penes S. Andream et adquirit in S. Petri, vi praefatae generalis intentionis Urbem habitandi per septem adhuc menses ; et sic pro successivis aliis per varias Urbis paroecias commorationibus quoadusque perduraverit, cum facto commorationis in determinata paroecia, intentio Romam habitandi per maiorem anni partem. Econtra Titius post quinque menses commorationis in paroecia S. Andreae, transit in paroeciam SS. Vincentii et Anastasii cum animo per quatuor alios menses ibi commorandi; tunc nullum amplius habet in Urbe quasi-domicilium; huic ultimae commorationi quadrimestrali nullatenus prodest anterior sive in eadem sive in variis eiusdem Urbis paroeciis, vel per plures menses et annos, permanentia.

34. Ut finis tandem apponatur huic primae parti, verba transcribo S. Augustini: « Quaestionem tamen de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri omnes sinus eius, vel in hoc opere vel in alio, me adhuc explicasse, vel iam posse, si urgear, explicare » (De *Coniug. adulter.* I, c. xxv). Obscurissima pariter et implicatissima est, ut ex hucusque praelibutis abunde patet, peculiaris quaestio de quasi-domicilio seu de iurisprudentia seu de parocho proprio propter quasi-domicilium, quam proinde penitus explicare nequaquam praesumpsi, sed ea tantum praelibare conatus sum quae satis esse videntur ad conclusiones practicas inferius deducendas.

*(Sequitur).*

Fr. Pius a Langonio, O. M. C, *Consultor.*

## Diarium Curiae Romanae

*Pius PP. X litteris Secretariae Status:*

i°. Emum ac Rmum Card. Iosephum Calasanctium Vives y Tuto dignatus est nominare Protectorem Sororum a Providentia in Gratianopoli, necnon Protectorem Instituti S. Caroli pro Emigrantibus italicis ad exteras regiones.

2°. Emum ac Rmum Card. Antonium Agliardi, Episcopum Albanensem, Vice-Cancellarium S. R. E., benigniter elegit in Protectorem Associationis catholicae Operariorum S. Ioachim in Urbe; atque Emum et Rmum Card. Franciscum Satolli, Praefectum S. Congr. Studiorum et Episcopum Frascatanum, in Protectorem Ven. Confraternitatis SSmi Rosarii erectae in ecclesia S. Clementis.

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## EPISTOLA

SS. D. N. Pii div. Prov. Papae X ad Archiepiscopum et Episcopos Poloniae, quae Russico Imperio paret.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS POLONIAE
QUAE RUSSICO IMPERIO PARET

PIUS PP. **x**

*Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Poloniae populum qua late patet, genere quamvis, sermone ac religioso ritu varium, quam intimo Nos, quam paterno, uno aeque omnem, caritatis studio amplectamur, neminem in vobis arbitramur posse esse qui ignoret. Nam, brevi quidem sed tamen toto, anteacti Pontificatus tempore, nullam Nobis unquam elabi sivimus opportunitatem, qua id luculentissime demonstraremus. Praeterquam enim quod Polonum quemlibet ad Nos transmeantem admissione Nostra facilitate summa donavimus; mementote quae Nostra fuerit laetitia, quae exultatio animi quum, anno superiore, pia ex vobis fidelium agmina excepimus, quae ad Nos peregre salutatum venerunt. Quibus illos tunc verbis affati fuimus suavitate plenis! Quae etiam, nuper, iucunditas Nos hilaravit, quum lectissimam e scholis vestris iuventam spectare coram atque alioqui datum est! (i)

Utique, cur genti vestrae tantopere faveamus, Nobis non deest caussa; immo vero suppetit maxima. Memoria enim praeteritarum aetatum si quis cogitando repetat, nullam fere a Poloniae laude vacuam offendet: cuius profecto constantiae ac fortitudini debetur uni, si hostium christiani nominis impetus, religioni ac civili Europae cultui minitantium, fracti

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 37, **pag.** 768.

demum sunt ac propulsati. Manet maioribus vestris perpetuo haec laus, quod pectorum suorum praesidia, catholicis sacris tutandis, generose opposuerint; unde factum, ut catholici ac poloni nomen elapsis tempestatibus promiscue sit habitum. — Haec porro patrum exempla apud nepotes, qui nunc sunt,, vigere adhuc integra ac renovari, Nos plane confidimus : ut ideo eadem, quae fuit illorum, sit modo vestra in Apostolicam Sedem fides et observantia, valeatque simul necessitudo illa, qua gens polona cum Petri Cathedra arctissime semper coniuncta fuit.

Verum, quia difficillimum tempus sic postulat, animum modo ac sermonem ad eos singulariter e Poloniae civibus convertendum ducimus, qui vobis, Venerabiles Fratres, subiecti sunt ac Russico parent imperio. Quem enim afflicta, qua nunc illi utuntur, fortuna non moveat? Nos autem vel maxime, qui eos in numero filiorum carissimorum putamus- Ad vos igitur has litteras conscribimus, ut, interpretibus vobis, Nostri mens animi fidelibus singulis pateat; cunctisque, vestra opera atque hortatione, dicto, ut par est, audientibus, pax demum illa et concordia pariatur, quam optimi quique inter vos, studiis omnibus, sed ad hanc diem irritis, sunt prosequuti.

Cui quidem concordiae bono suadendo obtinendoque duo maxime conducere arbitramur, si ea quisque secum diligentius consideret : quae nimirum, quantaque sunt mala, quibus gens vestra hac tempestate premitur; quae quantaque officia, quibus, ad illa minuenda atque avertenda, Episcopi pariter ac fideles omnes gravissime tenentur.

Nam, ut de malis dicamus, singula ea .quidem persequi, longius foret quam praesens patitur institutum. Graviora porro, ac ceterarum fere miseriarum fons atque origo, factiones illae sunt turbulentissimorum hominum, quae nullibi non vigent, quaeque iuribus ac legibus evertendis natae, eo plane, suadendo, coniurando audendoque, incumbunt ut plebem,

perculsam terroribus, occupent, illamque, immani civilis consuetudinis damno, in nefaria quaeque corripiant. — His accedit, atque in eodem genere, natio illorum qui, caritatem patriae sed non sapientem perpetuo venditantes, *radicalismi,* uti vocitant, *nationalis* assectatores se profitentur. Quibus nimirum propositum est politicas animorum perturbationes ciere ac nutrire; quare commota plebs et obcaecata eo saepe excedit violentiae ac furoris, unde Poloniae vestrae, nihil tale meritae, retro fertur conditio atque afflictior in dies evenit. — Haec autem inter, turbis quidem faventibus atque immunitatem audendi praebentibus, pessimi quique, quibus divina humanaque miscere fas ac decorum videtur, immania faciunt flagitia, quae vel barbarae nationes horruerint; qualia, nuper, ut aliquid indicemus, publicae fuerunt iudaeorum caedes, quas equidem Evangelii lex, quae omnes promiscue diligendos iubet, detestatur ac reprobat. — Iamvero, dum talia ac tanta, fidenter nimium, scelestorum meditatur audacia ac porro patrat; quae vis, quae actio, ad illam comprimendam exefitur? Certe bonorum copiae ex maiore, immo vero maxima, polonae gentis parte conflantur. Ast arma, aegritudine quadam quae meliorum rerum expectationem extinguit, posuisse videntur ; et querelis contentae, nihil fere agitant ulterius, quod sit efficax maiorum tantorum remedium. — Equidem querelae vestrae iustae sunt; quibus Nos et querelas Nostras et lacrymas ex animo adiicimus. Querelarum tamen nullam esse utilitatem scitote, si non, foedere inito, quotquot Imperio Russico poloni parent, animum viresque omnes serio intendant, ut quae, perturbatorum ausu, sive religiosae rei sive politicae aut socialis detrimenta fecerunt, sarciant. — Veterem Poloniae fidem, Venerabiles Fratres, susceptosque pro religione sancta labores dum Nobiscum recolimus, eversamque vestram, quae modo est, conditionem consideramus ; generosa verba sponte succurrunt, quibus Mathatias moriens alloquebatur filios: *Nunc confortata est superbia, et castigatio,*

*et tempus eversionis, et ira indignationis: nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum, patrum, quae fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum* **(i).**

Huic tamen hortationi Nostrae ut secundi accedant exitus, videndum vobis est diligenter, quibus vos uti oporteat ad ea, quae proposita sunt, adiumentis. Ea vero Nos non aliunde repetimus, quam ex officiis, quibus quisque vestrum obstringitur. — Illud autem est caput, ut quam poloni ab avis et proavis catholicis catholicae religionis professionem, Deo dante, tenent, hanc semper pro merito aestiment rebusque ceteris omnibus anteponant. Quam profecto sic servent necesse est, ut non verbo solum neque lingua, sed opere et veritate impleant. — Exigit autem sanctissima Christi religio ut perturbationibus animi nunquam sinamus nos abripi, sed illas, contra, mens moderetur sana cogatque imperio subesse. Quamobrem catholici quotquot sunt, studiis partium prohibentur, quae latae a Deo legi adversentur. Nec plane a culpa eos eximit, quod humanis id agant utilitatibus. Rursus namque catholica doctrina nos admonet, aeternorum bonorum quaestus fluxis quibusque huius temporis emolumentis debere anteferri, secundum Domini verba: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum- patiatur?* (2)

Quo quasi fundamento posito, alterum sequitur: inter motus mutationesque, quibus modo Russicum Imperium turbatur, simulque ea pars Poloniae quae eidem paret Imperio, debere catholicos homines a pace atque ordine stare constanter. Qua in re meminisse omnes iuverit, quae, die **xix** Martii **MDCCCLxxxxiv,** Decessor Noster felicis recordationis ad vos perscribebat: « Qui vero sint sub potestate, debere con-

(1) **I Machab, n,** 49 **ss.**
(2) **Matth.** XVI, 26.

stanter reverentiam et fidem servare principibus, tamquam Deo regnum per hominem exercenti, eisdem obtemperare, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (i), pro ipsis adhibere obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones (2): debere sanctam custodire disciplinam civitatis: ab improborum machinationibus sectisque abstinere, nec quidquam facere seditiose: omnia conferre ad tranquillam in iustitia pacem tenendam ».

Hanc porro ut tranquillitatem pacis catholici, non solum adament votisque contendant, sed etiam, ut officium est, actuose maturent, partamque tutentur incolumem ; necesse ipsis omnino est ut, turbulentium sequuti exempla, in sodalitates coetusque coeant, ubi coniunctis consilio atque opere, pro religione ac patria cum efficacitate dimicent. Illud autem eiusmodi consociationibus propositum esse in primis debet, ut cessationes operum ex condicto, quae modo sunt frequentissimae cum immani communis boni iactura, omnino prohibeantur : eae autem ut tollantur penitus, levandis opificum ac proletariorum necessitatibus tum animi tum corporis ex veritate studeant. Quo in genere, laudabilis equidem est oratio, quam, superiore iunio exeunte, Venerabilis Frater Archiepiscopus Varsaviensis ad dominos operariosque habuit. Hortationem eius pariterque Nostram ut Poloni omnes accipiant alacriter, optamus et obsecramus. Videant universi ne quid patria ulterius detrimenti capiat. Quod ut ne fiat, nemo sit vestrum qui, ex praescripto Servatoris Christi, iustitiam nimirum et caritatem colendo tuendoque, civitatis conditionibus in melius provehendis diligentissime non adlaboret.

Unum vero est, quod singulari animadversione catholicorum dignum tenemus. Cum namque optimi utilesque civitati homines non aliter creentur, quam si rite probeque a pueris erudiantur; commune omnibus officium est, quacumque via

(1) **Rom.** XIII, 5.

(2) **I Tim. n,** 1-2.

ac ratione, quae legibus data sit, eniti et contendere, ut catholicis adolescentibus eiusmodi pateant gymnasia, ubi de catholicis institutis et moribus praeceptio sit ac - disciplina. Qua in re, Venerabiles Fratres, diligentiam vestram, quam equidem cognitam perspectamque habemus, excitare iterum placet. Vobis namque, aeque ac parentibus, christianae puerorum eruditionis procurandae onus officii est impositum. — Hic vero, quoniam in scholarum mentionem incidimus, omittere nequaquam possumus monere graviter adolescentes, qui studiis dant operam, ne, politicis de causis, a ludis celebrandis ex condicto cessent. Multa enim nec levia, quod Venerabilis Frater Archiepiscopus Varsaviensis iam innuit egregie, ex eiusmodi cessationibus tum privatim tum publice eveniunt damna.

Quo tamen haec omnia, quae huc usque exposuimus, effectu ne careant, restat, Venerabiles Fratres, quod vestrum demum est, ut omni studio omnique contentione ad adolescentem clerum rite informandum adiiciatis animum. Salus enim populi maxima ex parte a sacerdote pendet. Nunc autem, quoniam infesta adeo sunt tempora, sacerdotibus opus est, qui doctrina sana vitaeque sanctimonia praecellant, eaque animi generositate et constantia sint praediti, qua, carni et sanguini non acquiescentes, omnia contemnere, omnia perpeti pro Christo sint parati.

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, placet potentissimi Imperatoris vestri, cuius exploratum in Nos amicitiae animum habemus, sapientiam clementiamque publice laudare, quod edicto xxx die superioris Aprilis dato, de conscientiae libertate subiectos sibi populos securos fecerit. — Qui quidem concessus, unde cunctorum animi sunt recreati, cum edicto altero diei xxx Octobris confirmatus fuerit atque amplificatus ; oportet vos, Venerabiles Fratres, omni ope atque industria iuvare illos qui, sua sponte et voluntate, ad catholica sacra transire malint. Non politica res in his agitur, sed

tantum aeterna animarum salus. Est igitur Episcoporum ius atque officium normas praescribere, quibus utatur clerus in admittendis ad sacra nostra, qui libere id velint. Has normas, Venerabiles Fratres, ut collatis consiliis concordique sententia decernatis volumus; ita quidem ut in universis dioecesibus una atque eadem vigeat agendi ratio. Crescente autem fidelium multitudine, mittet profecto Dominus operarios in messem suam. Interim vero dilectos filios, sacerdotes dioecesum vestrarum, hortamur, ne duplicatum forte laborem fastidiant, illud memores, omnium divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum.

Ceterum monemus omnes ut tributa modo civilia iura modeste ac diligenter exequantur, eo videlicet spectantes unice ut parens Imperio Russico Polonia secundioribus semper conditionibus utatur. Quod sane ut obveniat, partes Nostras, utpote patris Poloniae vestrae amantissimi, apud potentissimum Imperatorem nunquam desiderabitis.

Munerum divinorum auspicem et singularis Nostrae caritatis testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et cleris populisque vestris amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III Decembris MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

# EX SACRO CONSISTORIO

## Pius PP. X dum laetatur de propagatione fidei inter infideles, dolet de Ecclesiae persecutione in nationibus catholicis.

*SSmus D. N. Pius PP. X die* **II** *Decembris igo5 in Palatio Apostolico Vaticano Consistorium secretum habuit, in quo sequentem Allocutionem pronuntiavit :*

*Venerabiles Fratres,*

Amplissimum Collegium vestrum iterum hac die spectare coram, equidem Nobis accidit iucundissime. Vellemus autem, ad hanc iucunditatem augendam, ea posse de Christi Ecclesia, cui praesumus, vobiscum communicanda proferre, quae laetitiam parèrent, optatoque animos solatio perfundefent. Quid enim Nobis, quid vobis desideratius, quam sedere Ecclesiam in pulcritudine pacis; filios eius, fortes in fide et caritate ferventes, sicut novellas olivarum esse in circuitu mensae illius ; reges et principes ambulare in splendore ortus eius ; et adorare vestigia pedum eius, omnes qui detrahebant ei, et vocare illam Civitatem Domini et Sion sancti Israel?

Sed heu ! scitis nimium, Venerabiles Fratres, atque intimo doletis corde, non hisce Nos conditionibus uti, eaque contra esse tempora, quae peiora in dies portendant, meliora praecipere vix sinant.

Utique, quod Dei miserentis est opus, annuntiatur fides in universo mundo : atque ibi laetiores occurrunt segetes, ubi, humano quidem iudicio, minus surrectura semina sperarentur. Regiones loquimur, ubi a catholica doctrina dissidetur, easque in primis quae vanis adhuc superstitionibus gentium detinentur. Crescit enim illic verbum Dei et augetur numerus discipulorum, loquente Deo pacem in plebem suam.

Verum, quod angore maximo commemoramus, si oculos animosque alio convertimus, ad nationes nimirum quae ea-

tholico censentur nomine ; quanta ubique trepidationum causa, quanta moeroris ! Metuimus plane ne plerisque impleatur quod scriptum est: Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus eius !

Qua de re, ea plane gens vehementissime his diebus sollicitos anxiosque Nos habet, quae gloriosa huc usque primigenae Ecclesiae filiae appellatione nuncupata est. Attamen de legibus, contra omnes iustitiae regulas adversus Ecclesiam ibidem nunc latis, mens est, opportuniore tempore, consideramus et gravius, pro Apostolico munere vos alioqui.

Ne tamen animos haec inter despondeamus, illud sane prohibet, Venerabiles Fratres, quod Christus in Evangelio saepe nos commonet ; eam scilicet in hisce terris Ecclesiae sortem perpetuo fore, quam Ipse sibi, pro hominum reparatione, sponte susceperat. Persecuti sunt me, persequentur et vos. — Eritis odio omnibus propter nomen meum. — Nolite mirari si vos odit mundus, quia me priorem vobis odio habuit. Quae cum vera esse non dubitemus, gloriemur in tribulatione nostra; quamdiu enim persecutionibus tentamur, responsum in nobis habemus requiescere super nos qui est spiritus Christi. Concutitur Ecclesia ; sed fides in tentationibus roboratur ; et qui probati sunt, manifesti fiunt in nobis, et auferuntur zizania de medio tritici. Caveamus igitur ne Christi unquam reprehensione mulctemur, quam Petrus, adhuc infirmus mediisque in fluctibus metuens, audivit: Modicae fidei, quare dubitasti? — Interea, officii memores, perseveremus unanimiter in oratione, omnigenaeque pietatis operibus conciliare nobis Dei clementiam studeamus ; qui, cum sanabiles fecerit nationes, tranquillitatem et pacem, statuto providentiae tempore, benignus impertiet.

Iam, Ordinem vestrum, quia nonnulli concessere naturae, supplere hodie decretum est. Quo in officio praestando, volumus etiam benevolentiae Nostrae testimonium Americae Latinae universae exhibere, honorem romanae purpurae in

eius fines primum inferendo. Quare placuit egregios viros designare quatuor, quos Collegio vestro accenseamus. Vario hi quidem in genere elaborarunt; sed omnes Ecclesiae et Apostolicae Sedi egregie se probaverunt.

Sunt autem:

IOSEPH SAMASSA, *Archiepiscopus Agriensis.*

MARCELLUS SPINOLA Y MAESTRE, *Archiepiscopus Hispalensis.*

IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, *Archiepiscopus Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.*

OCTAVIUS CAGIANO DE AZEVEDO, *Pontificiae Domus Nostrae Praepositus.*

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum:

IOSEPH SAMASSA

MARCELLUM SPINOLA Y MAESTRE

IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI.

Ex Ordine Diaconorum:

OCTAVIUM CAGIANO DE AZEVEDO.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

*Qua Allocutione habita, Sanctitas Sua sequentes S. R. E. Cardinales creare et publicare dignata est, videlicet ex Ordine Presbyterorum:*

*R. P. D. Ioseph Samassa,* **Archiepiscopum Agrien., qui natus est die 3o Septembris** 1828 **in Aranyos Marot, archidioeceseos Strigoniensis.**

*R. P. D. Marcellum Spinola y Maestre,* **Archiepiscopum Hispalen., qui ortus est die** 14 **ianuarii 1835 in insula S. Fernandi, dioecesis** Ga**dicensis.**

*R. P. D. Ioachim. Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti,* Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, qui genitus est die 17 Ianuarii i85o in Pernambuco, dioecesis Olindensis.

*Ex Ordine Diaconorum :*

*R. P. D. Octavium Cagiano de Azevedo,* Pontificiae Domus Praefectum, qui Frusinone ortum duxit.

*Deinde SSmus Dnus sequentibus ecclesiis providere dignatus est:*

*Ecclesiae titulari archiepiscopali Petren.* per R. P. D. Bernardinum Nozaleda y Villa, ex Ordine Praedicatorum, Archiepiscopum dimissionarium Valentinum.

*Ecclesiae titulari archiepiscopali Claudiopolitan.* per R. P. D. Iosephum Fiorenza, iam Archiepiscopum Syracusarum.

*Ecclesiae titulari archiepiscopali Nicosien.* per R. P. D. Caesarem Boccanera, iam Episcopum Narniensem.

*Ecclesiae titulari archiepiscopali Scythopolitan.* per R. P. D. Antonium Mariam Bonito, promotum ab ecclesia cathedrali Cassanensi.

*Ecclesiae metropolitanae Colocen, et Bacsien.* per R. P. D. Iulium Városy, promotum ab ecclesia cathedrali Alba-Regalensi.

*Ecclesiae metropolitanae Syracusan.* per R, D. Aloisium Bignami, archidioeceseos Mediolanensis, prolytam in Sacra theologia, praepositum parochum Basilicae S. Laurentii, examinatorem synodalem, Secretarium Collegii parochorum urbanorum aliarumque Commissionum archiepiscopalium, atque cancellarium Congregationum urbanarum cleri.

*Ecclesiae titulari episcopali Caesareae Philippi* per R. P. D. Iosephum Morticeli!, olim Episcopum Pennensem et Atriensem.

*Ecclesiae titulari episcopali Sidymen.* per R. P. D. Ioannem Ivánkovits, quondam Episcopum Bosnaviensem.

*Ecclesiae titulari episcopali Oê'n.* per R. P. D. Franciscum Bacchini, iam Episcopum Interamnensem.

*Ecclesiae cathedrali Nursin.* per R. P. D. Herculanum Marini, translatum ab ecclesia titulari episcopali Archelaidensi.

*Ecclesiae cathedrali Narnien., cui adnexa est Administratio dioeceseos Interamnensis,* per R. D. Franciscum Moretti, dioeceseos Aretinae, doctorem in sacra theologia et in iure canonico, archipresbyterum parochum, loci *Galatrona* ac vicarium generalem Aretinum.

*Ecclesiae cathedrali Rosnavien.* per R. P. D. Ludovicum Balas, dioeceseos Vaciensis, domesticum praesulem Sanctitatis Suae, canonicum in ecclesia cathedrali Vaciensi, examinatorem prosynodalem atque directorem episcopalis Cancellariae.

*Ecclesiae cathedrali Quinquecclesien.* per R. P. D. Iulium Zichy, dioe-

ceseos Albae-Regalensis, doctorem in iure canonico, abbatem titularem S. Martini de Bulach, intimum cubicularium de numero participantium Sanctitatis Suae.

*Ecclesiae cathedrali S\athmarien.* per R. D. Adalbertum Mayer, archidioeceseos Colocensis, doctorem in sacra theologia, canonicum in ecclesia metropolitana Colocensi, examinatorem prosynodalem, praesidem consistorii ac vicarium capitularem.

*Ecclesiae cathedrali Albae-Regalen.* per R. D. Ottocari Prohászka, archidioeceseos Strigoniensis, doctorem in philosophia et in sacra theologia, professorem sacrae theologiae in Universitate Budapestinensi.

*Ecclesiae cathedrali Eystetten.* per R. P. Leonem Mergel, Ordinis S. Benedicti, dioeceseos Eystettensis, doctorem in iure canonico, abbatem Mettenensem.

*Praeterea Sanctitas Sua sequentium ecclesiarum provisionem, iam Brevi peractam, publicavit :*

*Ecclesiae titularis archiepiscopalis Pessinuntiae* per R. P. D. Isaac Hagian, translatum ab ecclesia archiepiscopali Sebastensi et Tokatensi Armenorum.

*Ecclesiae metropolitanae Sanctae Severinae* per R. P. D. Carmeli Pujia, promotum ab ecclesia cathedrali Anglonensi et Tursiensi.

*Ecclesiae metropolitanae Bukarestien.* per R. P. Albinum Netzhammer, Ordinis S. Benedicti, archidioeceseos Friburgensis, olim Rectorem collegii graeci de Urbe.

*Ecclesiae cathedralis Ballaraten.* per R. P. D. Iosephum Higgins, translatum ab ecclesia cathedrali Rockhamptoniensi,

*Ecclesiae cathedralis Oklahomen., a Sanctitae Sua nuper erectae,* per R. P. D. Theophilum Meerschaert, translatum ab ecclesia titulari episcopali Sidymoruro.

*Ecclesiae titularis episcopalis Caesarien.* per R. P. D. Thomam Franciscum Brennan, olim Episcopum Dallasensem.

*Ecclesiae cathedralis Comen,* per R. P. D. Alphonsum Archi, translatum ab ecclesia cathedrali Comaclensi.

*Ecclesiae titularis episcopalis Cisamen.* per R. P. D. Ioannem Muradian, translatum ab ecclesia episcopali Marascensi seu Germanicensi Armenorum.

*Ecclesiae cathedralis Placentin.* per R. P. D. Ioannem Mariam Pellizzari, dioeceseos Tarvisinae, doctorem in naturalibus et mathematicis disciplinis, protonotarium Apostolicum, rectorem atque administratorem Seminarii Tarvisini, canonici primicerii et fabricerii ecclesiae cathedralis.

*Ecclesiarum cathedralium unitarum Tinen. et Miconen.* per R. D,

Ioannem Privilegio, dioeceseos Syrensis, quondam alumnum collegii pontificii urbani de Propaganda fide, parochum Io :i *Lauriun.*

*Ecclesiae cathedralis Spiren.* per R. D. Conradum Busch, eiusdem dioeceseos, canonicum decanum ecclesiae cathedralis.

*Ecclesiae cathedralis Sappen,* per R. P. D. Iacobum Sereggi, cubicularium honorarium Sanctitatis Suae, parochum Scodrensem in Albania.

*Ecclesiae cathedralis Tunquen,* per R. D. Eduardum Maldonado Calvo, archidioeceseos Bogotensis, prolytam in philosophia ac doctorem in sacra theologia, professorem sacrae scripturae in Seminario Bogotensi, examinatorem prosynodalem atque canonicum parochum metropolitanae.,

*Ecclesiae cathedralis Rockhamptonien.* per R. D. Iacobum Dubig, quondam alumnum collegii Hyberniae de Urbe, missionarium.

*Ecclesiae cathedralis Superioren., a Sanctitate Sua nuper erectae in Statibus foederatis Americae,* per R. D. Augustinum Schinner, vicarium generalem Milwaukiensem.

*Ecclesiae cathedralis Lahoren.* per R. P. Antonium Esterbans, ex Ordine Minorum Capuccinorum, archidioeceseos Mechliniensis, missionarium in Indiis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Argiven.* per R. D. Andream Caron, dioeceseos Vicentinae, vicarium foraneum et archipresbyterum parochum loci *Cologna Veneta,* deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Sigismundi Brandolini-Rota, Episcopi Cenetensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Olenen.* per R. D. Iosephum Robertum Cowgill, dioeceseos Loidensis, ibique vicarium' generalem, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Guilelmi Gordon, Episcopi Loidensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Calynden.* per R. D. Augustinum Franciscum Baslé, e Seminario missionum exterarum Parisiensi, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Eugenii Kleiner, Episcopi Mysuriensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Hippusen.* per R. D. Angelum Cattaneo, e Seminario missionum exterarum Mediolanensi, dioeceseos Bergomensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Ho-nanensis meridionalis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Tavian.* per R. D. Dominicum Pozzoni, e Seminario missionum exterarum Mediolanensi, deputatum in Vicarium Apostolicum Hom-Kom.

*Ecclesiae titularis episcopalis Siccen.* per R. P. Gustavum Mariam Bianche, e Congregatione Eudistarum, dioeceseos Venetensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Sinus S. Laurentii.

*Ecclesiae titularis episcopalis Lampen,* per R. P. Athanasium Goette,

ex Ordine Minorum, dioeceseos Paderbornensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Scen-Si septentrionalis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Cariopolitan.* per R. P. Claudium Chanrion, e Societate Mariae, archidioeceseos Lugdunensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Novae Caledoniae.

*Ecclesiae titularis episcopalis Casieri,* per R. P. Athanasium Harmel, e Congregatione Sacrorum Cordium, archidioeceseos Rothomagensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Verdier, Vicarii Apostolici insularum Tahiti.

*Ecclesiae titularis episcopalis Hiericuntin.* per R. P. Sebastianum Pifferi, ex Ordine Minorum, commissarium generalem missionum et collegiorum proprii Ordinis in Bolivia, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Michaelis de Sanctis Taborga, Archiepiscopi Platensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Flaviaden.* per R. P. Ioannem Trepnau, dioeceseos Culmensis, commissarium episcopalem pro Pelplinensi districtu ac canonicum decanum eiusdem cathedralis ecclesiae, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Augustini Rosentreter, Episcopi Culmensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Selinonten.* per R. D. Riccardum Collins, canonicum cathedralis ecclesiae Ushavv, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Thomae Wilkinson, Episcopi Hagulstadensis et Novacastrensis.

*Ecclesiae titularis episcopalis Carystien.* per R. P. D. Ioannem Graziani, dioeceseos Tudertinae, domesticum praesulem Sanctitatis Suae, doctorem in utroque iure, canonicum priorem cathedralis ac vicarium generalem Tudertinum.

*Monasterii B. M. V. Einsidlen.* per R. P. Thomam Aquinatem Bossart, e Congregatione Benedictina Helvetica, dioecesis Basileensis, doctorem in sacra theologia, decanum eiusdem Monasterii.

*Praeterea Sanctitas Sua die 14 Decembris eiusdem mensis et anni in Palatio Apostolico Vaticano publicum Consistorium habuit, in quo, more solito, Pileum Cardinalitium imposuit Emis ac Rmis Dñis Cardinalibus Arcoverde et Cagiano in privato Consistorio proxime habito creatis et publicatis.*

*Deinde SS. Dnus Noster Consistorium secretum habuit, in quo, clauso ore Emis ac Rmis Dñis Neo-Cardinalibus, infrascriptas ecclesias proposuit:*

*Ecclesiam metropolitanam Medellen.* favore R. P. D. Emmanuelis Iosephi Cayzedo y Cuero, translati ab ecclesia archiepiscopali Popayanensi.

*Ecclesiam metropolitanam Valentin,* favore R. P. D. Victoriani Guisasola y Menendez, promoti ab ecclesia cathedrali Matritensi-Complutensi.

*Ecclesiam metropolitanam Quiten,* favore R. P. D. Friderici Gonzalez y Suarez, promoti ab ecclesia cathedrali Ibarrensi.

*Ecclesiam cathedralem Bierden,* **favore R. P. D- Ioannis Antonii Ruano y Martin, translati ab ecclesia titulari episcopali Claudiopolitana.**

*Ecclesiam titularem episcopalem Bethsaiden.* **favore R. P. D. Antonii Xysti Albano, translati ab ecclesia cathedrali S. Ludovici de Maragnono.**

*Ecclesiam cathedralem Matriten,- Compluten.* **favore R. P. D. Iosephi Mariae Salvador y Barrera, translati ab ecclesia cathedrali Tirasonensi.**

*Ecclesiam cathedralem Mindonien.* **favore R. P. D. Ioannis Iosephi** Soles **y Fernandez, protonotarii Apostolici ad instar participantium, canonici ecclesiae metropolitanae Compostellanae, provisoris et vicarii generalis eiusdem archidioeceseos.**

*Ecclesiam cathedralem Tirasonen.* **favore R. D. Iacobi Ozcoidi y Udave, canonici poenitentiarii ecclesiae cathedralis Victoriensis.**

*Ecclesiam cathedralem Terulen.* **favore R. D. Ioannis Antonii de la Fuente, archidioeceseos Burgensis, doctoris in sacra theologia ac in iure canonico, parochi S. Laurentii et professoris sacrae theologiae in Seminario Burgensi.**

*Ecclesiam cathedralem de Caceres* **favore R. P. D. Georgii Barlin, protonotarii Apostolici ad instar participantium, Administratoris Apostolici eiusdem dioecesis.**

*Ecclesiam cathedralem de Piauhy* **favore R. P. D. Ioachimi Antonii d'Almeida, dioeceseos Parahybensis, intimi cubicularii supra numerum Sanctitatis Suae, vicarii generalis ac professoris theologiae moralis in Seminario Parahybensi.**

*Postmodum Sanctitas Sua, more solito, os aperuit Neo-Purpuratis, /actaque est postulatio Sacri Pallii pro metropolitanis ecclesiis Sanctae Severinae, Siracusana, Colocensi et Bacsiensi, Medellensi, Valentina, Quitensi, et Bukarestiensi, necnon Columbensi, et Turritana (ex successione), ac pro ecclesia cathedrali Quinquecclesiarum, quae hoc fruitur privilegio.*

*Insuper Sanctitas Sua anulum Cardinalitium praefatis Cardinalibus imposuit, assignavitque Emo Arcoverde titulum presbyteralem SS. Bonifacii et Alexii, et Diaconiam SS. Cosmae et Damiani Emo Cagiano.*

*Tandem SSmus Dnus litteris Secretariae Status praedictis Emis ac Rmis Cardinalibus sequentes Congregationes dignatus est assignare :*

*Emo et Rmo Dno Cardinali Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Archiepiscopo S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Consistorialem, Episcoporum et Regularium, Lauretanam, Studiorum.*

*Emo et Rmo Dno Cardinali Octavio Cagiano de Azevedo, Concilium, SS. Rituum, Caeremonialem, R, Fabricam S. Petri,*

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGREGATIONE INDICIS

### DECRETUM

**Quo duo damnantur opera a Lizzocci et Maggioni edita.**

*Feria III, die 12 Decembris 190J.*

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum **S.** R. E. Cardinalium a SSmo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 12 Decembris 1905, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

ONIELLO LIZZOCCI, *Nuovi orizzonti filosofici, ossia avviamento a nuovi studi di filosofia. Pistoia, G. Fiori e C. 1904.*

Dr. FRANCO MAGGIONI, *Questioni delicate. Roma, Forzani e C. 1904.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

ANTONIUS VOGRINEC, decreto S. Congregationis, edito die 3 Iunii 1904, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 13 Decembris 1905.

Andreas Card. STEINHUBER, *Praefectus*,

**L.** «f* S. Fr. Thomas Esser, *Ord. Praed., a Secretis.*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## ABELLINEN.

### DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

**Dispensatur ab irregularitate clericus cum dextero crure artificiali.**

**Supplex libellus.** Acolythus Ernestus Guerriero, dioeceseos Abellinensis, in aetate 25 annorum constitutus ac tenui investitus beneficio, cum a. 1902 ad Subdiaconatum promovendus esset, gravi morbo in genu dextero correptus, cruris amputationem sufferre debuit; cui defectui nunc supplet crure artificiali ita affabre elaborato, ut nedum ullam praeseferat extrinsecam deformitatem, verum etiam peragere queat absque incommodo omnes corporis motus, ipsa inclusa genuflexione. Quare petit dispensationem super praefata irregularitate ut ad maiores Ordines promoveri valeat.

Episcopus, rogatus ut super oratoris qualitatibus tum moralibus tum intellectualibus referret, necnon audiret caeremoniarum magistrum et iudicium medici periti exquireret, testatur praefatum clericum « bonis moribus ac pietate, communi ingenio scientiaque sufficienti praeditum, in Ecclesia Dei **non** inutilem ministrum fore, bono exemplo bonisque operibus fideles aedificaturum ». Caeremoniarius autem, peracto examine, deponit acolythum Guerriero omnes sacras caeremonias in Missae celebratione praescriptas exacte, absque ulla admiratione aut populi scandalo peragere, exceptis dumtaxat genuflexionibus a consecratione ad communionem inclusive, quibus tamen per profundas inclinationes supplere potest. Duo insuper periti medici, quamvis non iurati, ab Ordinario deputati testantur oratorem in praesentiarum bona gaudere valetudine, neque periculum adesse quod morbus iteretur.

**Animadversiones.** Corpore vitiati, praesertim vero quando mutilado est insignis, a ministerio altaris sunt ar-

cendi, quum prohibeantur a iure canonico, nimirum cap. i 2 et 3 *de cor p. vitiat,* necnon cap. 2 *de cleric. aegrotantes* quia « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem hoc *(Missae sacrificium)* fieri posse confidimus ». Hinc est quod plura extent exempla denegatae dispensationis; ita in *Patavina* 27 Apr. 1861 dispensatio denegata fuit clerico, qui deformatam habebat dexteram manum,, licet pollex et index essent integri ; in *Pampilonen.* 22 Novembr. 1856, et in *Policastren.* 21 Martii 1863 gratia non fuit concessa ob defectum sinistrae manus ; necnon in *Bergomen.* *21* Nov. 1903, in qua simile indultum denegatum fuit clerico, cui ob contractum morbum amputati fuerant duo pedes per ligneum instrumentum substituti.

Verum ex adverso S. Sedes, dicto defectu non obstante, ad benignius cum hisce clericis agendum inclinat, si hae duae praesertim circumstantiae verificentur, nempe vel quod defectus non impediat congruum Ordinis exercitium, vel quod deformitas sit talis quae non pariat scandalum aut admirationem in populo. Ita in *Bergomen.* 13 Iunii 1868 clericus indultum habilitationis ad sacros Ordines (quamvis cum clausula *pro gratia in exemplum non afferenda)* consecutus est, cui amputatus fuerat pes sinister, et facta fuerat substitutio per petlem fictitium authomaticum, licet eo utens paulisper claudicarci; item in *Adrien.* 11 Dec. 1875 clerico, cui crus cum parte coxae praecisum fuerat et ligneum instrumentum aptatum , rescriptum fuit : « Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo»; necnon in *Mediolanen.* 14 Apr. 1894 eadem gratia concessa fuit clerico qui, passus caesionem cruris sinistri, quamvis cum subrogato crure ligneo altaris gradus ascendere vel descendere valeret, tamen in genuflectendo difficultatem aliquam experiebatur, addita mente « ut Ordinarius ante gratiae concessionem certior et securus evaderet quod in usu

lignei cruris omne periculum irreverentiae in exercitio sacrorum Ordinum abesset ».

Atqui hae circumstantiae in proposito casu non videntur deesse. Praesto enim sunt testimonia sat laudabilia medicorum, Caeremoniarii ipsiusque Episcopi, qui insuper preces oratoris commendat; hinc eius ordinatio vertere in ecclesiae bonum et populi utilitatem dubitandum non videtur. Quin oggeratur contraria resolutio in *Bergomen.* 21 Nov. 1903 superius adducta; ibi enim agebatur de clerico pollenti ingenio et capacitate, quae vix dici poterat sufficiens, atque saetas caeremonias explere non poterat, quin aliquam admirationem aut scandalum inter fideles gigneret.

**Rescriptum.** S. C. Concilii, consideratis considerandis, die 26 Augusti 1905 respondere censuit:

*Pro gratia, onerata Episcopi conscientia super necessitate aut utilitate ordinationis oratoris in bonum dioecesis, facto verbo cum SSmo.*

**Colliges.** i°. Corpore vitiari ab altaris ministerio arceantur, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem sacrificium Missae litare valent.

2°. Attentis tamen peculiaribus circumstantiis, praesertim vero praeclaris clerici intellectualibus et moralibus dotibus necnon necessitate aut utilitate dioecesis, dispensatio benigniter largiri solet.

3°. In themate conceditur quidem petita habilitationis gratia, sed circa eamdem Episcopi conscientia oneratur.

## LUGDUNEN.

### IRREGULARITATIS

**Ab irregularitate non dispensatur pro nunc Diaconus morbo epiléptico laborans.**

**Supplices Preces.** Diaconus Ioannes M. Aloysius Seive, annum 26 agens, Lugdunensis dioecesis, exponit quod, post

Diaconatus susceptionem, epiléptico morbo correptus fuit, qui proinde eiusdem promotionem ad Presbyteratum prohibuit. Cum autem tractu temporis convulsiones morbi horis tantum nocturnis rariusque in dies evenerint; hinc dispensationem ab huiusmodi irregularitate exposcit. Oratoris instantiam Archiepiscopus Lugdunensis commendat. Petitioni adnexa invenitur attestatio medici periti, qui de meliori infirmi conditione deque probabili sanitatis recuperatione fidem facit.

**Animadversiones.** In primis videretur haud esse concedenda dispensationis gratia ; tum quia sacri canones districte conclamant ab altaris ministerio arcendos omnino esse eos, qui epiléptico morbo corripiuntur; tum quia desunt vel saltem non apparent in casu rationes sufficientes, quae semper de praxi requiruntur ad talem elargiendam dispensationem.

Primum evidentissime evincitur sive ex traditis in cap. i, 2 et 3 *de corp. vitiat.,* sive ex cap. 5 *de cleric. aegrot.,* sive ex cap. 3, Dist. 33, sive praesertim ex can. i, caus. 7, quaest. 2 in Decreto, ubi legitur: «Consulimus itaque ut, si frequenter hoc morbo *(caduco)* tangitur *(presbyter),* ab oblatione et Missarum celebratione modis omnibus prohibeatur. Indecens enim est et periculosum ut in consecratione Eucharistiae morbo victus epiléptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdicimus ». Cfr. Ferraris *{Bibl. can.,* v. Irregularitas, *h. 12),* Reiffenstuel *(Ius can., lib. I, tit. 20, n. 19),* Gonzalez *(Comm. ad tit. De corp. vitiat.).*

Quoad secundum vero constat in huiusmodi impedimentis S. Sedem non dispensare, nisi agatur in primis de evidenti necessitate seu utilitate ecclesiae, uti eruitur ex praxi H. S. C, et praesertim quando ille pro quo dispensatio petitur sit moribus valde commendabilis et non communi ingenio praeditus. Atqui utrumque in casu desideratur ; etenim Ordinarii litterae commendatitiae nullum continent verbum de dioecesis necessitate seu utilitate, et nihil innuunt de moribus ac ingenii

dotibus ipsius oratoris. Insuper parum fidendum est attestationi medici, quae non est iuramento firmata.

Demum expendi potest, quod morbi comitialis vis in Diacono Seive licet sit imminuta non tamen totaliter evanuit; hinc cum non adhuc convaluerit tutius fortasse foret respondere : « Pro nunc non expedire », uti primum factum fuit in una *Venetiarum - Irregularitatis,* quamvis deinde gratia cum nonnullis cautelis fuerit concessa die 12 Sept. 1896, et in alia *Treviren. - Dispensationis ab irregularitate,* in qua primum rescriptum fuit « Pro nunc non expedire », deinde « Dilata ad sex menses exhibito etiam documento alterius medici ab Episcopo deputandi », et tandem indultum elargitüm fuit.

Ex altera vero parte non videntur deesse sufficientia motiva, quae gratiae concessionem in themate suadeant. In primis enim adest necessitas vel utilitas ecclesiae, nec non boni mores et ingenium promovendi. De hisce mentionem non facit expressam Emus Archiepiscopus, sed tamen optime ex eius uteris commendatitiis haec requisita praesumi seu deduci possunt. Non enim commendasse! preces eius qui vel inutilis absolute foret ecclesiae, vel omnino inhabilis vel indignus. Accedit quod medicus de non communi oratoris ingenio expresse testatur.

Insuper compertum est Papam facilius dispensare cum iam promoto, ne afflicto afflictio detur, et maxime si absque culpa accesserit impedimentum ; cap. 2 *de cler. aegrot.;* cap. i *de corp. vitiat.;* in una *Comen.* 6 Maii 1775 et 11 Iul. 1776; in una *Bajonen.* 20 Martii 1824; in una *Asturicen.* 27 Febr. 1869, et in una *Ceriniolen.* 20 Dec. 1902. Haec autem circumstantia in casu minime desideratur, cum promovendus iam sit in Ordine diaconali constitutus; quare facilius locus fit indulgentiae. Praeterea, ut notat Schmalzgrueber *(Ius eccl., tom. I, part. 3, tit.* ***20),*** hic morbus epilepsiae non inducit semper et absolute per se irregularitatem, sed tunc solum quum iudicio peritorum potest impedire altaris servitium ; et

tunc solum quis est ratione huius morbi absolute inhabilis, cum actu eo laborat. Hinc nec esset dispensationi locus si probabiliter constaret morbum actu non adesse. Imo eo facilior redditur dispensatio quando tales sint morbi circumstantiae, quae opinionem sat probabilem inducant vel disparuisse morbum vel certo et proxime cessatum iri; Cfr. Lega *(De iudiciis, vol. 3, pag. jji).* Iamvero ex allata medici attestatione tales sunt circumstantiae morbi in Diacono Ioanne M. Seive, qui admodum raras ac levissimas patitur convulsiones tempore dumtaxat nocturno, atque insuper adest fundata spes perfectae valetudinis.

Neque profecto desunt exempla harum concessionum; sic, aliis omissis, H. S. C. in una *Reatina* et *Nursina* 14 Maii 1831 dispensavit cum quodam clerico qui, dum in Seminario moraretur quater vel quinquies in ultimo domicilii sui anno tali fuit affectus morbo. Eadem dispensatio die 26 Ianuar. 1878 concessa fuit clerico Paschali Ruffa, uti patet ex una *Tropien. - Dispensationis ab irregularitate.* Casus inibi tractatus erat fere praesenti consimilis. Nam etiam clericus Ruffa morbo abripiebatur licet interruptim nocturno tempore, atque id asserebatur ex medici testimonio non tamen iurato. Hisce vero non obstantibus S. H. C, attentis praeclaris clerici qualitatibus et necessitate ecclesiae nec non circumstantia levitatis et horae nocturnae morbi, oratoris precibus annuit per rescriptum: « Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum SSmo ». In themate vero alia gravis etiam concurrit circumstantia, cum agatur de clerico iam in diaconatus Ordine constituto.

**Responsum.** Emi Patres S. C. C, omnibus sedulo perpensis, die 26 Augusti 1905 rescribendum mandarunt:

*Modo non expedire.*

**Colliges.** i°. Sacri canones speciali modo arcent a ministerio altaris morbo epiléptico laborantes.

2°. Ex praxi huius S. C. huiusmodi dispensatio non con-

•ceditur nisi de necessitate vel saltem ecclesiae utilitate, necnon de praeclaris clerici qualitatibus sive intellectualibus sive moralibus constet.

3°. Requiritur praeterea ut adsit moralis certitudo morbum caducum disparuisse vel saltem proxime cessatum iri.

4°. In casu vero cum, coeteris omissis, morbus comitialis non undequaque evanuerit, dispensationis gratiam pro nunc concedendam non esse decernitur.

## LEODIEN.

### NULLITATIS MATRIMONII

**Matrimonium in casu declaratur nullum ob impedimentum dirimens affinitatis antecedentis in primo gradu lineae collateralis ex copula illicita.**

**Factispecies.** Robertus N., dioeceseos Leodiensis, prius cum quadam meretrice Theresia N., dein vero cum eius sorore Catharina, perdita item foemina, illicitas relationes fovit. Interea Roberti pater eiusmodi relationes abrumpere satagens, in Canadensem regionem ipsum misit; verum cum et illuc •Catharina advenisset, die 15 Iulii 1901, quin ulla ab impedimento dirimente affinitatis dispensatio petita fuerit, matrimonium coram parocho illius regionis inter eos celebratum est. Cum vero insequenti anno sponsi in Belgium rediissent, et vir de inhonesta uxoris vita suspicatus sit, de dissolvendo -coniugio cogitavit, et revera a. 1903 a laica potestate petiit obtinuitque sui matrimonii nullitatem ob publicitatis defectum. Postea idem Robertus, praehabita cum quodam Religioso consultatione, ab ecclesiastica auctoritate petiit ut eiusmodi matrimonium etiam in foro Ecclesiae nullum declararetur ex impedimento dirimente affinitatis tunc primum detecto.

Quare Leodiensis Curia, rite tribunali constituto, retenta impedimenti affinitatis existentia in primo gradu lineae çoliateralis ex copula illicita ante matrimonium ab eo cum mu*

lieris sorore habita, nec non eiusdem impedimenti ex parte actoris ignorantia, quin proinde super eodem ulla petita ac concessa fuerit dispensatio, die 8 Apr. 1904 dictum matrimonium nullum declaravit. Defensor vero matrimonii ex officio, ratus affinitatem antecedentem in casu haud debitis fulciri rationibus, appellationem instituit apud Mechliniensem Curiam, quae potius duxit ut causa directe ad S. Sedem deferretur. Et revera H. S. C, postquam completiora processus acta recepisset, in hisce plenariis comitiis rem discutiendam proposuit.

**Allegationes actoris.** Patronus viri demonstrat imprimis testes excussos esse omni exceptione maiores; qui vicissim unanimiter deponunt virum fide dignum esse. Quae omnia, et ipse Episcopus Leodiensis confirmat. Advocatus praeterea, contendit nullam ab affinitatis impedimento dispensationem petitam fuisse ante matrimonii celebrationem, videlicet tum ex eo quod sponsi penitus ignorabant se hoc impedimento» detineri, tum ex testimonio duorum presbyterorum, parochi coniugium benedicentis, et ipsius Ordinarii.

Deinde patrocinator recolit notum esse in iure affinitatem, ex illicita copula provenientem, matrimonium dirimere usque ad secundum inclusive gradum cuiuslibet lineae, iuxta praescriptum Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 4 de Reform, matr.)*. Et quidem cum id nequeat testibus de visu probari, factum est ut ad constituendam carnalis commercii probationem, violentam iura requirerent praesumptionem, iuxta illud : *Per violentam praesumptionem probatur carnis copula,* prout in* *cap. 12 et iß, tit. 2ß, lib. 2 Decretalium* legitur.

Addit praeterea advocatus huiusmodi impedimentum non? occultum sed publicum esse debere, cum a testibus probari debeat. Et ad rem affert Benedictum XIV *(Inst. eccl. 8j, n. 44 et seq.)* qui, citans Fagnanum (Comm. *in cap. j, n. 45 et seq.,* de cohab. cler. et mul.) habet : « Et primum ostendit illud occultum impedimentum dici, quod nullo pacto demon-

strari potest et Dei solum iudicio permittitur ; impedimentum vero quasi occultum illud esse, quod solum duobus, tribus aut quinque testibus comprobatur » ; Cfr. alii auctores ibidem citati. Concludit igitur advocatus dici non posse occultum nec quasi occultum impedimentum quod plusquam tribus aut quinque testibus comprobatur.

Hinc demonstrare satagit idem matrimonium nullum esse, eo quod affinitatis impedimentum publicum revera extitit, veluti ex plurium testium iurata depositione evincit, eo vel magis quod in casu agitur de publica meretrice.

**Allegationes defensoris vinculi ex officio.** Matrimonii Vindex e contra animadvertit, quod quamvis ad probandum affinitatis impedimentum non requirantur ex. gr. testes de visu, ad declarandum tamen nullum ex hoc capite matrimonium, certae requiri debeant probationes, quae prorsus quodlibet dubium in contrarium excludant. Iamvero hanc plenam probationem in casu haud existere ipse contendit, sive quia depositio viri non videtur attendenda, qui minus honestum se exhibet, quum suam turpitudinem potiusquam incuset eam extollat, sive quia eius uxor turpes huius relationes cum Theresia sua sorore ignorasse affirmaverit.

Recolit praeterea ad contrahendum affinitatis impedimentum non quamcumque copulam requiri sed perfectam et consummatam, quae sit nempe ad generationem apta, iuxta certissima consectaria: « *a)* minime oriri vinculum affinitatis cum consequenti impedimento dirimenti ex turpissimis quibusve actibus citra naturalem copulam, ut v. g. ex copula sodomitica, onanistica, etc. ; *b)* hodie ob morum perversionem facillime esse ambigendum de existentia impedimenti, quum notissimum sit perplures esse qui vel ad morbos vitandos, vel ad declinandam prolem venere utuntur contra naturam ». Equidem non inficiatur Vindex sponsum deponere de perfecta copula, sed addit deficere attestationem alterius seu Theresiae, quae comparere renuit. Hinc, iuxta Defensorem

vinculi, dubium semper remanet, utrum copula in casu fuerit necne completa.

**Dubium.** *An sententia Curiae Leodiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

**Resolutio.** S. Congr. Concilii, omnibus hinc inde perpensis, die 26 Augusti 1905 respondendum censuit:

*Sententiam esse confirmandam.*

**Colliges.** 1°. Affininitas antecedens ex copula illicita proveniens usque ad secundum gradum inclusive matrimonium dirimit.

2°. Ad huiusmodi affinitatem constituendam nedum relationes illicitae sed copula perfecta et consummata requiritur.

3°. Consummatio autem copulae, utpote res ex natura sua secreta, quamvis directis probationibus ostendi nequeat, attamen indiciis non aequivocis ac praesertim violentibus praesumptionibus est probanda.

4°. In themate non solum constat affinitatem ex fornicatione intercessisse, sed etiam nullam ab ea petitam fuisse ante matrimonium dispensationem.

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## TERGESTINA ET IUSTINOPOLITANA

### Circa absolutionem in articulo mortis et recitationem Officii divini in lingua vernacula, necnon circa Missam.

Rmus Dnus Franciscus Nagl, Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus, Sacrorum Rituum Congregationi sequentes quaestiones solvendas humillime proposuit, nimirum:

I. An fideles absolutione in articulo mortis in lingua vernacula peracta, sicuti modo pluries fit, indulgentias lucrari queant ?

II. In Missis de Requie post elevationem loco *Benedictus*, Litaniae uti ex Rituali Romano in ordine commendationis animae, vel Lauretanae, canuntur, et huiusmodi Missae fiunt lectae. Insuper in Missis cantatis de die, intonato *Credo* sacerdos prosequitur Missam uti lectam usque ad Praefationem. Quaeritur an haec tolerari possint?

III. An sacerdos lingua vernacula Officium divinum Breviarii Romani ex. gr. Nativitatis Domini, defunctorum etc. cum populo peragens, vel Litanias Sanctorum in Processionibus Rogationum eadem lingua persolvens, teneatur has partes Breviarii Romani in lingua latina iterum recitare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Negative*, quia haec benedictio in articulo mortis est precatio stricto sensu liturgica.

Ad II. *Negative*, et hos abusus omnino esse eliminandos.

Ad III. *Affirmative ;* nam qui ad recitationem divini Officii et cuiusque partis Breviarii Romani sunt obligati, tantum in lingua latina haec recitari debent, alias non satisfaciunt obligationi.

Atque ita rescripsit. Die 3 Iunii 1904 (i).

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

### PROVINCIAE RHEGINENSIS

**De festo Patroni principalis dioecesis et regionis a Capuecinis celebrando.**

Hodiernus Redactor Kalendarii pro Rheginensi Provincia Ordinis Minorum Capuccinorum, de consensu sui Rmi Pro-

(1) **Huiusmodi decisio hodie primum in lucem prodit** *(N. R.).*

curatoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, in decreto sa. me. Leonis PP. XIII, sub die 4 Decembris 1904, inserto in Breviario eiusdem Ordinis novissimae editionis, ac incipiente *Qui primo,* inveniri haec verba: « dimissis quibuscumque aliis Officiis, sive dioecesanis, praeter Officia Patroni praecipui Loci, Titularis ac Dedicationis ecclesiae Cathedralis, etc. ». Hinc idem orator sequentia dubia solvenda proposuit :

I. Utrum in illis locis ubi deest Patronus praecipuus Loci, Fratres Capuccini teneantur ad Officium Patroni praecipui dioecesis, et quidem cum onere audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus?

II. Utrum per praefatum Decretum abrogatum fuit Officium S. Ianuarii Episcopi et Martyris ac Patroni principalis totius regionis Neapolitanae, cuius festum sub duplici praecepto celebratur?

III. Utrum adhuc censeatur vigere privilegium iam obtentum celebrandi supradicta Officia prout extant in Propriis respectivarum dioecesium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad utramque partem.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 22 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. *|> S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

## RHEMEN.

### **Quibus in festis prohibeantur exsequiae defunctorum.**

Sacra Rituum Congregatio per decretum *Parentin, et Polen,* die 8 Ianuarii 1904, rescripsit dies quibus prohiben-

tur exsequiae pro defuncto, cum effertur corpus, esse « omnia festa quae uti primaria sub ritu duplici I classis et quidem de praecepto celebrantur; et si non sint de praecepto, illae Dominicae ad quas praefatorum festorum solemnitas transfertur » (i). Exorta autem controversia de sensu quo intelligenda et dicenda sint festa de praecepto, Rmus Canonicus Calendarii Rhemensis ordinatur, de consensu Rmi Dñi Vicarii Capitularis, Sede vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem humillime flagitavit ; nimirum :

I. An festa de praecepto illa sint in quibus, praeter obligationem a parocho adimplendam (2), adest quoque altera et quidem duplex obligatio parochianis imposita, nempe tum Missam audiendi, tum ab operibus servilibus cessandi?

II. An exsequiae cum Missa, praesente corpore, fieri possint in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem non transfertur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative* iuxta decretum n. 4003 *Carcassonen.*, quaest, i ad II et III (3).

Atque ita rescripsit. Die i Decembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f> S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 427 et 428.

(2) Applicandi nempe Missam pro populo *(N. R.).*

(3) Quod ad rem mostrarci ita se íïabet: « .... II. Num praedicta decreta *(quae videlicet cani permittunt Missam exequialem, praesente cadavere, in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem transfertur)* applicanda sint et intelligantur etiam de festis suppressis, quorum solemnitas non transfertur in Dominicam sequentem....? *Et quatenus negative:* III. Postulatur a S. R. C. ut hanc aequalitatem stabilire velit, decernendo scilicet ut Missa exequialis, praesente cadavere, cani possit etiam *in huiusmodi festis suppressis....,* quando incidunt in dies infra hebdomadas et celebrantur sine concursu po-

## ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIAE

**De Benedictionibus ad Matutinum et Antiphona ad Completorium in festo S. Familiae, deque Lectionibus in festis duplicis minoris *I* classis.**

Rmus P. Pius Maria Mayer, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum, liturgiam Ordinis respicientium, solutionem humillime postulavit, videlicet:

I. An in festo S. Familiae ad Matutinum ante Lectiones dicendae sint Benedictiones communes, an vero propriae festorum B. M. V.?

II. An in eodem festo ad *Nunc dimittis* in Completorio dicenda sit Antiphona *Alleluja: Verbum caro factum est, Alleluja: et habitavit in nobis Alleluja: Alleluja?*

III. An praeter eas quae in Breviario Ordinis edito anno 1886 iam sunt inscriptae, Lectiones primi nocturni in festis dupl. min. I classis, legendae sint de Communi, vel de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die i Decembris 1905 (i).

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

puli ? » - Et S. R. C. die 16 Nov. 1898 rescripsit: « .... Ad II. *Negative;* Ad III. Provisum in II, et non expedire ».

(i) Cfr. infra pag. 365 Commentarium huius Decreti *(N. R.).*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

## PATAVINA

**De Indulgentiis pluries lucrandis, deque ecclesia parochiali propria.**

Ad S. Congñem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita m a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectae in ecclesia eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata:

I. An qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi Indulgentias, quas stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus ?

II. Quando conceditur plenaria Indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus ecclesiis alicuius Ordinis, vel alicuius dioeceseos, haec Indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur ecclesiae eiusdem Ordinis aut dioceseos ?

III. Cum diversi Ordines, ex. gr. Benedictini, Franciscales etc. pro uno vel altero festo gaudeant plenaria Indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias ecclesias, huiusmodi Indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas ecclesias eorumdem Ordinum, praesertim si haec Indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus ?

IV. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur visitatio ecclesiae parochialis, haec debetne esse ecclesia parochialis propria illius, qui vult indulgentias lucrari, an alia quaecumque?

V. An sub nomine ecclesiae parochialis propriae veniat tantummodo illa domicilii, vel etiam quasi domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris ?

Et Emi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita die 31 Augusti 1905 respondendum mandarunt:

Ad L *Negative* iuxta Decretum *Delatae saepius* diei 7 Martii 1678 (i).

Ad II. *Affirmative,* idest acquiri potest Indulgentia una vice tantum, sed in singulis ecclesiis eiusdem Ordinis seu dioeceseos.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Ad IV. *Affirmative* quod primam partem; *negative* quoad secundam.

Ad V. *Negative* quaod primam partem; *affirmative* quoad secundam et tertiam.

De quibus facta relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. X in Audientia habita die 13 Septembris 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congñis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, SSmus Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 13 Septembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

**Indulgentiae largiuntur recitantibus preces " O clementissime Iesu „ et " Benedictum sit „.**

*Beatissimo Padre,*

Gabriele Mallet, Procuratore Generale delia Congregazione di Gesù e Maria (Eudisti), prostrato ai piedi della S. V.

(i) HOC decretum ad rem ita se habet: « Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse *(Sanctitas Sua)* declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri ».

umilmente implora a favore di tutti quelli che aggiungeranno al *Sacrosanctae* dopo la recita dell'ufficio divino o dell'ufficio della B. V. la preghiera infrascritta *O clementissime Iesu,* l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno e la plenaria in ogni mese collé condizioni ordinarie.

Inoltre implora umilmente gli stessi favori per tutti coloro -che reciteranno l'altra preghiera *Benedictum sit.*

*O clementissime Iesu gratias ago tibi ex toto corde meo. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego hanc actionem offero divino Cordi tuo emendandam atque perficiendam, ad laudem et gloriam sanctissimi Nominis tui et beatissimae Matris tuae, ad salutem animae meae totiusque Ecclesiae tuae. Amen.*

*Benedictum sit Cor amantissimum et dulcissimum Nomen Domini Nostri Iesu Christi et gloriosissimae Virginis Mariae Matris eius in aeternum et ultra.*

**IUXTA PRECES**

Die 30 Novembris 1905.

PIUS PP. X

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die **2** Decembr. 1905.

L. «$• S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

# EX VICARIATI! URBIS

## Normae pro examinibus ad Ordines penes Vicariatum Urbis, ad tramitem " Motus Proprii „ S. S., diei 16 Iulii 1905 (i).

**i.** Per essere ammesso all'esame *ad Ordines* ogni candidato dovrà fare apposita istanza, da depositarsi nella Segreteria del Vicariato, dove s'indicherà a ciascuno il giorno del suo esame (2).

(i) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 8-10, § V.

f2) Insequenti epistola dantur normae pro documentis exhibendis, quae innuimus in *Actis S. Sedis,* vol. 36, pag. 5io-5i2.

AI RR. RETTORI DEI SEMINARI E COLLEGI
ED AI RR. SUPERIORI DELLE CASE RELIGIOSE IN ROMA

In conformità dell'incarico ricevuto dall' Emo Sig. Card. Vicario, il sottoscritto ha l'onore di rimettere alle Signorie e Paternità Vostre Rme la Nota di tutte le *Sacre Ordinazioni, Generali e Particolari,* che avranno luogo in questa città nel corso dell'anno,' e si pregia di ricordare che la pratica delle Ordinazioni dei membri di Seminari, Collegi e Istituti Religiosi, deve farsi in questa Segreteria, unicamente a mezzo del *Superiore stesso* della comunità o di *persona ecclesiastica* dal Superiore stabilmente incaricata.

Il tempo utile per consegnare i documenti relativi a ciascun Ordine, incomincia *trenta giorni* prima dell'Ordinazione e termina *dieci giorni* prima di essa, anche per coloro che aspirano alla Tonsura o agli Ordini Minori.

Ritardandosi tale consegna, anche di *un sol giorno e per qualsiasi causa, anche involontaria,* il candidato ritardatario sarà, senz'altro, rinviato ad altra Ordinazione successiva.

Verrà pure rinviato ad altra Ordinazione chiunque, degli Ordinandi *in sacris,* non farà, *la mattina che precede il giorno dell'Ordinazione,* recapitare in questa Segreteria, il certificato attestante che egli ha eseguito, debitamente e per dieci giorni continui, il prescritto Ritiro Spirituale ed ha imparato le cerimonie dell'Ordine al quale aspira.

Nei dieci giorni di Ritiro vien calcolato quello dell' entrata, la quale ha luogo nel pomeriggio, circa un'ora prima *deWAve Maria.* 11 Ritiro, tuttavia, deve terminare la mattina stessa dell'Ordinazione, ossia la mattina dell' undecimo giorno. I Superiori delle Case d'Esercizi non devono permettere prima di tal giorno l'uscita degli Ordinandi.

**2.** L'esaminando, nella sua istanza pel Suddiaconato o per un altro Ordine maggiore, indicherà il trattato o i trattati teologici su i quali vuole essere esaminato; e aggiungerà, nella medesima istanza, l'indicazione del giorno nel quale subì l'esame pel Suddiaconato, se egli aspira al Diaconato, o dei giorni ne' quali subì gli esami pel Suddiaconato e pel Diaconato, se aspira al Presbiterato.

3. L'elenco dei trattati fra i quali l'esaminando è libero di scegliere è quello qui sotto riportato. A ciascun trattato si fa seguire la serie, o punti dottrinali, su i quali verserà l'esame.

**4.** Per la Prima Tonsura o per ciascuno degli Ordini Minori, l'esame non durerà più di 10 minuti; pel Suddiaconato, non più di 20; pel Diaconato, non più di 30; pel Presbiterato, non più di 40.

**5.** Gli aspiranti agli Ordini, Minori o Maggiori, che si presentassero all'esame senza la Tonsura ben visibile, non saranno esaminati.

**Tutte le dispense occorrenti all'Ordinando, ed eccedenti le facoltà dell'Emo Vicario, come la dispensa dall'** *Extra Tempora,* **dall' Età, Studi, ecc. devono ottenersi dalla Santa Sede, a cura dell'Ordinario.**

**Quanto** *all'Extra Tempora,* **in questo Vicariato non è sufficiente il titolo de' Regolari, fondato sopra la semplice comunicazione de' privilegi fra i medesimi, ma si richiede uria esplicita concessione, posteriore al Tridentino.**

**Lo stesso vale per la dispensa degli** *Interstizi.*

**I Tonsurandi non portino i capelli troppo corti, per non rendere difficili i tagli, che nei capelli stessi dovrà fare l'Ordinante.**

**Gli esami per le Ordinazioni (come per le Confessioni) hanno luogo nelle sale del palazzo dell'Emo Vicario, (Via della Scròfa, n.** 70), **alle ore** 9 **ant. ordinariamente il mercoledì di ogni settimana. Vengono però sospesi dal mercoledì prima dell'Ordinazione Generale di Settembre 'fino al mercoledì dopo l'undici di Novembre.**

**Segreteria del Vicariato,** 3 r **Décembre** 1904.

**Francesco Can.** FABERI, *Segretario.*

6. Questo regolamento andrà in vigore col i° del prossimo Novembre (i).

Roma, dalla Nostra Residenza i Agosto 1905.

PIETRO Card. Vicario

L. «f- S. Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

ELENCHUS TRACTATUUM THEOLOGIAE PRO EXAMINIBUS " AD ORDINES „.

**I.** — *De vera religione.*

i),Quid religio, — **2)** religio naturalis, — 3) religio supernaturalis seu revelata, — **4)** revelatae religionis necessitas, — **5)** revelationis duplex obiectum, — **6)** Iesu Christi divina missio, — **7)** quae ipsius probatur doctrina, — **8)** miraculis, — 9) resurrectione.

II. — *De Ecclesia Christi, et de Romano Pontifice.*

i) Quid Ecclesia, — 2) eius institutio et existentia, — 3) perfectio, — **4)** proprietates, — **5)** notae, — **6)** membra, — **7)** anima, — **8)** corpus, — 9) caput, — io) capitis praerogativa duplex, — **11)** duplex primatus extensio, — **12)** duplex infallibilitatis obiectum, — i 3) infallibilitatis conditiones, — **14)** concilia.

III. — *De Divina traditione et Scriptura.*

i) Quid traditio, — **2)** eius divisiones, — 3) quibus mediis dignoscatur et servetur, — **4)** traditio activa et passiva, — **5)** evolvi non augeri traditio potest, — **6)** quid Scriptura, — **7)** quid inspiratio, — **8)** Scripturae auctor Deus, — 9) librorum canon, — io) Scripturae partes protocanonicae, et deuterocanonicae, — **11)** canon tridentinus*, — **12)** Vulgatae authentia, — **1**3) multiplex Scripturam inter ac traditionem differentia.

IV. — *De Deo Uno.*

i) Existentia Dei, eius demonstrabilitas ac demonstratio, — **2)** demonstrationum genera, — 3) Dei perfectiones; unitas, — **4)** infinitas, — **5)** simplicitas, — **6)** immensitas, — **7)** aeternitas, — **8)** omnipotentia, —

**(i)** Il libro sul quale possono prepararsi gli esaminandi è *V Instructio pro iis qui sunt examen subituri,* etc. dei P. Luigi Togni.

9) scientia Dei; eius obiectum, — io) medium, — 11) Voluntas divina; eius necessitas ac libertas, — 12) Voluntas Dei antecedens et consequens, — 13) providentia, — r4) praedestinado.

## V. — *De Deo Trino.*

i) Quid Trinitatis mysterium, — 2) in Deo natura, processiones, personae, relationes, notiones, — 3) Verbi processio, ac divinitas, — 4) processio Verbi generatio est, — 5) Spiritus Sancti processio ac divinitas, — 6) processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, — 7) quando et ubi definitum, — 8) De additione vocabuli *Filioque* in symbolo fidei, — 9) Spiritus Sanctus procedit in aequalitatem divinae naturae, non tamen ut Filius, — io) Trinitatis mysterium naturali rationi impervium, — 11) De haeresibus contra Trinitatem.

## VI. — *De Deo creante et elevante.*

i) Quid creatio, — 2) creationis factum ostenditur, — 3) libertas creationis, huius propositionis certitudo, — 4) dies creationis, — 5) hominis creatio, — 6) angelorum creatio, — 7) varii humanae naturae status, naturae purae, integrae, lapsae, reparatae, — 8) Dona supernaturalia, — 9) peccatum primi hominis, — 10) originalis culpae propagatio, — 11) Immaculata Beatae Mariae Virginis conceptio.

## VII. — *De Verbo Incarnato.*

*i)* Quid incarnatio, — 2) cuius generis unio, — 3) finis eius, — 4) Christi voluntas, — 5) operatio, — 6) meritum, — 7) cultus latriae humanitate Christi exhibendus, — 8) Divina Beatae Mariae Virginis maternitas, — 9) quibus modis fuerit negatum mysterium incarnationis.-

## VIII. — *De gratia Christi.*

i) Quid gratia, — 2) gratiae divisiones, — 3) necessitas, — 4) efficacia, — 5) meritum, — 6) meriti obiectum, — 7) quae cum gratia connectantur.

## IX. — *De Sacramentis in genere.*

i) Quid sacramentum, — 2) veteris ac novae legis sacramenta, atque inter .ea discrimen, — 3) sacramentorum novae legis numerus et* divisiones, — 4) materia et forma, — 5) minister eiusque fides, probitas, intentio, —- 6) necessitas, — 7) efficacia, — 8) efficaciae modus, — 8) character, — io) duplicem gratiam producunt sacramenta novae legis, — 11) tria in eis sunt.

**IX bis (1).** — *De baptismo, de confirmatione, de extrema unctione.*

**1) Quid baptismus, — 2) eius institutio, materia et forma, — 3) minister ac subiectum, — 4) species, — 5) effectus, — 6) necessitas, ac reviviscentia, — 7) quid confirmatio, — 8) eius institutio, materia et forma, — 9) minister et subiectum, — 10) effectus, — 11) necessitas, — 12) quid extrema unctio, — 13) eius institutio, materia et forma, — 14) minister et subiectum, — 15) effectus, — 16) necessitas, — 17) iteratio.**

**X.** — *De Sacramento Poenitentiae.*

**1) Quid sacramentum Poenitentiae, — 2) eius institutio, — 3) materia, — 4) forma, — 5) minister, et subiectum, — 6) necessitas, — 7) effectus, — 8) num poenitentiae sacramentum possit esse informe.**

**XI.** — *De sacramento matrimonii.*

**1) Quid sacramentum matrimonii, — 2) eius institutio, materia et forma, — 3) minister et subiectum, — 4) unitas, — 5) indissolubilitas, — 6) iteratio, — 7) impedimenta, eorumque divisiones, — 8) matrimonium ratum quando solubile, — 9) privilegium paulinum, eiusque conditiones, — 10) matrimonium clandestinum, — 11) civile.**

**XII.** — *De novissimis.*

**1) Mors et iudicium particulare, — 2) visio beatifica eiusque duratio, — 3) eius collatio, — 4) inaequalitas, — 5) Beatorum impeccabilitas, — 6) dotes, et aureolae, — 7) inferni existentia, — 8) poenae, — 9) ignis, — 10) aeternitas, — 11) purgatorii existentia, — 12) poenae, earumque duratio, — 13) animae in purgatorio detentae viventium suffragiis atque indulgentiis iuvantur, — 14) puerorum sine baptismo decedentium conditio.**

(1) Iste numerus geminatur. Hinc ex IX et ex IX bis theologica, tractatione, quam exponat, priorem vel alteram eligere integrum est candidato : non autem, in diversis etiam examinibus, utramque, quasi duas.

# APPENDIX I

## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

3°. *De certitudine qua constare debet de conditionibus* (i).

98. Tum ex praxi SS. CC., tum ex ipsa ratione facile probatur *certo* constare debere de conditionibus a iure divino requisitis.

99. Quoad *praxim,* satis est pervolvere volumina THESAURI S. C. C, ubi in votis consultorum et in relationibus ex officio factis *causarum* dispensationis matrimonii rati et non consummati passim asseritur principium de necessitate huiusmodi certitudinis, et in casu dubii non conceditur dispensatio seu solutio.

100. Et sane in dubio conditionum, dubia erit solutio ; atqui dubia solutio non potest solvere vinculum certum a legislatore superiore impositum, et indissolubilitas matrimonii semper possidebit, quousque certo contrarium non probetur.

ioi. Hinc minus exactum est quod scribit PALLOTTINI *(Collectio.., tom. VII* sub vocabulo *Dispensatio, § XII, n. 182)'.* « probationem non consummationis leviorem exigi pro gratia "dispensationis quam pro nullitate per viam iustitiae declaranda », ad quod confirmandum citatur URSAYA, *Discep. eccles., tom. 3, p. 2, discep. 21, n. ißo.*

Sed URSAYA *(I. c),* loquens de dispensatione matrimonii rati, asserit tantummodo : « quum non insistitur apud iudices pro dissolutione matrimonii per viam iustitiae, sed petitur a principe illius sola dispensatio per viam gratiae, non debet concurrere rigor ille probationum qui de iure requiritur in primo casu, sed princeps potest etiam moveri ab *extraiudicialibus* demonstrationibus ». URSAYA ergo excludit tantummodo necessitatem probationum stricte iudicialium.

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** *3y,* **pag. 1**31, 346, 542, 671 **et** 729.

102. Inquiri nunc potius debet quaenam certitudo requiratur, non enim eadem latitudine certitudo semper sumitur^

103. Certitudo definitur a S. THOMA *(J sent., dist. 26, q. 2> a. 4)* « firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile ».

104. Quamvis certitudo spectet *proprie* ad virtutem cognoscitivam, tamen *translate* dicitur etiam de cognoscibili, quae proinde certitudo *obiectiva* appellatur, et consistit in necessitate cognoscibilis, seu locum habet quoties praedicatum necessario competit subiecto.

105. Philosophi triplicem distinguunt certitudinem obiectivam, sc. *metaphysicam, physicam* et *tnoralem;* cui triplici obiectivae respondet triplex *subiectiva* certitudo. *Metaphysica* dicitur quando praedicatum competit subiecto *absolute,* quacumque facta hypothesi; *physica* vero vel *moralis* quando praedicatum non competit absolute sed facta hypothesi quod servatae sint leges physicae vel morales.

106. Quae *moralis* certitudo « distinguenda est a maxima illa probabilitate ac verisimilitudine, quae *improprie* et aequivoce certitudinis moralis appellationem sibi vindicat. Haec enim certitudo vera non est, sed certitudinis proprie dictae quasi supplementum quoddam, quo inniti solemus, ubi illa deficit, suadente necessitate, annuente prudentia. Datur autem quum res certo quodam modo communiter se habere solet, ita tamen ut exceptiones non desint: quare in casibus particularibus oppositi impossibilitas nec metaphysica, nec physica, nec moralis cernitur, sed nihilominus ratio nulla suppetit suspicandi de opposito: v. gr. quum in diversorio dapea nobis apponuntur, nec est impossibile eas fuisse veneno infectas; quum amplectimur sententiam quam doctores fere omnes tradunt, non est impossibile illi errorem subesse; nihilominus, nisi ratio peculiaris occurrat, de neutro suspicamur, quia communiter neutrum contingere solet... His igitur in casibus pronis animis iudicamus rem se habere, uti com-

muniter se habere solet nec formido de opposito nos sollicitos habet, quia oppositum licet possibile, non est probabile; quare licet formido omnis non sit penitus exclusa, manet tamen propemodum sopita, opinionemque animi sinit esse securam. Igitur certitudo haec moralis improprie certitudo dicitur. Si enim obiective spectatur, est maxima quaedam probabilitas; si subiective, est opinio imperturbata. Dicitur quoque moralis aequivoce. Certitudo enim moralis proprie dicta hanc appellationem recepit, eo quod a moribus hominum desumitur; haec autem quia moribus seu consuetudinibus generatim rerum et eventuum innititur, vel potius quia mores hominum, eorumque agendi modum dirigit. In agendo enim hanc, ut plurimum, regulam sequimur. Unde rectius vocari posset certitudo directiva, seu prudentialis ». TONGIORGI S. I. *Institutiones philosophicae, vol. i, p. 2, cap. 2, art. 4, n. 6.*

107. Tandem habetur etiam certitudo *iuridica,* quae sc. resultat ex actis et probatis in processu iudiciali, et iuxta quam iudex generatim sententiam proferre debet in causis tam civilibus quam criminalibus, posthabita scientia sua personali.

108. Ex data notione certitudinis eiusque specierum facile patet hic quaestionem haud esse de certitudine metaphysica, quae respicit principia non vero facta contingentia; relate vero ad alias certitudinis species, quaestionis solutionem pendere ab argumentorum genere quo inconsummatio et causarum existentia probantur.

109. Matrimonium consummatur per copulam, quae est aliquod factum, cuius proinde existentia vel non, sicuti aliorum factorum, probari potest per indicia, praesumptiones ac potissimum testes. Insuper copula est factum quod ad ordinem physicum pertinet, suam habens causam in coniugum unione et speciales producens effectus praesertim in corpore mulieris; unde etiam ex praesentia vel absentia sive effectuum sive unionis iudicari poterit de inconsummatione necne.

i io. Profecto si ille qui dispensat suis sensibus cognove-

rit coniuges, contracto matrimonio, numquam una simul fuisse, eo ipso haberi poterit certitudo physica; at non semper qui dispensat per se examinare potest, an effectus copulae adsint necne, an coniuges una simul fuerint, sed necesse est ut ex testimonio aliorum atque etiam peritorum cognoscat inconsummationem et causarum existentiam; quare certitudo, quae requiritur, sufficit ut sit moralis, et quidem non requiritur certitudo stricte moralis uti habetur in eo qui credit Neapolim existere, quamvis numquam eam civitatem vident, sed sufficit late moralis, superius descripta, ea sc. qua utimur in agendo, et quae sufficit etiam in declaranda nullitate matrimonii ob impedimentum dirimens. Cfr. SÁNCHEZ *(de Matrim., lib. II, disp. 4J, n. j)* ubi haec moralis certitudo ita describitur: «haec... cum iure definita non sit, nulla certior regula praescribi potest quam ut sit ea quae virum prudentem; attentis circumstantiis occurrentibus, certum redderet ».

111. Restat inquirendum, an requiratur certitudo *iuridica.* Certe si iudicium de inconsummatione atque causarum existentia ferri debeat per processum iudicialem, haec certitudo requiritur; ea tamen sola non sufficit, solvitur enim matrimonium non pro foro externo tantum, sed praecipue pro foro interno, in quo iudicari debet iuxta veritatem.

### § 2. *De exercitio spectato iure ecclesiastico.*

112. Uti vidimus (n. 40 *et seq.),* unius Romani Pontificis est dispensationem concedere a matrimonio rato et non consummato.

113. Iam vero Romanus Pontifex hanc dispensationem concedere potest sive per se solum sive per suum delegatum, cui committere potest vel ipsam facultatem dispensandi, vel solum inquisitionem et iudicium de non consummatione et de causarum existentia, sibi dispensationem reservando.

114. In priori casu, cum Summus Pontifex sit supra ius ecclesiasticum nihil dicendum occurrit, et satis erit ut Ipse eo

modo, quem sibi placuerit, certitudinem acquirat de duplici conditione ex ipso iure divino requisito; in altero vero casu iterum distinguendum est, an sc. facultatem sive dispensandi sive tantummodo inquirendi concesserit pro solo foro interno, an vero pro utroque foro.

115. Antiquitus facultatem dispensandi pro foro interno ordinariam fuisse Poenitentiario Maiori testatur CLERICATUI *(Decis, de Sacram, matrimonii, decis. 16, n. 36)* ubi innixus auctoritate PYRRI CORRADO et DE IUSTIS ita scribit : « non solum ipse Summus Pontifex solet in huiusmodi matrimoniis ratis, secundum casuum contingentiam dispensare sed etiam Maior Poenitentiarius in occultis dispensat, ut fidem faciunt idem Corradus, lib. 8, cap. 7, n. 35 et Vinc. de Iustis, lib. 2, cap. io, n. 18 ».

116. Et revera PYRRUS CORRADO, quem transcribit DE IUSTIS *(de Dispens, matrim., I. c.)* ita narrat casum dispensationis pro solo foro conscientiae concessae a Poenitentiario Maiori : « Non est amplius ambigendum, an possit Summus Pontifex super hoc (seu matrimonio rato et non consummato) dispensare, qui non modo in utroque foro, verum etiam, ubi impedimentum occultum fuerit, in foro conscientiae tantum facultate desuper Maiori Poenitentiario attributa, quatenus ex sufficientibus causis mandet confessario, ut cum oratoribus dispenset, iuxta casuum contingentiam, prout meo tempore contigit in Sacra Poenitentiaria, me illius praetorio inserviente ; et casus iste fuit, videlicet postquam oratrix matrimonium cum quodam iuvene contraxerat, nulla habita cum eo carnali copula, cum oratore praemissorum ignaro contraxit matrimonium, ex quo suscepit filiam, et cum ignoraretur ubi primus iuvenis reperiretur et oratores ipsi separari nequirent, ipseque orator non posset se alio transferre ob paupertatem et adultae filiae periculum, nec ulterius absque evidenti incontinentiae periculo valerent simul habitare, committebatur confessario ut, imposita ei gravi et longa poenitentia

salutari, ipsos absolveret, et si dictum primum matrimonium occultum esset, oratores vero invicem servatis servandis contraxerint, ita ut publice haberentur pro veris coniugibus, et sine gravi scandalo separari nequirent... *matrimonium primum, contractum auctoritate apostolica dissolverei* ».

117. Hodie tamen, idem CLERICATOS advertit (1. c), « Maior Poenitentiarius hanc facultatem non habet, attenta reformatione tribunalis ipsius ac restrictione potestatis facta per f. m. Innocentium XII anno 1692 ». Neque in Bulla BENEDICTI XIV id. Aprilis 1744, quae incipit *Pastor bonus* haec facultas concessa invenitur.

118. Sed praescindendo a facultatibus ordinariis Poenitentiarii Maioris, Summus Pontifex etiam nunc posset facultatem dispensandi concedere pro solo foro interno. Quod si accidat, prae oculis habenda est differentia quae intercedit inter forum *internum* et *externum,* nam in primo, « cuius iudex est Deus, qui corda et mentes hominum videt, solum veritas, quamvis intrinseca et hominibus occulta, attenditur; in altero autem, cuius iudex est homo, qui videt in facie non autem in corde, requiritur extrinseca iustificatio publica in actis, adeo ut veritas, non solum sibi sed omnibus pateat; ideoque vulgatum est iuristarum axioma, quod iudex sententiae vel iudicare debet secundum acta et probata, non autem iuxta eius scientiam, vel conscientiam unde propterea vulgo illud dicterium circumferri solet, quod si iudex oculis propriis viderit Titium occidisse, vel percussisse Sempronium, probationes autem factae in actis et processu concludant id gestum esse a Caio, istum non autem Titium condemnare debebit. Sive iuxta aliquorum monitum abstinere tenebitur in illa causa, principem vel alium superiorem, ad quem pertinet, rogando ut alium deputet, qui in causa iudicet. In idem alio influente axiomate, quod per ora forensium in dies volitar, quod scilicet *id quod non est in actis, non dicatur esse in mundo* » Card. DE LUCA *de Iudiciis, disc. XXII, n. 2.*

119. Itaque si agitur de foro interno, qui dispensat, quoad probationem inconsummationis et causarum, stare potest attestationi coniugum vel coniugis qui dispensationem petit; « et ratio est, ut ait SÁNCHEZ *(de matrimonio, lib. 2, disp. ¿fj, n. 3)* quia in foro conscientiae tantum agitur de salute spirituali alicuius et componenda cum Deo conscientia; in foro autem externo de administranda iustitia actori ius suum petenti, et inde est ut in illo *stetur confessioni pro se vel contra se;* in hoc autem allegatis et probatis, facile enim iustitia everteretur, si confessioni soli litigantium standum esset ».

120. Sed omissis casibus his extraordinariis, veniamus ad casum ordinarium seu ad dispensationes matrimonii rati et non consummati, quae concedi solent a Romanis Pontificibus mediantibus Romanis Congregationibus, quibus commissum est examen de inconsummatione et de causarum existentia per *processum iudicialem,* de quo, modo, agendum est.

*(Sequitur)*

B. MELATA.

# APPENDIX II

**Commentarium in decretum " Ordinis Carmelitarum Ant. Observantiae,, diei 1 Decembris 1905.**

Ab re non erit tria responsa relativis dubiis, a praefato Carmelitico Ordine exhibitis, breviori calamo commentari.

i. Primum responsum iubet, ut benedictiones praemittendae lectionibus in Officio S. Familiae non sint propriae Deiparae, sed communes. Notandum est enim, ritum Carmeliticum novem possidere benedictionum formulas, ante lectiones dicendas, quae communes dicuntur, et ad Dominum sub diverso respectu pertinent, novem autem quae Deiparam, sub diverso pariter respectu, respiciunt, et ideo illius propriae dicuntur.

Ratio ex qua communes dicendas responsio exigit, una potior est: quia, videlicet, festum S. Familiae cum sit complexum, hoc est tria obiecta contineat, principaliter ad Dominum pertinet, utpote subiectum

praestans. Congruum ergo est, ut inferiora subiecta, Maria et Ioseph, maiorem Christi excellentiam, non vero Christus minorem excellentiam Mariae et Ioseph in festo participent. Atqui benedictiones communes sunt de Domino, propriae de Beata Virgine;, ergo illae, non istae adhibendae sunt.

Hoc, ceterum, constat ex ipso Officio S. Familiae prout in proprio Breviarii Romani legitur. Namque pro octava benedictione non habetur formula: *Cuius festum colimus, ipsa Virgo virg.* etc., sed: *Divinum auxilium* etc. Etsi proinde superallata ratio tibi non arrideat, factum negare non vales.

Cum autem Carmelitico Ordini *nullum sit ius Officium a Summo Pontifice concessum mutandi, sed tantum proprio ritui accommodandi,* palam sequitur ipsum Ordinem non posse dictam formulam sumere de Deipara propriam, sed aliam de Domino communem. Cumque nequaquam congruat, ut benedictiones partim de Domino, partim de Virgine dictus Ordo in Officio ponat, manifestum fit, singulas benedictiones in festo S. Familiae esse debere de Communi, et nullam de Deipara propriam.

Hinc post praesens Decretum, Rubrica spectans benedictionum formulas, lectionibus praemittendas, quae in dicto Officio S. Familiae legitur, mutari debet: adeo ut non proprias de Deipara, sed communes dicendas esse praescribat.

2. Quod alterum dubium-attinet, animadvertendum est, iuxta ritum Carmeliticum, ad Canticum *Nunc dimittis* in Completorio, plures pro diversis anni temporibus et festis inscribi antiphonas, quarum omnium unica, quae festo S. Familiae magis convenit, illa est, quae in dubio proponitur. Ea enim et de Verbo agit, quod caro factum est, habitavitque inter nos; nulla ergo inveniri poterat congruenter, quam quae per affirmativum responsum probata est.

3. Circa tertium responsum animadvertimus, in ritu Carmelitico eandem ortam esse, successu temporis, inordinationem, quae in ritu Romano. Haec autem est, ut ratione Officiorum potioris ritus et classis, lectiones Scripturae occurrentis rarius legerentur in Officio. Quam inordinationem perpendens Revmus Prior Generalis Carmelitici Ordinis, omnino rationabilem proposuit suam difficultatem S. R. Congregationi. Commissio autem liturgica, una cum Officio S. Familiae, et Rubricas perpendens Breviarii praefati Ordinis, optimum duxit Carmelitico ritui applicare Decretum Generale 3923, quo edicitur, lectiones I Nocturni in posterum non esse amplius dicendas de Communi in duplici maiori, exceptis quae iam probatae fuere, sed tantum in duplici I vel II classis.

Cumque dupl. min. I classis in ritu Carmelitico idem sit ac ritus duplex maius in Romano, censuit Commissio liturgica respondendum esse: Negative ad primam partem, seu non esse recitandas de Communi, sed potius: Affirmative ad secundam, hoc est recitandas esse de Scriptura occurrente, quod et S. R. C. -approbavit.

**Calcedonius Mancini,** P. C. M.

**Sacr. Rit. Congñis Consultor, Commissionis Liturgicae eiusd. S. R. C. Praeses, ac Pontificiae Academiae Liturgicae Romanae Moderator.**

# Diarium Curiae Romanae

*Pius PP. X litteris Secretariae Status:*

1°. Emos ac Rrrios Cardinales Casimirum Gennari et Beniaminum Cavicchioni adnumerare dignatus est inter Emos Patres Purpuratos S. Congregationis de Propaganda Fide.

2°. Emum et Rmum Cardinalem Vincentium Vannutelli benigniter nominavit Protectorem pii Operis Associationis Nostrae Dominae a salute.

3°. Illmum ac Rmum Caietanum Bisleti eligere dignatus est in Pontificiae Domus Praepositum.

4°. Illmum et Rmum Aloisium Misciattelli benigniter promovit in S. Palatii Apostolici Pro-Praefectum.

**5°.** Illmum ac Rmum Camillum Caccia-Dominioni inter Cubicularios intimos participantes cooptare dignatus est.

*Demum S. Congregatio Concilii sequentem communicationem, celebre Sanctuarium Pompeianum respicientem, a nobis evulgandam misit:*

Il Santuario della B. V. dei Rosario in Valle di Pompei, sorto con l'approvazione e favore dell'autorità ecclesiastica, costruito con le offerte generosissime dei fedeli di tutto il mondo e dedicato al culto divino, per questa sua stessa condizione (come è noto) appartiene alla Chiesa Cattolica, e per Lei al suo Capo il Romano Pontefice. La Santa Sede lo ha onorato del titolo di Basilica, l'ha sottoposto immediatamente a sè, affidandone la cura ai Religiosi di S. Domenico, zelanti propagatori della divozione del Rosario, ivi chiamati fin da parecchi anni addietro con plauso generale; e oggidì vi esercita per mezzo di questi piena e libera giurisdizione, avendo lo stesso Comm. Bartolo Longo, iniziatore dell'opera e

promotore e direttore della costruzione del sacro edificio, con ripetuti atti fatto cessione alla Santa Sede di ogni ingerenza che gli potesse competere.

A questi Religiosi pertanto, ossia al P. Rettore del Santuario, od al Religioso che lo rappresenta, dovranno d' ora in poi rivolgersi i fedeli per tutto ciò che ha attinenza al Santuario; ed ai medesimi dovranno indirizzarsi, e presentarsi le offerte pel culto e per le sacre funzioni, le elemosine per la celebrazione di S. Messe, i donativi e i voti in onore della Bma Vergine del Rosario, che ivi si venera; dichiarandosi che altrimenti T amministrazione del Santuario non risponde dell'esatto adempimento della volontà degli offerenti.

Inoltre la Basilica è stata consegnata alla Santa Sede senza dotazione, e, al momento presente anche senza camere adiacenti e senza abitazione pei Religiosi: poiché dell'edificio a ciò destinato la Santa Sede non ha per ora che la nuda proprietà. Il Santuario quindi è attualmente sprovvisto di ogni rendita pel mantenimento della fabbrica, per le spese di culto, per il sostentamento e **1'** abitazione di chi lo serve, e si sostiene unicamente con l'obolo che può venire dalla fede e dalla pietà dei devoti.

Tanto per pubblica norma.

Roma, **8** Gennaio **1906.**

# ACTA ROMANI PONTIFICIS

## LITTERAE APOSTOLICAE

**Quibus dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, uno servato " Angelorum „ nomine, in Archidioecesim evehitur, eique dioecesis de "Mixtecas,, suffraganea constituitur (i).**

ANGELORUM

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEÍ

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Praedecessoris Nostri Leonis Papae Decimi tertii felicis recordationis vestigia sedulo prosequentes, ad Catholicam gubernandam Ecclesiam ab aeterno illius Auctore licet immeriti destinati, omnem curam sollicitudinemque Nostram ad ea intendimus, quae meliori animarum bono ac saluti magis in Domino novimus profectura. Novas erigere dioeceses et ecclesiasticas provincias, quoties id spirituale fidelium bonum, quod in omnibus Ecclesia spectare debet, expostulare videbatur, fuit semper Apostolicae Sedis sollicitudo. Nec mirum; Episcopi enim a Deo positi sunt, ut regant ac pascant Iesu Christi gregem; iis proinde in regionibus, in quibus territorii amplitudo, vel populi numerositas, aut itinerum asperitas difficiles reddit fidelium ad suos pastores accessus, opportunum, imo et necessarium est, ut novae constituantur Episcopales Sedes, atque ita promptior et efficacior fiat cura et vigilantia pastoralis. Verum, aucto dioecesium numero, Archiepiscopales Sedes et ipsae augeantur oportet, ut facilior pateat Episcoporum ad Archiepiscopum aditus, et Ecclesiasticae causae, matrimoniales praesertim,

(i) **Documentum hoc, sicuti et nonnulla alia, quae variis de causis publici iuris fieri prius non potuerunt, mutuamus ex opere, cui titulus** *Pii X Pontificis Maximi Acta,* **cuiusque primum volumen, referens dumtaxat acta a Summo Pontifice directe promanantia proindeque omittens decreta et responsa SS1 Congregationum, in lucem nuperrime prodiit ex Typographia Vaticana** *(N. R.).*

ea qua par est sollicitudine discutiantur et dirimantur. Cum itaque, sicut accepimus, Capitulum Cathedralis Ecclesiae Tlascalen. seu Angelorum in Mexicana Republica, occasionem nactum quod in eadem Republica anno elapso, Litteris Apostolicis sub plumbo, quarum initium « Apostolica Sedes », septimo calendas Maii datis, disiunctis ex territorio dictae Tlascalensis seu Angelorum. dioecesis aliquibus civitatibus, nova ex iisdem constituta fuerit Episcopalis Sedes de Mixtecas, enixis precibus apud hanc Apostolicam Sedem institisset, ut Episcopalis Ecclesia Tlascalensis seu Angelorum ad dignitatem et honorem Ecclesiae Metropolitanae attolléretur, cum assignatione in suffraganeam noviter erectae dioecesis de Mixtecas : et idem Leo Praedecessor, prout rei gravitas postulabat, totum negotium Sacrae Congregationi negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae expendendum commiserit; cumque, re mature perpensa, fuerit compertum expostulatam novae ecclesiasticae provinciae in civitate Angelorum erectionem ob auctum Sufffaganearum dioecesium numerum esse necessariam ac in spirituale fidelium bonum cessuram, dictus Leo Praedecessor Noster ad eiusdem constitutionem deveniendum Apostolica sua auctoritate statuit et ordinavit. Verum, ita disponente Divina Providentia, morte interceptus, prohibitus est quominus, quod Ipse statuerat, ad optatum exitum perduceret. Nos igitur, omnibus quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt perpensis ac de omnibus certiores facti, omnia quae a dicto Leone Praedecessore decreta fuerant debitae exequutioni demandanda esse existimavimus. Itaque Nos, omnes et singulos, quibus dictae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac attento con-

sensu, quem in novae huius provinciae ecclesiasticae erectionem praestiterunt Venerabiles Fratres Nostri, sive Ioseph Maria Alarcon, hodiernus Archiepiscopus Mexican., sive Eulogius- Gillow, hodiernus etiam Archiepiscopus de Antequera, Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem a iure Metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Mexican. Apostolica auctoritate exsolvimus atque eximimus, et praevia in ea eiusque Cathedrali Capitulo necnon Civitate et dioecesi, status, tituli ac Sedis Episcopalis dignitatis suppressione et extinctione, ex certa scientia et matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine ad gradum et dignitatem Ecclesiae Archiepiscopalis et Metropolitanae evehimus atque extollimus, atque in ea Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem, non amplius .Tlascalensem, sed Angelorum tantum nuncupandam, eadem Apostolica auctoritate erigimus et instituimus. Huic autem, ut supra erectae, Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, omnia et singula iura, privilegia et praerogativas a Sedibus Archiepiscopalibus et Metropolitanis in Mexicana regione haberi solita et consueta plenarie attribuimus et assignamus; ac deinde Venerabili Fratri Nostro Iosepho Raymundo Ibarra, qui actu Tlascalensem seu Angelorum Episcopalem Sedem obtinet, Archiepiscopi titulum, ita ut postea Archiepiscopus Angelorum sit nuncupandus, una cum delatione Pallii et Crucis, nec non una cum aliis insignibus, honoribus, iuribus et privilegiis, gratiis quoque et indultis, quibus ceteri Archiepiscopi de iure, usu et consuetudine in Mexicana regione legitime fruuntur et gaudent, eodem pariter modo et absque ullo discrimine, tam ipsi, qnam etiam futuris eius in Archiepiscopali Sede Angelorum legitimis Successoribus, pari Apostolica auctoritate impertimur, concedimus atque conferimus. Cum vero nova dioecesis de Mixtecas, anno superiore erecta, Sedi Apostolicae *immediate subiecta* fuerit constituta donec aliter de ea disponere eidem Apostolicae Sedi visum fuerit, dictam dioecesim

de Mixtecas ab immediata subiectione erga dictam Apostolicam Sedem eximentes, eandem in suffraganeam Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum attribuimus et accensemus, ac eius Episcopum pro tempore existentem, in Archiepiscopi Angelorum Suffraganeum, qui iuri ipsius Archiepiscopali et Metropolitico subsit, constituimus et adscribimus; quodque Clerus et populus dictae dioecesis de Mixtecas sicut quoad Episcopalem suo Episcopo, ita praedicto Metropolitanae Ecclesiae Angelorum quoad Archiepiscopalem et Metropoliticam iurisdictionem sint subiecti iuxta canonicas sanctiones volumus et mandamus. Huic autem Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Angelorum, ut supra erectae, pro sua dioecesi idem territorium eandemque regionem, quam Episcopalis Sedes Tlascalensis seu Angelorum sibi peculiarem et propriam obtinuit, servatis nempe iisdem limitibus et finibus, qui Episcopalis dioecesis Tlascalensis seu Angelorum, ut in praemissis suppressae, territorium et ambitum huc usque efformarunt atque constituerunt, adscribimus atque assignamus. Canonicam autem taxam memoratae Ecclesiae Angelorum in Mexicana Republica, ad dignitatem et gradum Archiepiscopalem et Metropoliticum, ut praefertur, erectae , in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni similis parte taxari constituimus, atque hanc taxam in libris Camerae Apostolicae de more describi mandamus. Demum ad huiusmodi erectionem in Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem et ad praemissorum omnium et singulorum effectum, quorumcumque in hac erectione et dismembratione interesse quomodolibet habentium consensui, quatenus opus sit, de Nostra et dictae Sedis Apostolicae potestatis plenitudine supplemus. Nobis autem et eidem Sedi novas circumscriptiones aut dismembrationes in hac nova ecclesiastica provincia libere peragendi, quandocumque id in Domino magis expedire visum fuerit, quin ullum in id Antistitum et Capitulorum consensum exquiri, aut territorialem ullam compen-

sationem attribuì necesse sit, reservavimus facultatem. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa quamtumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo quod causae, propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quoquam alio substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali, quae ad effectum validitatis earundem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illum et illas quandocumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque Litteras et Constitutiones aut Cancellariae Apostolicae Regulas etiam consistorialiter ex quibusvis causis et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis (etiamsi in eis de iisdem partibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat) quandocumque editas, vel edendas, minime comprehendi, seu comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituías, repositas ac plenarie reintegratas ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter aut ignoranter contigerit attentari. Quocirca, ut haec omnia a Nobis superius constituta suum etiam sortiantur effectum, memorato Venerabili Fratri Nostro Prospero Mariae Alarcon Archiepiscopo Mexican. per ipsas praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, omnes singulas facultates ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo, facta eidem insuper potestate quamcumque aliam personam, in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi, ita tamen ut ipse Prosper Maria Archiepiscopus vel eius Subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus (quatenus opus sit) Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula «De iure quaesito non tollendo» ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis ac Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatos, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clau-

sulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes (illis alias in suo robore permansuris) latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Prosper Maria Archiepiscopus infra sex menses authenticum exemplar actorum omnium, quae ad commissam exequutionem explendam ipse erit emissurus, ad memoratam Congregationem S. R. E. Cardinalium Rebus Consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in tabulario eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam et normam custodiantur. Volumus etiam •quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exsolutionis, exemptionis, suppressionis, extinctionis, evectionis, erectionis, institutionis, declarationis, subiectionis, constitutionis, assignationis, impertitionis, concessionis, indulti, praecepti, reservationis, mandati, voluntatis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, quinto idus Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

## Qua Pius PP. X gratiis prosequitur obsequium ab Episcopis Angliae praestitum, deque eorum navitate gratulatur.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
FRANCISCO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSIUM
CETERISQUE EPISCOPIS ANGLIAE

WESTMONASTERIUM

PIUS PP. X

*Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Sanctorum parentis Angliae, cuius gloriosam cum Romana Cathedra coniunctionem ac parta per id beneficia communibus litteris repetebatis, sinceram vos ingenuamque permanere sobolem demonstrastis, quum virtutis observantiaeque sensus, qui maximi esse possent, in Personam Nostram, Pontificatus Summi dignitate auctam, aperire studuistis. Atque quidem cultus obsequiumque tam gratum expectationem animi Nostri plane sustinuit, quippe quos certa tenebat spes non fore ab iis argumenta voluntatis amorisque desideranda, qui cum sanctissimis vetustisque Angliae sacrae Patribus praecipua quadam ac peculiari omnino fidelitatis laude sociarentur. Et quoniam gratae mentis ergo verba haec prima ad Angliae Episcopos facimus, gratulari vobis in ipso Pontificatus limine placet, e quibus tanta catholicis universis exempla profitendae amplificandaeque fidei proficiscuntur. Qua quidem in re, si strenue pro Ecclesia certantes illa vos gaudia defugiunt, quae ad fluxa ornamenta saeculi pertinent, at haec certe vos gloria manet, eandem in vobis vim animi inesse, quae in fortissimis fidei vestrae praeconibus enituit. Vobis igitur egregiam Sedi huic Principi operam navantibus vehementer laetamur, nihilque in presentiarum ambigimus fore ut maiora in dies e curis vestris solatia animo Nostro comparentur. Horum autem effectricem bonorum caelestiumque munerum

auspicem Apostolicam Benedictionem, caritatis Nostrae testem, unicuique vestrum peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xii Octobris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

## EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur cum P. Janvier de sacris orationibus in Parisiensi B. M. V. templo habitis.

DILECTO FILIO
E. JANVIER
SODALI DOMINICANO
PARISIOS

PIUS PP. X

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Quas nuper edidisti orationes, graves illas ac disertas, quibus pronuntiandis in Parisiensi Beatae Virginis templo praeclaram proxime navasti operam, misit illas ad Nos Legatus Noster apud Gallorum Rempublicam. Oblatum humane munus voluntate grata complectimur; laudes vero, quibus egregio in opere exornatus appares, profiteri publice libet. Amplissimae enim gloriae suggestum digna maioribus consuetudine conscendisti, populoque nobili variaque eruditione conspicuo catholicas de hominum vita sententias praestanti doctrinae genere enarrasti multisque fulgentes eloquentiae luminibus praebuisti. Quod si haec rerum verborumque ornamenta laudamus, illud tamen gaudemus praecipue, illustratas eximie mentes peculiari quodam caritatis ardore ad Sanctae Religionis cultum esse adductas. Quamobrem ex animo tibi gratulati, maiora semper spiritualium fructuum incrementa sollertiae industriaeque tuae deprecamur, gratiarumque eae-

lestium auspicem Apostolicam Benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X ad Archiepiscopum Parisiensem commendantis " Opus a catechismis „.

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

LUTETIAM PARISIORUM

PIUS PP. X

*Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

*Opus a catechismis* sollerti et actuosa egregiarum feminarum pietate apud vos ante annos octodecim institutum in gratiam puerorum, qui nihil iam de doctrina religionis in scholis publicis audirent, rogasti tu quidem nuper, ut voluntatis Nostrae significatione aliqua ornaremus. Nos vero ea legentes quae perscribenda curasti de ortu, progressione, fructibus istius operis, magnam scito cepisse animo voluptatem, praesertim quum in hoc etiam facto videremus divinae praesentiam bonitatis, tempestiva suggerentis et consilia et auxilia bonis ad communem salutem. Ac mirum non est, si hanc tam opportunam de regno Christi ac de proximis bene merendi rationem Decessor Noster illustris probavit admodum, et pontificalis indulgentiae muneribus ditavit ; quum eadem celeberrimo civitatis iudicio, ut accepimus, in genere operum humanae societati utilium primas tulerit. Hinc dicere vix attinet, eam Nobis, non secus ac Decessori Nostro, caram acceptamque esse : eo magis quod ipsius nunquam for-

tasse tanta fuit, quanta est hodie non modo opportunitas sed necessitas. Quando enim, ut usuvenire istic dolemus, eripitur aut coangustatur sacro ordini nativum ius docendi publice, omnino res postulat ut sacerdotum ministerio navitas opituletur laicorum, quo puerilis saltem aetas fidei morumque principia incorrupta imbibât. Quare pias feminas saluberrimo deditas operi, de quo loquimur, cum pro merito dilaudamus, tum hortamur vehementer, velint nova quotidie alacritate studioque propositum persequi : simul oramus enixe Deum, ut earum fortunet labores, augeat numerum. Auspicem caelestium donorum ac singularis benevolentiae Nostrae testem habeant Apostolicam Benedictionem, quam tibi primum, dilecte Fili Noster, atque etiam clero populoque tuo universo peramanter in Domino impertimus. Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

## EPISTOLA

Qua Pontifex Episcopos Austriae incitat ad obsistendum atque ad omnia in Christo instauranda.

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPHO TIT. S. MARIAE ANGELORUM IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRUSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSI
CETERISQUE AUSTRIAE EPISCOPIS

PIUS PP. X

*Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres,*
*salutem et Apostolicam benedictionem.*

Quas e Vindobonensi conventu vestro litteras, communi sententia a vobis datas, accepimus, mirum quantum habuimus gratas quantaque animi iucunditate perlegimub. Nihil in illis officii, nihil voluntatis desideravimus, quod Pontifici Maximo, recens ad Petri Cathedram evecto, Episcopos par

est exhibere. Quamobrem gratias a Nobis habetote meritas. Quod attamen in vestris litteris cum maxime adamavimus illud est, Venerabiles Fratres, quod quae bona, quaeve mala in vestris dioecesibus occurrunt et vos agnoscitis penitus et Nobis candide aperuistis. Prodest hoc quidem Nobis ut, pro cura dominici gregis, fidelium vestrorum securitati prudenter prospiciamus ; nec vobis minus est utile, ut norit quisque quae provehenda sint quaeve emendanda. Profecto quae, caritate deficiente tantaque errorum grassante lue, ubique dolemus damna, apud vestrates etiam reperiri necesse est. Quid vero, Venerabiles Fratres? An idcirco despondendum animos vel spe labendum? Memoria ne excidat hortamur, quo qualesque inter gentes Christus apostolos miserit. Idem porro Christus, qui heri et hodie et in saecula, posuit vos omnes regere ecclesiam,-quam acquisivit sanguine suo. Quod Ipsi Nobis animose proposuimus, et vos, Venerabiles Fratres, vobismet proponite : toto videlicet pectore, totis viribus persequi ut instaurentur omnia in Christo. Quae tanto operi perficiendo potissima sunt adiumenta, habetis affatim in encyclicis Litteris Nostris. Ea ut a clero et laicis studiose teneantur efficite. Nihil plane minus a vero abest, quam quod de Ecclesia patriaque vestra vos ipsi asseritis: illum nimirum inter utramque esse nexum, ut proficiant pariter deficiantque. Id vos genti vestrae persuadere penitus contendite. Ament nempe omnes patriam; verum hoc simul meminerint, nihil patriae bono efficacius conducere quam Christi religionem sancte inviolateque retentam. Ceterum Venerabiles Fratres, de studio benevolentiaque Nostris ne dubitetis unquam. Caritatis autem, qua Vos complectimur, testis esto Apostolica Benedictio, quam auspicem divinorum munerum, vobis, clero, populoque vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die VIII Decembris MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

*Qua.* R. Pontifex gratulatur cum Henrica Principe Belgarum de sodalitate, cui nomen " Opera delle Campagne „.

A SUA ALTEZZA REALE
ENRICHETTA
DUCHESSA DI VENDOME, PRINCIPESSA DEL BELGIO
NEUILLY

*A ¿tezza,*

Il filiale omaggio, che Ci ha reso Vostra Altezza Reale in quella che implorava da Noi una testimonianza di benevolo animo verso la egregia *Opera delle Campagne,* Ci è giunto vivamente accetto non pure per i sensi che V Altezza Vostra esprimeva al Vicario di Cristo, ma eziandio per la caritatevole pietà, di cui Ella Ci appariva insignita. Lunghi anni, ed essi non iscevri di qualche amorevole fatica, spendemmo anche Noi in pro degli umili abitatori dei campi, ed a vantaggio delle derelitte Chiese, dove è l'istesso Iddio dei magnifici Tempii che da povero Clero riceve culto disadorno. Poiché pertanto anche Vostra Altezza nella presidenza di così benemerita Opera ha bellamente consacrato tanta parte delle elette sue industrie, Noi siamo ben lieti di felicitarci con lei. Per significarle poi nella più grata maniera la sincera brama, che Noi nutriamo, di vedere prosperare il sullodato Sodalizio, di tutto cuore gli preghiamo l'assistenza del Cielo, ed allAltezza Vostra, del pari che a quanti gli son larghi di aiuto, impartiamo paternamente lApostolica Benedizione.

Dato in Roma presso S. Pietro il 16 Dicembre 1903, anno primo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X

EPISTOLA

## Qua Pontifex obsecrat Abbates Benedictinos ad Missionarios adiutores in Brasiliani mittendos.

DILECTIS FILIIS
ABBATIBUS UNIVERSI ORDINIS BENEDICTINI

PIUS PP. X.

*Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Dilectus Filius Gerardus van Caloen quam alacri constantique studio iamdiu contendat, ut Brasiliae gentibus catholici apostolatus bona conciliet, vobis satis superque esse notum pro certo habemus. Ut tamen ea omnia, quae idem dilectus Filius, divino iuvante numine, implenda sibi proposuit, reapse impleantur, unum deest, ut numerus videlicet operariorum augeatur, qui in messe Domini portent pondus diei et aestus. Quare, charitate Christi permoti et salvandarum animarum desiderio, enixe vos exhortamur imo et obsecramus, ut si quos, in monasterio quisque vestro, reperiatis, qui praedictum dilectum Filium Gerardum in Brasiliae oras sequi velint, eique in vinea Domini adlaborare ; eos ne prohibeatis, immo hortatione vestra stimuletis et corde magno et animo volenti derelictarum gentium necessitatibus concedatis. Hoc autem confidite, potentem esse Deum abundare facere in vobis, ut monasteria vestra nihil inde capiant detrimenti, sed, contra, numero et virtute floreant. Paternae Nostrae dilectionis testem ac munerum divinorum auspicem, Apostolicam Benedictionem vobis et subiectis cuique monachis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 20 Decembris 1905, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X

# ACTA ROM. CONGREGATIONUM

## EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

De facultate Episcoporum limitandi, etiam quoad Regulares, durationem pulsationum in sonitu campanarum.

*Beatissime Pater,*

Episcopus Sanctae Fidei in Republica Argentina humiliter ac reverenter exponit quod, attentis querelis sive privatim sive publice sive etiam per ephemerides excitatis ex abusu circa campanarum sonitum, necnon iure meritoque metuens auctoritatis civilis aut municipalis interventum, quem opera sui Vicarii Generalis semel vitare potuit, decretum edere statuit, vi cuius, campanarum sono diebus Dominicis, festivis aliisque anni temporibus haud prohibito, earumdem campanarum usus tantummodo moderatur et limitatur. Quum vero Fratres Praedicatores, qui in hac Sanctae Fidei civitate Conventum habent, contra praefatum episcopale decretum opponant privilegium ipsis a S. Pio V Constitutione *Etsi Mendicantium* diei 16 Maii 1567 concessum, atque a resolutione S. Congr. Episcoporum et Regularium diei 11 Martii 1892 confirmatum (i), duo sequentia dubia resolvenda proponit:

I. Utrum, attentis gravibus adiunctis supra relatis, dicti Fratres Praedicatores obtemperare teneantur dispositionibus in citato episcopali decreto contentis? Et quatenus negative:

II. Quomodo se gerere debeat Ordinarius ad interventum civilis vel municipalis auctoritatis vitandum ?

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regu-

(i) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol.** 24, **pag. 558-565.**

larium praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Firmo remanente Fratrum Praedicatorum privilegio pulsandi campanas quando eis placuerit, ad tramitem Constitutionis S. Pii V *Etsi Mendicantium,* Episcopus potest, propter specialia loci et temporum adiuncta, pulsationum durationem ad certum tempus limitare (i).

Romae, 15 Novembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

## CLARISSARUM

Novitiae immediate post Novitiatum admitti debent ad professionem votorum simplicium, quae ex parte voventis sunt perpetua.

*Beatissimo Padre,*

P. Silvestro Scaramucci dell' Ordine dei Frati Minori, confessore ordinario delle monache Clarisse Cappuccine di S. Fiora, diocesi di Città di Pieve, premesso il bacio del S. Piede, espone umilmente alla S. V. la seguente prassi che

(i) Siquidem S. Pius V postquam in citata Bulla § 22 praemiserit quod: « Quidam Episcopi Regulares campanas diebus festivis pulsare vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, Missas celebrare nolunt », ut huic molestiae finem imponeret, praescripsit : « Prohibemus insuper eisdem Ordinariis ac aliis quibuscumque personis ne impediant ipsos Fratres, quando iis placuerit, tam in diebus dominicis seu festivis aut aliis totius anni temporibus, campanas pulsare, et etiam tempore quo ipsi celebraverint, Missas celebrare ». — Ex hodierna deinde S. C. EE. et RR. decisione colligi potest quod privilegium Regularibus hac in re concessum proprie respicit substantiam rei seu ipsum campanarum sonum, quo Religiosi uti valent quando et quoties eis libuerit, quemque Episcopi prohibere per se potestatem non habent. At aliud dicendum venit quoad modum ipsius soni seu quoad durationem pulsationum; tunc enim Ordinarii, ita exigentibus peculiaribus circumstantiis, tempus in campanarum sonitu pro sua prudentia et sapientia moderare et limitare valent *(N. R.).*

egli ha trovata nel detto monastero relativamente alle professioni delle Novizie :

Dopo l'anno del Noviziato, le Novizie hanno sempre fatto fino ad oggi ancora un anno del così detto *Giovanetto* prima di fare voti di qualunque sorta; al termine del quale emettevano i voti semplici temporanei per tre anni. Terminato poi il triennio di questi voti semplici temporanei, erano ammesse alla professione solenne. Tale prassi è stata continuata anche dopo il Decreto della S. Congregazione dei VV. e RR. del 3 maggio 1902 (1), in virtù del quale, prima della professione solenne, le monache devono fare i voti semplici *ad triennium,* i quali per parte della vovente non sono più temporanei, ma perpetui. Per la qual cosa, nel lodato monastero, anche al presente, si trovano alcune giovani con voti semplici fatti non a norma del mentovato Decreto Apostolico, cioè perpetui per parte della vovente, ma secondo l'antica consuetudine del monastero, cioè temporanei.

Ora, tali giovani essendo prossime a terminare il triennio dei voti semplici temporanei e dovendosi ammettere alla professione solenne, a tranquillità sua e a rimuovere qualsiasi equivoco, supplica la S. V. per la soluzione dei seguenti dubbi :

I. Può tollerarsi l'anno del così detto *Giovanato* dopo quello del Noviziato; oppure, appena terminato il Noviziato, se nulla osta, devonsi ammettere le Novizie alla professione dei voti semplici secondo il tenore del Decreto Apostolico del 3 maggio 1902 ?

II. Quelle giovani che al presente hanno voti semplici temporanei, secondo l'antica consuetudine, prima di fare la professione solenne è necessario che facciano i voti semplici a norma ed in esecuzione del citato Decreto Apostolico, oppure è sufficiente il triennio dei voti temporanei fatti secondo l'antica consuetudine?

(1) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 35, pag. 31.**

III. Nel caso negativo alla seconda parte del secondo dubbio, e che cioè il triennio dei voti semplici temporanei non fosse sufficiente, l'oratore implora la dispensa dal citato Decreto del 3 maggio 1902, con la facoltà di ammettere le mentovate giovani alla professione solenne col solo triennio dei voti semplici temporanei, rimanendo troppo gravosa la ripetizione di un altro triennio di voti semplici, nonché una benigna sanatoria, qualora occorra, per quelle giovani che, dalla data del più volte citato Decreto fino ad oggi, hanno fatto la professione solenne, non osservata la forma e il tenore del Decreto medesimo, essendo ciò avvenuto in buona fede.

Che della grazia, ecc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus EE. et RR. praeposita, re sedulo perpensa, praefatis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam (1).

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam (2).

Ad III. Provisum in secundo.

Romae, 4 Decembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

L. ✠ S. Philippus Giustini, *Secretarius.*

(1) **Sane Conc. Trid.** *(Sess. 25, cap. 16 de Regul.)* **habet: « Finito tempore novitiatus, Superiores, novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant ». Et cohaerenter citatum Decretum** *Perpensis* **sub n. 1 addit: « Peracta probatione et novitiatu ad praescriptionem S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et legum Ordinis seu Instituti a S. Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant ». Ex quibus eruitur inter novitiatum et professionem votorum simplicium medium terminum intercedere non posse** *(N. R.).*

(2) **Perpetuitas enim votorum simplicium, potius quam a voluntate profitentis, pendet a positiva lege Ecclesiae, quae in Decreto** *Perpensis* **n. 5 statuit: « Vota simplicia, uti praefertur emissa, perpetua sunt ex parte voventis »** *(N. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## PANORMITANA

### NULLITATIS MATRIMONII

Matrimonium, ex capite vis et metus nullum, cohabitatione convalidari nequit.

**Species facti.** Die 27 Nov. 1884 Panormi rite nuptias inierunt Albertus Messina et Maria Stella Leone in aetate 17 annorum constituta. Haec tamen, quae patre orbata erat, ad huiusmodi coniugium contrahendum coacta fuisse videtur tum a matre tum praesertim a fratre Iosepho maiori natu, qui sua opera totam familiam sustentabat et qui ita Alberti sororem facilius in propriam uxorem ducere censebat. Maria propositas nuptias respuit, imo suam erga Albertum aversionem pluries ostendit, at vexationibus, minis verberibusque defatigata ac deterrita ad ecclesiam perrexit ibique invitum suum consensum expressit. In domum mariti deducta, coniugium etsi invita consummavit; verum duobus elapsis diebus ad matrem reversa est, a qua ad maritum redire coacta fuit, sed paulo post apud quamdam amicam se recepit non amplius ad Albertum reversura. Qui ab uxore derelictus Panormum reliquit atque alio profectus est, quin adhuc ipsius domicilium dignoscatur.

Interea Maria a laico tribunali petiit nullitatem vinculi civilis eamque die 14 Octobris 1896 obtinuit; deinde sui matrimonii nullitatem ex capite vis et metus etiam in foro ecclesiastico obtinere cupiens, supplicem libellum Panormitano Archiepiscopo misit. Tribunali rite constituto, eadem Archiepiscopalis Curia die 3 Aug. 1898 dictum matrimonium nullum declaravit. Appellatione tamen, prout de iure, a vinculi defensore apud Curiam Mazariensem interposita., haec die 9 Oct. 1902 eidem oratrici adversam tulit sententiam hisce

verbis: « Serio considerantes non adesse in depositionibus testium, a dicta Maria Stella in processu allatorum, apertissimas probationes luce clariores, quae a iure requiruntur (i). Et maxime perpendentes verba Iuris (cap. iv *De iis qui accusare etc.) : Invita desponsata, sponte cognita, contra matrimonium non auditur.* Clericatus xxvn, n. 37. Et insuper verba Decret, allata a Io. Friderico Schulte iam Professore Iuris ecclesiastici Pragae: *Postquam, legitimo tempore accedente, semel etiam copulae coniugali consenserit, ex ratihabitione sibi super hoc silentium, non ambigitur indixisse.* Et iuxta acta processus, matrimonium ab ipsamet Maria declaratur consummatum non in paterna domo sed, absentibus matre et patre eiusdem, in domo sponsi. His probe et serio consideratis, decernimus: *Petitiones Mariae non procedere,proindeque matrimonium validum esse ».*

Serius tandem, idest 28 Apr. 1904, actrix ab hac contraria sententia ad H. S. C. appellavit, quae, completioribus processus actis praehabitis, rem discutiendam modo statuit.

**Votum Theologi.** Egregius consultor in iure animadvertit quod ad matrimonium cassandum requiritur metus gravis, seu cadens in constantem virum. Gravitas autem haec, quamvis non eodem metro metiatur ab omnibus, tuto tamen deprehenditur imprimis in metu reverentiali, quo premitur qui patris, domini etc. magnam diuturnamque indignationem iniustam veretur. Cfr. D'Annibale *(Summ., lib. i, n. ijS, not. 16).* Quam indignationem merito praesumitur, quando serio imperata maioris praecesserunt, vel preces importunae saltem et instantissimae adhibitae fuerint ad vincendam repu-

**(ij Ius equidem exigit probationes suasivas, concludentes, demonstrativas, evidentes et etiam plenas, non tamen fulgentes ea maxima plenitudine evidentiae ut luce clariores sint; secus enim inutiliter in foro actionem suam prosequerentur infelices, qui metu compulsati fuerunt ad nubendum, cum unquam aut vix unquam talem evidentiae gradum attingere potest probatio, quae iam per se est difficilis** *(N. R.).*

gnantiam inferioris; quippe quod importunitas et imperium huiusmodi urgent nimis, vexant atque saueiant libertatem. Deprehenditur item in metu simpliciter maiorum physice affligentium, quae mala necesse non est ut sint enormia et exorbitantia utputa mortis, stupri, carceris, mutilationis etc., sed sufficit ut talia sint quae impediant exercitium plenae libertatis; nam « ad matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed requiritur plena libertas et omnino liber consensus; hoc est nullo gravi metu extortus »; Reiffenstuel *(lib. I Decret., tit. 40, § 3, n. Jl).*

Praedicta iuris principia in facto comparans Consultor sustinet Mariam Stella matrimonium contraxisse duplici gravi metu adactam, reverentiali nempe gravi, et simpliciter gravi. Idque probat aptis testimoniis per quatuor sequentes propositiones, nempe : *a)* Cum nuptiae sibi propositae fuerint a fratre et matre, et inde cum virum Messina cognovit, nullo amore erga eum affecta fuit, imo e contra repugnantia maxima ; *b)* Tum apertis verbis, tum factis plurimis hanc suam repugnantiam commonstravit, quam tamen callida mater virum Messina celavit; *c)* Cum frater materque incasse verba et adhortationes adhibuerint, ad saevitias plurimas per fratrem ventum est, nec ab iis cessatum est, nisi quando actrix nuptias se celebraturas promiserit, imo nisi cum celebratae fuerint; *d)* Nuptiis contractis actrix non potuit cum viro sibi imposito vitam coniugalem in pace ducere, et ideo eum reliquit.

Concludit igitur preces oratricis dimittendas esse affirmativo responso, cum argumenta in medium adducta sint sufficientia ad metum gravem constituendum.

**Animadversiones Defensoris vinculi ex officio.** Matrimonii Vindex, existentiam metus gravis in casu recognoscens, conclusionibus Consultoris assentit. Verum relate ad sententiam a Curia Mazariensi editam haec addit: « Dimittere non possum sine censura, quae ibi subnectuntur de

valore, quem habet copula carnalis ad sanandurn matrimonium, quod nulliter fuit celebratum ex capite vis et metus. Etenim haec theoria olim verissima, et etiam nunc dubio procul vera ubi non urget caput *Tametsi,* minime amplius obtinet ob inductam Tridentinam formam. Quum enim matrimonia coram parocho et testibus seu coram Ecclesia hodie sint celebranda, si casu contigerit quod coniugium aliquod nulliter celebratum sit defectu consensus, defectus seu vitium non aliter purgatur quam per consensus renovationem coram parocho et testibus seu coram Ecclesia.

« Mirandum hinc, et quidem non parum, Curiam Mazariensem *tam rotunde* nobis obtrudere, ut vigentem, antiquatam disciplinam de coniugiis per copulam carnalem subsequentem sanandis. *Tam rotunde* inquam, allegando ius antiquatum tamquam vigens, nulla insuper facta distinctione inter casum metus publici (circa quem cadunt mox factae animadversiones) et casum metus occulti (in quo adhuc posset habere locum hodie dispositio iuris antiqui).... insuper nulla facta distinctione inter casum positae *libere* copulae subsequentis (in quo unice vera erat dispositio iuris antiqui) et casum positae *coacte* copulae subsequentis (in quo ob defectum voluntatis antiqua dispositio non obtinebat). Nec ad legitimandam theoriam Curiae Mazarien. adlegetur auctoritas I. C. in celeb. Inst. quoad causas matrimoniales data a. 1883, quaque adhuc traditur antiqua regula sub hisce verbis: *Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire etc. etc.* Nam omissa quaestione an in casu nostro, metu iam cessante, copula *libere* intercesserit, in puncto iuris theoria tradita a S. O. non alio pacto sustinetur nisi applicetur Orientalibus, qui, quum *generatim* Decreto *Tametsi* non devinciantur, manent sub dispositione antiqui iuris. Et reapse citata Instructio fuit data ad Episcopos Orientales. Dolendum potius hanc eamdem Instructionem, nulla facta quoad hoc punctum variatione vel

adnotatione, extensam fuisse a S. C. de Propaganda (ut liquet ex eius Collectanea, edit. I, pag. 592) ad Occidentales regiones, quae pendent ab ipsa S. C. in quibus tamen plures sunt, quae decreto *Tametsi* subiiciuntur. Hisce enim regionibus *hodie* nullo modo aptari potest dispositio* antiqua, nisi in casu metus occulti ».

**Dubium.** *An sententia Curiae Mazariensis die p Octobris i po 2 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

**Decisio.** S. Congregatio Concilii, re sedulo perpensa, die 26 Augusti 1905 respondendum mandavit:

*Sententiam esse infirmandam.*

**Colliges.** i°. Non ambigitur in casu vim metumque extitisse, quum, praeter instantissimas ac importunas preces, ad mulieris repugnantiam debellandam vexationes, minae ac verbera quoque fuerint adhibita.

2°. Iamvero ad matrimonium contrahendum requiritur plena omnino libertas, ne quis per timorem dicat sibi placere quod odit.

3°. In themate praeterea matrimonium consummatum quidem fuit, sed coniugalis copula coacte intercessit ex parte mulieris.

4°. Imo etiamsi carnalis copula libere intercessisset, quum tamen metus fuerit publicus, nuptiae convalidari nequirent, nisi per consensus renovationem coram parocho et testibus.

5°. Copula enim subsequens libere habita duplici tantum in casu convalidare potest coniugium antea nullum ex capite vis et metus ; nimirum quando agitur vel de timore occulto, vel de locis ubi lex Tridentina clandestinitatis nondum promulgata fuit.

# PLATIEN.

## REDDITIONIS RATIONUM

Immemorabilis consuetudo reddendi Ordinario dioecesano rationes administrationis singulis tantum trienniis et quidem tempore S. Visitationis sustineri nequit.

**Facti series.** In oppido vulgo *Castrogiovanni,* dioeceseos Platiensis, perantiqua extat paroecialis et Collegiata ecclesia, cuius sat pingues reditus pro cultus manutentione ac pro beneficentiae operibus erogari solent. Administratio autem est mixta, et geritur a quatuor Dignitatibus Collegiatae, qui sunt etiam eiusdem parochi, necnon a duobus procuratoribus laicis. Administratores praeterea, iuxta antiquam praxim, Ordinario rationes gestionis suae singulis tantum trienniis et quidem tempore S. Visitationis reddere solent. Verum anno elapso Episcopus exegit ut singulis annis haec rationum redditio sibi fieret, et insuper ut sibi exhiberetur status praeventivus exitus et introitus vulgo *bilancio preventivo.*

Cum autem ipsi refragati sint, Episcopus ab hac S. C. petiit ut declararetur: 1°. dictos administratores teneri ad rationes Ordinario reddendas singulis annis vel saltem singulis bienniis; 2°. quavis in hypothesi, eosdem administratores adstringi ad tradendum singulis annis Ordinario statum praeventivum exitus et introitus, ita ut haec traditio et revisio fieri debeat in episcopali Curia.

**Disceptatio Synoptica.** In primis favore administratorum observari potest, quod pro eis militat consuetudo immemorialis exhibendi Episcopo singulis tantum trienniis rationes gestae administrationis, quae prodest tum in linea praesumptiva, quatenus praesumere facit id statutum fuisse in tabulis fundationis, tum in linea praescriptiva, quia per eam facultas Ordinarii ad triennium coarctata manet. Siquidem testis est Rota in *Romana - Fideicommissi* 18 Iunii 1801, et haec S. C. in *Assisien. - Pii legati Missarum* 18 Septem-

bris 1819, ubi docetur per eamdem observantiam immutari imo et deleri ecclesiae quoque iura posse. Per clausulam autem Conc. Trid. *(Sess. 22, cap. p de Reform.)* : « consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis » non censetur ablata consuetudo immemorialis, uti .pluribus allatis doctoribus probat Reiffenstuel *(lib. i Decret., tit. 4, n. iSp)* idque eo vel magis in themate locum obtinet, cum sit contra ecclesiasticum dumtaxat ius, quo in casu dispositio *cap. ult., de consuetud, (lib. i Decret. , tit. 4, cap. 11)* pro eius validitate subintrat.

Triennalis praeterea redditio rationum decisa fuit a Tribunali Regii Patrimonii a. 1800, confirmata a Supremo Status Consilio a. 1852, recognita a Gubernio Neapolitano a. 1857, ac demum sancita a pluribus sententiis Regiae Apostolicae Monarchiae in Sicilia. Nec praetereundum est quod impositio de annali vel biennali redditione rationum obicem invenire potest ex parte Municipii, quod una cum administratoribus in electione laicorum procuratorum concurrit.

Accedit quod per dictam impositionem et praecipue per alteram de exhibendo singulis annis computo praeventivo futuri exitus et introitus, quaedam in administratoribus diffidentia vel sin minus negligentia praesumitur. Item non videtur esse admittendum quod exhibitio et examen status praeventivi fieri debeat in Curia episcopali; nam exurgere aliquando possent dubia praesertim circa partitas introitus, et tunc essent inibi avocandi codices vel alia documenta ad rem declarandam, quod maximum incommodum parit.

Ex altera vero parte adnotandum est quod Episcopo oratori favet dispositio Conc. Trid. *[Sess. 22, cap. p de Reform.) :* « Administratores, tam ecclesiastici quam laici, fabricae cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus et privilegiis qui-

buscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset ». Haec autem lex de annali rationum redditione facienda Episcopo est ita stricta, ut hospitalia et confraternitates, quae sunt sub immediata Regum protectione, sint quidem exempta a Visitatione Episcopi ex dispositione Conc. Trid. *(Sess.* ***22,*** *cap. 8 de Reform.),* sed non liberantur ab huiusmodi onere erga Ordinarium, uti pondérât Fagnanus in cap. *De Xenodochiis,* n. 17, et cap. *Ad haec, de Religiös, dom.,* et firmavit Rota *dec. iyj, n.* 7 *et 8 coram Cerro.*

Episcopi autem has rationes exigere possunt ab administratoribus tam tempore S. Visitationis tam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis, uti patet ex citatis capitibus 8 et 9, et pluribus fuit confirmatum decisionibus H. S. C, quas citat Ferraris *(Bibl. can., v.* Administratio, *n.* ***2).*** Quare Episcopus in themate, iubens ut sibi singulis annis exhibeantur computa expensi et accepti ab administratoribus Collegiatae oppidi *Castrogiovanni,* utitur iure suo in vim facultatis sibi concessae a Conc. Trid., iuxta decisionem huius S. C. in *Mediolanen.* 9 Aug. 1569, quae refertur a Pignatelli *(Cons. iy, tom.* 7, *n.* ***20).*** Praetensio autem administratorum falso nititur supposito, nempe quod S. Visitatio expleri debeat intra triennium, quod est contra expressum Conc. Tridentini textum.

Neque aliquid ponderis habere possunt decisiones latae a Tribunali Apostolicae Regiae Legatiae, tum quia pluries RR. Pontifices contra eius abusus reclamarunt, uti expresse declaratur in Bulla Pii IX *Suprema Universi* die io Oct. 1867 abolitiva dicti Tribunalis, tum quia hae decisiones in casu sunt prorsus incongruae. Item nec utiliter invocari potest contraria observantia licet centenaria vel immemorialis, tum quia non videtur esse rationalis, utpote quia praebens administratoribus occasionem erogandi reditus contra voluntatem disponentium et in praeiudicium ecclesiae, tum quia ut notat

Ferraris *(L c, n. j)* exactio computorum administrationis est munus publicae potestatis introductum ad bonum commune, quod legibus et pactis privatorum impediri non potest.

Praeterea dicta facultas videtur Episcopo fuisse reservata in actu fundationis ipsius Collegiatae. Siquidem a. 1703, ut fatetur Supremum Consilium Status in sua relatione a. 1852, Episcopus approbavit erectionem parochialis ecclesiae in Collegiatam sub conditione ut Ordinarius appositas conditiones immutare, temperare vel etiam abolere posset; hinc nihil obstare videtur quominus ipse conditionem de triennali relatione computorum ad terminos iuris communis moderetur.

Item ex hoc descendit quod Episcopus possit etiam petere quotannis ab administratoribus ut sibi tradatur computum praeveñtivum exitus et introitus futuri anni pro revisione. Haec enim praxis viget in omnibus publicis laicis administrationibus, quae singulis annis tenentur huiusmodi schema remittere auctoritati tutoriae, idque ad praecavendas inutiles expensas. Aliunde hoc ius videtur Episcopo tributum ab Epistola ministeriali a. 1857. Quo vero ad alteram Episcopi petitionem quod nempe examen computi praeventivi fiat in Sede episcopali et non apud sedem administrationis, ea pariter videtur excipienda, tum quia pro conficiendo praedicto examine non est necessaria asportatio actorum vel codicum, tum quia id quotidie est in praxi deductum in omnibus rectis administrationibus.

Demum relate ad obiecta incommoda quae timeri possent ex introducenda innovatione reponi potest, quod ea nullo nituntur fundamento. Siquidem adest sententia Supremi Tribunalis (vulgo *Corte di Cassazione)* Panormitani iam transacta in rem iudicatam et edita sub die 8 Martii 1870, qua declaratum fuit omnia bona supposita dictae administrationi constituere beneficium parochiale. Hinc abest omnis metus ut ea apprehendi possint a Municipio.

**Rescriptum.** S. Congr. Concilii, omnibus rite perpensis, die 18 Novembris 1905 respondendum censuit:

*Servetur ius commune.*

**Colliges.** i°. De iure communi administratores quorumcumque piorum locorum, sive in S. Visitatione sive etiam extra ipsam, rationes gestae administrationis Ordinario dioecesano vel eius Delegato quotannis reddere tenentur.

**2°.** Haec autem rationum redditio fieri debet, non obstante quavis contraria consuetudine etiam immemoriali ; excipitur dumtaxat casus, quo aliter sit expresse cautum in pii operis fundatione (i).

3°. Episcopi praeterea, tamquam administratores nati cuiuslibet causae piae in propria dioecesi existentis, iure pollent exigendi singulis quoque annis, vel in sede administrationis vel in ipsa episcopali Curia, statum praeventivum exitus et introitus.

4°. In casu proinde preces Episcopi oratoris, utpote iuri communi consonae, exceptae videntur.

**(i) Ad rem Reiffenstuel** *(lib. i beeret., tit. 4, n.* ***IQ2)*** **habet: « Insuper quoties generaliter tolluntur quaecumque consuetudines, excipiendo dumtaxat unum certum casum, prout fit in Conc. Trid.** *Sess.* ***22,*** *cap. g de Reform, (quod nempe casum de quo agitur respicit),* **censetur etiam sublata consuetudo immemorialis, quando ipsi non convenit ratio casus exceptuati. Ratio est quia tunc exceptio illa firmat regulam in casibus non exceptuatis, adeoque regula locum habebit etiam in consuetudine immemoriali ». Et Fagnanus** *(lib. 3 Decret., cap.* **Ad haec,** *de Relig, dom., n. 34)* **subdit: « Talia verba** *(nisi in institutione fabricae secus expresse cautum esset)* **non possunt convenire consuetudini immemorabili, quia cum in ea nulla verba expressa legi possint, cum consistat in praesumptionibus, impossibile est dicere, quod cautum sit expresse per immemorabilem. Et exceptio haec sola dicitur firmare regulam in casibus non exceptuatis. Ergo regula habebit locum etiam in immemorabili, tanto magis... quia si dicatur non habere locum quando adest consuetudo immemorabilis, nunquam procederet; quia clarum est ante Concilium Episcopum nunquam fuisse adhibitum ea forma, quam Concilium requirit. Unde cum sit nova forma inducta a Concilio, non consideratur immemorabilis praecedens »** *(N. R.).*

# COMPOSTELLANA

## IUBILATIONIS

Conceditur iubiiationis indultum cum exemptione a quibusdam oneribus per Capitularia Statuta impositis.

**Supplex libellus.** Paulus Cuesta Hernández, canonicus ecclesiae B. Iacobi de Compostella in Hispania, quum ferme 50 annorum spatio servitium continuum et laudabile in beneficio praestitisset, corporea conditione viribusque deficientibus, iubiiationis indultum a S. Sede postulavit. De precum veritate testatur Emus Archiepiscopus, qui praeterea addit: « Summus Pontifex Gregorius XIII declaravit tolerari debere Statutum Compostellanum gratiam iubiiationis concedens beneficiato, qui per seipsum 40 annis ecclesiae deservivit, prout fidem facit Garcia *(De benef., pari. 3, cap. 2, n. 344)* hisce verbis: *An sit derogatum Statutum ecclesiae Compostellanae permittens beneficiato, qui in ea per 40 annos continuos aliquod ecclesiasticum beneficium pacifice possedit, et per dictum tempus illud per se ipsum in divinis residendo deservivit, ut a dicta ecclesia de caetero, quoad vixerit, ut emeritus et inde donatus abesse liceat, et tanquam praesens in choro habeatur, tam ratione fructuum praebendarum, quam distributionum quotidianarum f — 6*. D. Gregorius XIII, audita relatione Congregationis dixit, tolerandum esse hoc statutum.* — Vi huius Statuti orator praedictus a Capitulo Cathedrali poposcit et obtinuit iubilationem sub die 30 Martii 1901, cum dispensatione praesentiae choralis, sed cum obligatione adimplendi hebdomadam ceteraque onera communia iuxta Statutorum Capitularium praescriptionem. Residentia quadragenaria continua et laudabilis Can. Cuesta a Capitulo testificatur; sed idem Capitulum animadvertit quod, cum sint sine retributione hebdomada et cetera onera communia, ab his soluto Can. Cuesta in praeiudicium cederet ceterorum ». Praedicta vero onera, non obstante indulto iuxta Statuta Capitu-

laria concesso, ab indultado ferenda dicuntur de praebenda suntque Hebdomadae Missae, et Evangelia in illis Dignitatum, necnon gestatio Pluvialium et adsistentia coram SSmo.

**Animadversiones.** Notum est imprimis quod, quamvis in corpore iuris nullus habeatur textus respiciens iubilationem concedendam canonicis aliisque beneficiatis, tamen ex approbatis a Clemente XI S. C. Concilii resolutionibus, in quibus Statuta ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum tolerabantur, iuxta quae canonicis ac beneficiatis post servitium 40 annorum concedebatur iubiiationis indultum cum participatione fructuum ac praebendarum, praxis in eadem S. C. inducta est, dictam concedendi iubilationem post servitium continuum et laudabile 40 annorum, dummodo cultus divinus notabile non patiatur detrimentum. Nihilominus si peculiaria onera ex tabulis fundationis iubilato inhaereant, haec non comprehenduntur in indulto iubiiationis. Unde H. S. C. rescribere passim solet : « Pro gratia iubiiationis cum solitis cautelis » uti in *Firmana* die 9 Apr. 1859, vel: « Pro gratia iubiiationis cum solitis clausulis » ut in *Montisfalisci* 31 Ian. 1852.

Iamvero quod Capitulum dictae Compostellanae ecclesiae legitima potestate iubilationem cum distributionum perceptione concedendi fruatur, ex declaratione Gregorii XIII patet, qui eiusdem Statuta tolerari posse edixit. Ipse autem Garcia *(loc. cit.)* huius S. Congr. in una *Oseen,* declarationem refert ita se habentem: «Licet Statuta sint sublata, per quae absentibus dantur distributiones, nihilominus Gregorius XIII senibus et benemeritis misertus mandavit Statutum Compostellanum tolerari, per quod debentur distributiones non servientibus, qui per quadraginta annos servierunt». Et Benedictus XIV *(De Syn. dioec, lib. iß, cap. g, n. 15)* addit : « Cumque praeterea in Congr. Concilii non improbandum sed tolerandum olim visum fuerit Capituli cuiusdam Statutum expresse permittens, ut si quis Canonicus per annos quadraginta chorum laudabiliter frequentasset, ab eius servitio deinceps sine fructuum et

distributionum iactura abstinere posset, eaque Congregationis sententia et resolutio a fel. rec. Gregorio PP. XIII approbata et confirmata fuit ».

Cum itaque iura et onera iubilati ex constitutionibus et consuetudine cuiusque ecclesiae sint dimetienda, eisque vis omnino specialis non sublata a Concilio Tridentino recognita fuerit, videtur canonicus Cuesta, quamvis iubilatione a Capitulo donatus, hebdomadam caeteraque onera communia vi ipsorum Statutorum adimplere teneri. Accedit quod cum hebdomada ceteraque onera communia sint sine retributione, si ab his idem canonicus solveretur, id in praeiudicium caeterorum vergeret, eo quod eorum labor augeretur, incommodumque proinde ipsi persentirent.

Verum ex altera parte observandum occurrit, quod licet Capitulum Compostellanum indulta iubiiationis iuxta sua Statuta tribuens iis, qui choro 40 annos deservierunt, eosdem ab hebdomadae servitio et ab oneribus communibus eximere non possit; nihilominus id ex iusta causa peragere valet haec S. C. ; siquidem potestas ipsi adempta non est in Capitulo Compostellano peragendi quod in aliis Capitulis potest. Porro ut liquet ex innumeris resolutionibus ut *Aquipendien.* 23 Martii 1696, *Civitatis Castellanae* 29 Nov. 1766, *Spoletana* 18 Aug. 1770, ni dicam *Viterbien.* 19 Dec. 1903, S. H. C. indulta iubiiationis tribuens exemit iubilatum a quocumque servitio communi, licet hoc cederet in aliorum gravamen. In casu praesenti hoc peragere vel aequius et facilius posse videtur, tum quia agitur de chorali, qui iam 50 annos servivit, tum quia de positiva Emi Ordinarii et Capitularium oppositione constare nt?n videtur.

**Rescriptum.** Sacra Congr. Concilii, re sedulo perpensa, die 18 Novembris 1905 respondendum mandavit:

*Pro gratia iubiiationis cum solitis clausulis.*

**Colliges.** i°. Ex praxi recepta in S. Congregatione Concilii, conceditur gratia iubiiationis canonicis et beneficiatis, qui

saltem per 40 annos continuo ac laudabiliter in beneficio inservierunt, dummodo cultus divinus notabile non patiatur detrimentum.

2°. In casu canonicus orator, ob continuum laudabilemque 50 fere annorum servitium necnon ob devexam aetatem infirmae valetudini coniunctam, indulto iubiiationis donatur, atque eximitur a quibusdam communibus oneribus per Capitularia Statuta impositis.

## DECRETUM

### De dispositionibus requisitis ad frequentem et quotidianam Communionem eucharisticam sumendam.

#### DE QUOTIDIANA SS. EUCHARISTIAE SUMPTIONE

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus, *(Sess. 22, cap. 6)* ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus (1).

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., vi, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a

(i) **Huiusmodi Ecclesiae desiderium eruitur etiam ex quadam antiqua declaratione S. C. Concilii, cuius tenor extat penes De Lugo** *(De Euch., disp. 17, n. 2) (N. R.).*

discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum,* per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam , quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere (i).

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August. *Serm. /7 in Matth. De Orat. Dom., n.* 7). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur (Sess. ij, cap. 2).*

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurabant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis (Act.,* n, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt (2).

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de

(1) **Ita S. Cyprianus** *(lib. De Orat. Domin., 18),* **Tertullianus** *(lib. De Oratione, cap. 4)>* **S. Ambrosius** *(De sacram., lib. 5, cap. 4)>* **S. Augustinus** *(Serm. 80, cap. 4)>* **S. Thomas** *(Summ. Theol., part. 3, quaest. 80, art. io),* **Catechismus Romanus, etc.** *(N. R.).*

(2) **Cfr. S. Alphonsus** *(Risposta ajpolog. contro d. Cipriano Aristasio (N.R.).*

dispositionibus, .quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa Ìntegri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena (i) , etiam feria vi in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures,* diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio PP. XI adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium (2). Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri PP. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit (3).

(1) **Ab ipsis enim ministrabatur Eucharistia etiam domi cubantibus in lecto, quavis gravi seclusa infirmitate; necnon a venialibus culpis sacerdotes nedum ad confessiones adprobati absolvebant** *(N. R.).*

(2) **Hoc decretum legi quoque potest in Opusculo ab Emo Card. Gennari exarato, cui titulus** *La Communione frequente, ed.* **2,** *pag.* 77, **ubi plura etiam prostant quae sunt hac de re scitu opportuna** *(N. R.).*

(3) **Damnata propositio Baii sub n.** 23 **ita se habet: « Similiter arcendi**

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit ; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua (i).

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dno Nostro Pio PP. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur : ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie

**sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers »** *(N. R.).*

**(i) Dummodo, uti supponitur, Communio in statu gratiae et cum recta intentione fiat** *(N. R.).*

advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1°. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2°. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3°. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expédiant (1).

4°. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

(1) Ita docent **S. Augustinus** *(epist. 118, cap.-3)*, **S. Ambrosius** *(De sacram., lib. 4, cap. 6)*, **S. Cyprianus** *(De Orat. Dom. 18)*, **S. Beda** *(in ep. ad Cor., cap. 11)*, **S. Thomas** *(Summ. Theol., part. 3, q. y g, art. 8) etc. (N. R).*

5°. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6°. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam *(Part ii, cap. 4, n. 60)*, christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur (i).

7°. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum (2). Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio ; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8°. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam

(1) **Catechismus Romanus** *(De sacram. Euch., cap. 4> "- 63)* **ad rem praescribit : « Parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiiciant: neque enim minus spirituali cibo animam , quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat: itemque sanctorum Patrum auctoritates, quae frequentem huius sacramenti perceptionem magnopere commendant., Neque enim unius Patris Augustini ea fuit sententia:** *Quotidie peccas, quotidie sume;* **sed, si quis diligenter attenderit, eumdem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse, facile comperiet »** *(N. R.).*

(2) **Cfr.** *Acta S. Sedis,* **vol. 23, pag. 5o5-5o7, art. 5 et 6** *(N. R.).*

calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt (i). Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus Religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9°. Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. Pium PP. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mensis Decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, Institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt, S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 Decembris 1905.

f VINCENTIUS Card. Ep. Praenest, *Praefectus.*

L. «f* S. Caietanus De Lai. *Secretarius.*

(i) Ita decretum etiam fuit in una *Burdigalen.* 4 Augusti 1888; Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 5o5 *(N. R.).*

# DECRETUM

## De alumnis ab uno Seminario dimissis in alterum non recipiendis.

DE SEMINARIORUM ALUMNIS »

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, Sess. 14 de reform,* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et

ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei xvi mensis Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

i°. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2°. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e

cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3°. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4°. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die xx m. Iulii 1898 statuuntur (i). Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23 de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 22 m. Decembris 1905.

f VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

L. «I* S. Caietanus De Lai, *Secretarius.*

(O Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 31, pag. 49. Quinque numerantur tituli quibus Episcopus dici potest proprius ratione sacrae ordinationis et subsequentis subiectionis, nempe origo, domicilium, beneficium, familiaritas et incardinatio *(N. R.).*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

### Regulares dispersi non tenentur ad Officium et Suffragium Titularis ecclesiae conventualis.

Ferme omnes ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae et Conventus Religiosis vacant. In manus sic dicti *Liquidatoris* transierunt ecclesiae et Conventus; nihilominus in locis ubi erant Conventus remanserunt Religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur Officium Titularis ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplicis primae classis cum Octava, et in Suffragiis Sanctorum commemorationem praefati Titularis peragere ?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

*Negative;* sed unice tenentur ad Officium et Suffragium de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel indulto Apostolico habeantur; uti in Decreto n. 3210 *Ordinis Minorum* 3 Iulii 1869 (i).

Atque ita rescripsit. Die 9 Septembris 1905%

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. «f* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

**(i) Hodierna responsio, licet Capuccinis data sit, tamen ob rationis identitatem pro coeteris quoque Religiosis, qui sive in Gallia sive alia in natione iisdem detinentur circumstantiis, valere potest. Inculcatur praeterea obligatio recitandi Officium de Patrono Provinciae Regularis ac illius peragendi commemorationem in Suffragiis Sanctorum Ordinibus illis, qui ad hoc tenentur** vel **ex Apostolico indulto vel saltem ex speciali Rubrica proprii Ordinis, prouti verificatur apud Gapuccinos aliosque Minores iuxta citatum Decretum n.** 321 **o** *(N. R.).*

# EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia adnectitur orationi ad S.Toseph pro sanctificatione festorum.

PREGHIERA

Gloriosissimo Patriarca S. Giuseppe, impetrate, vi supplichiamo, da nostro Signor Gesù Cristo, copiosissime benedizioni sopra tutti i santificatori del giorno festivo; e fate che i profanatori, mentre sono in tempo, conoscano il gran male che commettono ed i castighi che si attirano nella vita presente e nella futura, e prontamente si convertano.

O fedelissimo S. Giuseppe, voi che nel giorno del Signore cessavate da ogni lavoro della vostra officina, ed in compagnia di Gesù e di Maria con divozione vivissima adempivate i doveri religiosi, benedite la pia Opera della santificazione delle Feste, eretta sotto il vostro potente patrocinio; fatela dilatare in ogni casa, negozio, laboratorio, affinchè venga presto il giorno nel quale tutto il popolo cristiano, nei giorni festivi, si astenga da ogni lavoro proibito, attenda seriamente alla salvezza dell' anima sua e dia gloria a Dio che vive e regna in tutti i secoli dei secoli. Così sia.

*Ex Audientia SSmi, die ßo Maii ipoj.*

SSmus D. N. Pius PP, X, auditis expositis, omnibus Christifidelibus praefatam precem corde saltem contrito recitantibus , quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum , animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam , benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI

Praesens exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulg. Sacrisq. Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C, die i Dec. 1905.

Pro Secretario

L. «f* S. Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

Indulgentia pro oratione " Beati mortui etc. „.

*Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

*O mi Deus, moriendüm mihi est certo, sed nescio quando, quomodo, ubi moriar ; hoc unum scio, me in aeternum peritorum, si in peccato lethali expirem.*

*Beatissima Virgo Maria, Mater Dei Sancta, ora pro me peccatore, nunc et in hora mortis meae. Amen.*

SSmus D. N. Pius PP. X in Audientia die 24 Decembris 1905 ab infrascripto Episcopo oratore habita istam precationem corde contrito recitantibus indulgentiam 300 (trecentorum) dierum toties quoties lucrandam concedere dignatus est.

f Gustavus Carolus Majláth, *Episcopus Transylvaniae.*

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 12 Ianuarii 1906.

L. S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro iaculatoria " Domina nostra SS. Sacramenti „.

Cunctis qui coram SSmo Sacramento publicae adorationi exposito recitaverint hanc iaculatoriam : *Domina nostra SSmi Sacramenti, ora pro nobis,* indulgentiam tercentorum dierum concedimus.

Die 30 mensis Decembris a. 1905.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti documentum a Sanctitate Sua Manu Propria exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die io Ian. 1906.

L. 4* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro iaculatoria prece "Maria speranza nostra etc. „

*Maria speranza nostra,*
*Abbi di noi pietà.*

A tutti che reciteranno questa Giaculatoria concediamo l'indulgenza di trecento giorni.

Li 3 Gennaio 1906.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti documentum a Sanctitate Sua Manu Propria exaratum, exhibitum fuit huic Secretariae S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 8 Ian. 1906.

L. 4* S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro quadam oratione Sanctissimae Virgini Dolorosae.

*Beatissimo Padre,*

Il Comitato internazionale del solenne omaggio a Gesù Cristo Redentore e al suo Augusto Vicario, prostrato ai piedi del Vostro trono, implora umilmente la grazia che ai fedeli, i quali con cuore almeno contrito e devotamente reciteranno la seguente preghiera alla B. V. Addolorata in qualunque lingua tradotta, sia concessa indulgenza di 200 giorni, una volta al giorno, applicabile ancora alle sante anime del purgatorio.

SANCTISSIMAE VIRGINI DOLOROSAE

*O Virgo et Mater sanctissima, cuius animam in divini Filii tui passione doloris gladius pertransivit, et quae in gloriosa eius resurrectione perennem triumphantis laetitiam percepisti ; intercede nobis supplicibus tuis, ita sanctae Ecclesiae adversitatibus summique Pontificis doloribus consociari, ut optatis etiam consolationibus laetificari cum ipsis mereamur, in caritate et pace eiusdem Christi Domini nostri. Amen.*

Ai fedeli, che reciteranno devotamente e con cuore al-

meno contrito questa preghiera tradotta in qualunque lingua, concediamo per una volta al giorno l'indulgenza di duecento giorni applicabile anche alle anime sante del Purgatorio.

Li 25 Gennaio 1906;

PIUS PP. X

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 3 Februarii 1906.

L. *£• S. f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Conceditur indulgentia recitantibus iaculatoriam precem Nostrae Dominae Liberatrici captivorum.

*Très Saint Père,*

Humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté Léon Livignac Evêque titulaire de Pacando et Supérieur Général de la Société des Missionnaires d'Afrique (Pères-Blancs), Vous supplie instamment de vouloir bien enrichir de quelque indulgence l'invocation suivante: *Notre-Dame Liberatrice des esclaves, priez pour nous.* Et cela afin d'obtenir de Dieu, par l'intercession de la Très-Sainte Vierge, que les pauvres esclaves de lAfrique soient délivrés de l'esclavage du corps, et surtout du péché.

Que Dieu etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, omnibus ex utroque sexu Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote praefatam iaculatoriam precem recitaverint, indulgentiam biscentum dierum, semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus

quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria S. C. eiusdem, die 31 Ianuarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Pro Secretario

L. «f* S. Iosephus M. Can. CoselH, *Substitutus.*

# EX VICARIATU URBIS

Normae pro examinibus Concionatorum Urbis (i).

Art. I. Gli esami, per ottenere la facoltà di predicare, avranno luogo nel palazzo della Nostra Residenza ogni giovedì dal Novembre a tutto Giugno nelle ore della mattina dalle 9 alle **12** e nel pomeriggio due ore prima *dell'Ave Maria.*

Art. IL L'esame consterà di tre parti, cioè: 1. nozioni fondamentali di Sacra Eloquenza, secondo il sommario che si pubblica qui unito; **2.** cultura generale teologica così dommatica come morale, parimenti secondo il sommario che si aggiunge; 3. esercitazione pratica che potrà consistere: *a)* in una spiegazione catechistica sopra un brano del Catechismo *ad parochos, b)* in una omelia sopra un brano del Santo Vangelo, *c)* in un discorso sopra un tema religioso o morale.

Art. III. Dall'esame sulla seconda parte del programma sono dispensati quelli che hanao conseguito la laurea in S. Teologia.

Art. IV. Per ottenere poi la dispensa da tutto l'esame, si presentino alla Segreteria del Vicariato quei titoli che ciascuno crede sufficienti e dei quali Noi ci riserviamo giudicare.

Roma, dalla Nostra Residenza 31 Ottobre 1905.

PIETRO Card. Vicario

L. + S. Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

**(i) Hae normae relationem habent ad Notificationem diei** 10 **Aug.** 1905, **quae prostat in** *Actis S. Sedis,* **vol. 38, pag.** 187 *(N. R.).*

SOMMARIO PER L'ESAME DI CULTURA GENERALE TEOLOGICA

La Fede e le prove della sua credibilità, preteso dissidio tra la ragione e la fede. — Possibilità dei miracoli. — L' ateismo nella legislazione civile e nella scuola. — Necessità del culto esterno. — Ispirazione divina delle Sacre Scritture e loro uso. — Tradizione divina; valore e **Uso** dell'autorità dei.Padri e dei Dottori. — Unità della persona e distinzione delle nature in Gesù Cristo ed efficacia della Redenzione. — Natura, eccellenza e necessità della grazia. — Istituzione divina dei Sacramenti. — La transustanziazione. — La Santa Messa è vero sacrificio salutare per i vivi e per i morti. — La confessione auricolare è necessaria per il perdono dei peccati commessi dopo il Battesimo ed è stata sempre in uso nella Chiesa. — Le indulgenze. — Essenza e specie diverse del peccato e condizioni richieste a peccare mortalmente. — Occasioni del peccato e obbligo di fuggirle. — Obblighi di giustizia e obblighi di carità verso il prossimo. — Diritto di proprietà. — La restituzione dell'onore e della roba. — In che consiste l'essenza del Matrimonio fra cristiani. — La Chiesa Cattolica Romana è la sola vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo. — Primato di universale giurisdizione ed infallibilità dottrinale. — Diritto del Papa di dirigere il pensiero e l'azione dei cattolici nelle questioni sociali. — Libertà di coscienza. — Libertà di stampa. — Tolleranza civile e religiosa. — Diritto di associazione. — I precetti della Chiesa. — Le censure. — Preghiera e culto dei Santi. — II Purgatorio. — L'inferno e l'eternità delle pene.

SOMMARIO PER L' ESAME DI NOZIONI FONDAMENTALI DI S. ELOQUENZA

Natura propria, fine, mezzi, fonti dell'eloquenza sacra e come differisca dalla profana. — Qualità richieste nel predicatore per le leggi divine ed ecclesiastiche, la sublimità del ministero, il frutto delle anime. — Differenti specie di predicazione e modi proprii di ciascuna. — Difetti principali da evitarsi nella scelta dei temi, nel modo di esporli, nella forma del dire, nella recitazione, nel contegno del predicatore. — Se e come possano trattarsi questioni politiche dal sacro oratore. — Quali questioni scientifiche o scolastiche possano trovar luogo in un discorso sacro. — Quali caratteri devono presentare i fatti che si vogliono narrare al popolo.

# INDEX ANALYTICUS

## ACTA ROMANI PONTIFICIS



### EX SACRO CONSISTORIO

EX SECRETARIA BREVIUM



EX SECRETARIA STATUS



# ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE INDICIS



EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

EX S. CONGREGATIONS CONCILII

## EX S. CONGREGATIONE RITUUM

## EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI



## EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

EX S. C. VISITATIONIS APOSTOLICAE



EX COMMISSIONE BIBLICA



EX VICARIATU URBIS



APPENDICES



SUPPLEMENTUM

